
4

XII. 7. 3.
E. 7.



V. Gratianus

DIOEC.

# SYNODVS AMERINA

AB

ANTONIO MARIA

EPISCOPO HABITA

MDXCV.



VENETIIS,

Apud Ioannem Antonium Rampazettum.

MDXCVII.



# S. D. N.
# CLEMENTI VIII.
## PONT. MAX.
## ANTONIVS MARIA EPISCOPVS AMERINVS.





VARTVS agitur annus, Beatissime Pater, ex quo auctoritate tua, ac diuino, vt reor, instinctu, regendæ huic Ecclesiæ præpositus sum. Quod onus etsi timidè, ac mihi ipsi diffidens subierim, tamen experimẽto grauius etiam sensi quàm timueram; vt in re minimè optanda actum mecum feliciter esse existimem, quod non maximus mihi grex ducendus, pascendusque obtigerit. At cùm onerosum imbecillitati meæ muneris ipsius pondus, tùm illud penè onerosius, lectum abs te esse, atque ipso statim initio primum veluti partum Pontificatus tui editum. Non enim me fugit quanta moles iudicij tui, & quam impares ad eam ferendam vires meæ sint. Verum leuatur magnopere noster omnium labor eximia hac non sapientiæ solùm, sed etiam diligentiæ tuę fama: Qua nihil summo isto humanarum rerum fastigio, vnde hominum generi consulis, nihil curarum magnitudine, quas sustines deterritus, proprias etiam Episcopalis officij partes vsurpare prædicaris. Neque enim existimare debes solicitudine ac sedulitate ista singulas obeundi, lustrandique vrbanas Ecclesias, & cuncta oculis ipsis tuis subijciendi, totamque inde sacrorum disciplinam ad priscæ sanctitatis, atq; assiduitatis normam redigendi, ipsas tantùm Ecclesias conformari, instruique, quas tu præsenti ope curaque componis, & ornas. Manat latius exemplum, & ad remotos quoque, & procul sitos populos, Episcoposque peruadit, & aliorum segnitiem excutit, aliorum industriam acuit, timidis animos, firmis consilium, diligentibus studium addit; omnibus necessitatem amplectendi, exercendique muneris sui imponit. Quis enim tam operoso Pontifice cessator sit? Et Vrbe Roma tantis quotidie pietatis incrementis, duce atque auctore te, ad pristinam religionis gloriam exurgente, cuius populi tam contumax aduersus salutis rationem ingenium sit, qui Pastori suo maiorum instituta restituenti, & certum ad cœlum iter, per eorum vestigia commonstranti, non facilem se obedientemque præbeat? Et quid verò Rhutenos nuper ab vltima Roxola-

nia, ipsisque Scytharum finibus, quid Boristhenis accolas Episcopos in Vrbem ad venerationem tui exciuit? Vt quos ante te, tot sæculis, nullius doctrina, nullius auctoritas abducere a pertinaci dissidio, imbibitisque penitus Græcorum erroribus potuit, hos vna sanctitatis atque innocentiæ tuæ fama deserere prauæ contentionis studium, cunctaq; ad nutum atque arbitrium tuum referre, & dictas abs te, ex diuinis litteris, sacrorum leges suscipere aliquando tandem subegerit. Adeo in Parente ac Rectore Reip. spectatus cultus, & amor religionis, quàm exactio magis mouet; & specimina ipsa pietatis omni iure potentiora ad impellendos euincendosq; hominum animos sunt. Sed mihi enitendum præter cęteros esse intelligo, vt si tuis de me testimonijs respondere non possum, tibi certè vitæ, atque officij mei rationem aliquam reddam. Cum igitur mihi antiquissima cura fuerit, quamquam diu ac variè interpellata, diœcesis huius Synodum habere, quæ habita his triginta annis non erat, in eaque omnem morum atque Ecclesiasticarum rerum rationem, maximè ex Tridentini Concilij præscriptis condere, constituereque, incessit animum cogitatio volumen ipsum decretorum prius quàm ederem meis, ad te mittendi, tibique dicandi. Non quidem eo consilio vt fulgorem, ac maiestatem nominis tui præferens, quasi commendatius inde, spectatiusq; prodiret, sed cùm sancire atque promulgare huius generis quicquam, non ante probatum tibi, fas iusque nemini sit, vt tuo arbitrio, tuæ ditioni, qua debeo fide, reuerentiaque subijcerem. Id demum habiturus ratum, sanctumque, quod tu, cuius haud dubiè cœlesti afflatu voluntas regitur, cuique cœlestis numinis instar inest, sanciendum, comprobandumq; esse censueris. Deum precor sanctissime Pater, vt salutares conatus tuos tibi atque Ecclesiæ fortunet, & te iam omnium, quæ celsissimum istuc dignitatis culmen decent, virtutum laudibus florentem, incolumem nobis diutissimè præstet, ac tueatur. Ameria X. Cal. Oct. M D X C V.

# INDEX RERVM, QVAE SINGVLIS CAP. CONTINENTVR.



Amici-

Campa-

# INDEX



a 2 Cleri-

Con-

D

Excom-

# INDEX



Habitus

H



I

## N



Numerus

b Ostia

Paro-

# INDEX

Q



R



Reliquiæ

Sacra-

# INDEX.



Stuprum

*Vascula*

# INDEX



F I N I S.

INDICTIO SYNODI.

# ANTONIVS MARIA

## DEI ET APOSTOLICAE SEDIS

GRATIA

SANCTAE AMERINAE ECCLESIAE

EPISCOPVS

OMNIBVS CIVITATIS, ET DIOECESIS SVAE

FIDELIBVS

*SALVTEM IN DOMINO.*

DIVINITVS profectò omnia à Tridentinis illis patribus consulta, sancitaque sunt. Vt rectas cœlesti afflatu eorum mentes, si credere fides non cogeret, res ipsæ summa religione, ac pari sapientia decretæ, persuaderent. Inter omnia saluberrime illud ad vsum reuocatum est priscæ Ecclesiæ institutum, vt omnes Episcopi quotannis sui quisque Cleri Synodum conuentumque agant, in quo de communibus rebus, & maximè de moribus, deq; diuinorum officiorum procuratione consulteretur. Neque enim continendæ Ecclesiasticæ disciplinæ, ne remissione regentium labatur, laxeturq; accommodatius quicquam excogitari videtur potuisse. Neque nobis ex quo grauissimo huic Episcopalis Officij oneri, haudquaquam pares viribus, subditi sumus, quicquam antiquius fuit, quã vt iussis Sacrosancti Concilij obtemperaremus. Cum igitur statim ad eam cogitationem omnis nostra cura incubuisset, quamquam sępè variè interpellati, tamen aliquando rem exequi Deo bene iuuante statuimus. Itaq; his literis nostris Synodum Amerię in Cathedrali Ecclesia habendam ad iiij. Idus Septemb. indicimus. Omnes autem quicunque in Ciuitate ac diœcesi nostra beneficia Ecclesiastica cuiusuis generis, nominisq; ea sint, obtinent, omnes item qui Sacris ordinibus sunt initiati, & omnes pręterea tam sęculares quàm regulares clericos, qui iure aut consuetudine interesse Diœcesanę Synodo debent, in domino monemus, atq; adeo ijs omnibus in virtute Sanctæ obedientiæ, pœnis etiam quas legum, & canonum iura statuunt, non parentibus propositis, pręcipimus, vt singuli ad pręscriptam diem, locumq; bene mane adsint. Nemo alium qui pro se id obeat munus mittat, nisi iusta ipse causa, quã probare nobis debebit, impediatur. Nemo item postquã aduenerit discedere, non dimissa prius ritè Synodo, audeat, nisi eius rei veniã a no-

bis impetrauerit. Nemo in alio, quàm qui Clericalem ordinem deceat, vestitu veniat. Nemo sine linea coita pura candidaque ad Synodales conuentus adeat. Nemo sine tonsa de more in vertice corona. Nemo quo caput tegat pileum, sed clericale biretum omnes ferant. Supplicationes quoque, quæ Synodi causa ea die habebuntur, omnes modesto incessu, nullo colloquio, piè ac religiosè obeant. Omnes denique, & quæ nos ad Synodum referemus intentis auribus accipiant, deque ijs interrogati sententiam dicant; & ipsi item referant si quid habent, quod ad suarum Ecclesiarum rationes, aut animarum curam cui præsunt, pertineat; quod quidem dignum iudicent, de quo sanctus ille conuentus consulatur; vt nos inde omnibus cognitis, quæ e re Ecclesiæ esse videbuntur, adiuuante Domino statuamus. Vt verò interea ad rem vtiliter peragendam diuina opis imploretur, edicimus, vt à die indictæ huius Synodi, vsque ad diem dimissæ, quinta quaque feria Parochi omnes in sua quisque Ecclesia Missę sacrificium de Spiritu sancto celebrent. In Cathedrali autem nostra singulis Dominicis diebus etiam supplicatio ipsam intra Ecclesiam habeatur. Omnes autem tam in itinere, quàm in vrbe, atque in ipsa Synodo, & modestiam in moribus, & temperantiam in victu, & in omni actione religionem retineant, & quotidianis sacrificijs, & pijs precibus Deum adorent, vt nobis rem tam sanctam agentibus, vim perficiendi tribuat, auxilioque ac numine suo iuuet. Has autem literas nostras Notarij nostri manu scriptas, signoque nostro consignatas promulgari, atque affigi publicè iussimus, idque perinde esse, & eandem vim habere volumus, ac si ipsis singulis, quorum interest, quibusque scriptæ sunt, redditæ fuissent. Dat. Ameriæ in Episcopalibus ædibus. Prid. Non. Augusti. M D XCV.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRIS AC DOMINI D. Antonij Marię Gratiani, a Burgo S. Sepulchri, Episcopi Amerini.

## ORATIO.

*Initio Synodi habita.*

DIVTIVS fratres quàm voluissemus cogendæ huius Synodi, & vobiscum de communibus rebus, deque Ecclesię nostræ rationibus deliberandi, consilium distulimus. Sed quę res ad maturandum nos hortabatur, eadem haud paruam studio nostro moram obiecit. Nam sicuti non habita, post editū Concilium Tridentinum, triginta fermè annis Diœcesis nostræ Synodus flagitare a nobis videbatur, nihil vt huic cogitationi pręuerteremus, & primis statim initi Episcopatus diebus huc omnis nostra cura intenderetur; Ita necessitas cuncta ad Concilij ipsius regulam dirigendi, & totam constituendi, atque ordinandi Ecclesiasticam disciplinam, collapsam, vt scitis, ac non mediocriter perturbatam, tanto plus spatij ad res comparandas, disponendasque postulare videbatur, quanto diutius hæc intermissa Synodalis actio apud nos erat. Vt quamquam

quam lustrata celeriter Diœcesi, aggressi continuo rem, nulla cunctatione simus, tamen quia omnia simul complectenda nobis, tradendaq; fuerunt, quibus & diuini cultus administratio, & mores regendi ratio continetur, eaque ex immensis Conciliorum, Canonum, aliorumq; auctorum voluminibus decerpenda, colligendaq;, sane longius, operosiusq; negotium, quàm quod facilè, æstimari possit, sustinuimus. Er iter quod superiori anno Romam, ex auctoritate Pontificis Maximi, suscipiendū nobis fuit, totaque illa Romana multorum mensium occupatio, atq; mansio, cupidam, accensamq; ad id voluntatem nostram, magnopere interpellauit. Post reditum inde nostrum, quod otij nacti sumus, id quidem nos totum ad rem inchoatam perficiendam, explicandamq; protinus contulimus; sed maxime hoc agentes, cùm prope iam esset, vt rem exequi posse videremur, noua repente interpellatio nos ab eius cura studioq; iterum auertit. Nam & redeundum necessariò in Vrbem visitandi gratia Apostolorum limina nobis fuit, & inde eiusdem Pont. Max. iussu peragrare magnam Italiæ partem, & singulos adire, atq; appellare Principes necesse habuimus, quo eos ad ferēdam Rodulpho Cęsari opem, infesta Turcarum arma Regni sui finibus ęgre summouenti, adhortaremur. Demum hoc quoq; itinere, Deo iuuante, confecto, mandatoque munere qua potuimus diligentia impleto, statim posthabitis aliis rebus oībus ad vos recurrimus, intermissumq; opus ita repetiuimus, vt tandem Dei benignitate, vestraque, vt remur, pia apud Deum obsecratione adiuti, absoluerimus, ad exitumq; perduxerimus. In quo, & nihil prętерire, quod pati huius tenuitas Diœcesis possit, & omnia ita secernere, partiri, distinguere, & in certa capita distribuere conati sumus, vt quidquid, vel morū emendatio, vel sacrorum ordinatio exigit, id omne in promptu, ac veluti ante oculos positum uobis esset. Verùm hæc vtcunq; nos præstiterimus, satis bene, satis mature, satis ad omnia accomodatè conquisita, statutaq; erunt, si ea in vsum deducere, & quæ cuiusq; sunt partes, eas pro se quisq; exequi, omnes institerimus. Et cùm sacrarum rerum procurationem, tum verò nos, vitam, moresq; nostros ad eius disciplinæ normam conformauerimus, cuius imaginem sancti huius cætus decretis, vt speramus, expressam, informatamq; cernetis. Nec verò quisquam nobis exiguas Ecclesiarum nostrarum facultates, ad totam capiendam, ferendamq; hanc disciplinam esse causetur. Animorum ista imbecillitas est parum ad res diuinas intentorum. Nulla bonos inopia, nullæ angustię ab officio deterrent. Ab eo pręsertim officio, quod magis sedulitate quadam, & applicatione mentis, quàm vllarum facultatum subsidijs assequare. Quæ non nisi diuitiis, & magnis vectigalibus parantur, ijs careant licet Ecclesiæ nostræ, dum assidue, dum scienter, dum pure, casteque colantur. Magnum quidem diuinis rebus splendorem ditia Ecclesiarum ornamenta afferunt, sed ornamentorum omnium instar est, ipsa intelligentium ministrorum religio, & sacrorum munerum pie pariter, ac perite administrata officia. Proinde hanc nos rationē, atq; hęc è priscorū patrū fontibus hausta instituta teneamus, fratres, nec segnes ipsi in ijs nec detrectantes simus,

& nihil vereamur, ne nostras Ecclesias, nostræ aut operæ, aut paupertatis pæniteat. Et vos, quando ad hæc accipienda, approbandaq; conuenistis, animos quoq;, quod caput est, & in quo sita spes fructus est omnis, ad exequenda, quæ acceperitis comparate. Frustra enim hic nobis insudatus labor, frustra summorum virorum euoluta præscripta, vestra quoq; approbatio frustra quæsita, nisi quod sancitum consensu erit, id etiam re, atque exitu præstetur. Quin rem totam omisisse, ac dissimulasse satius fuerit, quàm susceptam, decretamque pati ad irritum recidere, ac veluti ludibrio esse. Excusatius enim leges non habentur, quàm contemnuntur. Verùm & omnis in id cura, vigilantiaq; nostra incumbet, vt hisce decretis ab omnibus obtemperetur, ex eorumq; iure ac præscriptione viuatur, & res diuinæ ad hanc maxime normam administrentur, & vos confidimus fore, vt non tam iussu, atque instinctu nostro, quam sponte vestra, & studio recte viuendi, recteque munerum vestrorum officia exequendi, statuta, scitaq; a nobis lubentibus animis amplectamini. Quod vt faciatis vos non hortamur modo fratres, sed per fidem, per religionem, per sacerdotium vestrum, per viscera denique Iesu Christi Domini nostri, rogamus, atque obtestamur.

## DE CATHOLICAE FIDEI PROFESSIONE.

*In nomine Sanctæ, ac indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti; Amen. Cap. 1.*

NOS Antonius Maria Dei, & Apostolicæ sedis gratia Sanctæ Amerinæ Ecclesiæ Episcopus. Etsi eximio Dei beneficio, summam esse in ciuitate, ac Diœcesi nostra Catholicę fidei venerationem, eamq; sanctè, ac minime dubitanter ab omnibus coli intelligimus, tamen vt Synodi huius actio a fide initium sumat, sine qua placere Deo non possumus, ante omnia, eam, ex formula, quam Sancta Romana Ecclesia, Ecclesiarum omnium parens, & magistra, tradidit, seruarique pręcepit, vno ore consensuque pariter edi, ac præseferri ab omnibus, volumus, & iubemus. Omnes ergo nos verba pręeuntes, non lingua solùm, sed mente quoq; eadem subsequantur. Quod Deo, ac Dño nostro Iesu Christo æternæ glorię, sanctissimę Virgini genitrici, ac sanctis Martyribus Firminę, & Olympiadi Pręsidibus, ac patronis Ecclesiæ, atque Vrbis nostrę, perpetuo honori, atque laudi sit.

*Formula professionis. Cap. 2.*

EGO N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quę continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in vnũ Deum patrem omnipotẽtem, factorem cęli & terrę, visibilium oĩum, & inuisibilium; & in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitũ; Et ex patre natũ ante oĩa secula; Deum de Deo, lumen de lumine; Deũ verũ de

Deo

Deo vero; genitum non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis; & Incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est; & resurrexit tertia die secundùm scripturas; & ascendit in Cęlum, sedet ad dexteram patris; & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erat finis: Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioq; procedit; qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas: & vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi, Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones, firmissimè admitto, & amplector. Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum scripturarum, admitto; nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum patrum, accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à Iesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis; licèt non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesię Catholicę ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium, pro viuis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter, corpus, & sanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter & sanctos vnà cum Christo regnantes, venerandos, atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atq; eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Roma-

nam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram, agnosco; Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cœtera item omnia a sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in presenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam, vsque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hęc sancta Dei Euangelia.

*De his qui ad fidei professionem sunt adigendi. Cap. 3.*

AD eam sic proferendam, confitendamque fidem, omnes quibus Parochialis Ecclesia, aut omnino cura animarum mandabitur, omnes item qui canonicatum, seu dignitatem in Cathedrali Ecclesia adepti fuerint, adigantur, atque hi quidem, non apud nos solùm, sed etiam apud Capitulum profiteantur; qui non fecerint, fructibus beneficiorum mulctentur; mulcta ijs ne remittatur. Concionatores quoque cuiuscunque ordinis sint, si ita nobis videbitur, Magistri item siue publice conducti sint, siue priuatim ludum aperuerint; omnes denique quicunq; litteras docendi, aut pueros instituendi munus sustinebunt, eodem apud nos, aut Vicarium nostrum Sacramento obligentur, qui autem semel ritè professi fuerint, nihil erit cur iterum profiteri cogantur.

*De eiusdem fidei custodia. Cap. 4.*

HVIC Catholicæ fidei, quam vnanimes cuncti professi sumus, aduersari, aut eam in disceptationem, dubitationemque vocare, audeat nemo. Qui ausus fuerit, is iudicio Hæresis arcessatur, & Parochorum in id cura excubet, ne qua prauę opinionis labes suorum animis adhæreseat, & ne quis liber legi vetitus legatur, habeaturuè. Vetiti autem omnes sint, qui Romano indice continentur, quique manifestè catholicę religionis iura soluunt. Si quem deprehenderint, aut vllius prauitatis suspicione aspersum senserint, ad nos, aut Vicarium nostrum continuo deferant, idem facere alios quoque iubeant.

*De Hæreticis deferendis.* Cap. 5.

HÆRETICÆ labis suspicionem omnem ab nostris hominibus longe quidem abesse confidimus. Verùm vt contagioni tàm pestiferi morbi, qua oportet diligentia, obuiam eatur, & ipsum quoque periculum à grege nostro procul arceatur, volumus, atque adeo omnibus in virtute sanctę obedientię precipimus, vt si quando quis resciuerit aliquem in Diœcesi nostra, siue externus, siue ciuis, siue aduena, siue incola is fuerit, fecisse quid, aut dixisse, vnde vel leuis suspicio aberrantis alieniuè à Catholica fide animi oriatur, eius nomen ad nos seu Vicarium nostrum statim deferat. Qui autem manifestè compertum, aut vehementer suspectum prudens, aut sciens occultauerit, aut adeo nobis intra decimum diem de eo non indicauerit, hunc pęna excommunicationis latę sententię teneri decernimus: ęquum est enim aduersus communes veritatis, atque fidei hostes, communes quoque excubias, atque vigilias agi, quando in re omnium salutem attingente, non satis videtur assensu non contaminari, nisi silentij quoque crimen euitetur.

*Quædam pro tuenda fidei integritate aduertenda.* Cap. 6.

PAROCHI alijque quos ea cura maxime attingit, non id solum videant, ne quis vllam deprauati, & de Catholicæ pietatis fide secus sentientis animi suspitionem præbeat, sed ad illa quoque animum aduertant, quæ huic suspicioni proxima videntur. Videlicet an sint qui singulis annis saltem semel, vt ab Ecclesia præceptum est, sacra confessione, & communione expiare, & procurare sese negligant. An qui festis diebus interesse sacris, pari contumacia, contemnant. An qui diuinis rebus per lasciuiam, & iocum illudant. An qui sacerdotes & Ecclesiasticos homines despectui, atque irrisui habeant. An qui Ecclesiasticam libertatem, auctoritatemque, quantum in ipsis est, detrectent, premantque. An qui excommunicationis pœnam non flocci faciant. An denique vlli malefici, & diuinationibus dediti sint; quos quidem omnes deferri ad nos iubemus, vt quas meriti videbuntur pęnas, ab illis repetamus; si qui autem horum criminum reos subtrahere causæ dictioni, aut testes ad reticendum quod norunt, aut ad falsum testimonium dicendum subornare, atque instruere conabuntur, ab ijs, ipso facto excommunicationis noxam contrahi, reseruata nobis absolutione, decernimus.

*De Libris prohibitis.* Cap. 7.

OMNES libros, vt supra attigimus, legi haberique prohibeamus, qui indice, ab Apostolica sede edito, continentur, quique non dubie Catholicæ fidei rationi aduersantur. Ne autem vel fraus fieri, vel errore peccari

poſſit, edicimus ne quis librarius vllos libros venum exponat, qui ante a Parocho, aut ab eo cui nos id negotium dederimus inſpecti, recognitique non fuerint. Ac ſi quis priuatim vllos cuiuſuis generis libros in vrbem aut diœceſim noſtram intulerit, ijs ne vtatur, vtendoſve alijs commodet, niſi ab eodem illo viſi prius recognitique ſint, prçter eos qui eius generis videbuntur, de quibus nulla dubitatio, aut ſuſpicio ſit, quin permitti, legique ab omnibus poſſint. Manu ſcripta etiam opuſcula, commentarios, diſputationes, aliaque id genus, quocunque nomine, tituloque ferantur, nemo euulget, niſi a nobis, aut iuſſu noſtro ab alio, recognita, probataque fuerint.

*De libris ſacris e Latino in vulgare tranſlatis. Cap. 8.*

SACROS libros tam veteris, quam noui teſtamenti, vt vocant, in vulgarem ſermonem conuerſos, haberi paſſim, legique ſine diſcrimine ab omnibus nolumus. Nec item de quæſtionibus controuerſijsque, quæ nobis aduerſus Hçreticos ſunt, pariter in communem linguam tranſlatos. A doctis enim, atque intelligentibus hominibus hæc, non ab imperitis, imbecillisque ingenijs tractari, cognoſcique debent. Nam hi quidem facilè per inſcitiam atque infirmitatem labi, nec tam religionis, & viuendi præcepta ex ijs haurire, quam vanis ipſi dubitationibus agitari, & incommodas ex ſuo ſenſu opiniones imbibere poſſunt. Huius igitur generis libros haberi, legique, præter quam ab ijs, quibus ipſi permiſerimus, prohibemus: Permittimus autem tantùm illis, quibus de confeſſoris & Parochi conſilio tutò permitti poſſe iudicauerimus. Qui ſibi id arrogarint, vt etiam ſine auctoritate noſtra hos habeant legantq; libros, eos vetamus a confeſſoribus abſolui, niſi libros ipſos ante nobis tradiderint. Ac libelli quibus horariæ preces Beatiſſimç Mariæ Virginis continentur, partim latinè, partim Italicè, aut Italicè prorſus editos, vendi omnino emique vetamus. Ac ſi quis emptos iam domi habet, eos ad nos deferri ſtatim iubemus, vt Pij Quinti Pont. Max. ſanctione ſtatutum eſt.

*De verbi Dei concionatoribus deque inſtitutis eorum. Cap. 9.*

POPVLVM Diuinis præceptis imbuere, & dicendi facultate ad cœleſtium curam ab humanarum rerum cupiditatibus traducere, Gregem ſuum paſcere Paſtorum ſummus Saluator noſter appellauit; tanquam vnico hoc animi nutriantur atque educentur pabulo. Quod vt quàm maximè incorruptum, atq; ſalubre oues noſtræ recipiant, primò edicimus, ne quis iniuſſu noſtro conciones de diuinis rebus in diçceſi noſtra habeat, ne regularis quidem in ſuæ familiæ Eccleſia, niſi ei permiſſum à ſuperiore fuerit, ac niſi venia, & benedictione à nobis petita, & fidei profeſſione apud nos edita: in aliis autem Eccleſiis nullo modo, niſi eius rei poteſtas à nobis facta illi ſit; deinde monemus eos, quibus

quibus id muneris iniunctum fuerit, vt quam alijs tradituri sunt doctrinam, eam ipsi ex sacrarum litterarum fontibus potissimum hauriant; ipsasque sacras litteras ita interpretentur, vt nihil vnquam à Catholicæ, idest Romanæ Ecclesiæ fide, sensuque discrepent, sed cùm Sanctorum patrum sententia eorum semper concordet oratio. Hæreticos quidem refutare, si locus detur, atque insectari ne prætermittant, eorum tamen argumenta ad imperitam multitudinem ne referant, doctorum ea in cætu, cum opus fuerit, & recitent, & refellant. Spissas, & explicatu difficiles quæstiones ne tractent, scholis eas reseruent: apud populum nisi quæ capere possit ne differant. Miracula nisi explorata, & quorum non dubij auctores extiterint, ne narrent, neque enim falsorum narratione; verorum fides vt eleuetur committendum est. Vanitatem futura prænunciandi, euitent. De mundi vniuersitatisque interitu, & supremo illo Iudicij die, disserant quidem, si videbitur, & futurum aliquando, & quemque vitæ actæ rationem redditurum affirment; tempus autem definire, quo id euenturum sit, & instare, & prænuncia signa interpretando adesse, edicere, penitus abstineant; hæc enim scire videri velle, quæ Deus in sua vnius esse potestate voluit, summæ inscitiæ, summæque vanitatis, & impudentiæ est. Fabulæ, risus, inaniaque alia sacris concionibus longè absint. Sordidum morem petendi è suggestu sibi eleemosynas, penitus abdicent, ne populum instituendi munus, quod studio pietatis suscepisse videri debent, quæstus eos, atque auaritiæ suspitione respergat. Nominatim quemquam ignominia, aut reprehensione notare, aut designare ne audeant. Ne in Principem, aut Magistratũ, ne in Episcopum, ne ue in Ecclesiasticum ordinem vllum inuehantur. Dum enim quidam inanis gloriæ spe prouecti audientium auribus assentari, & ex cleri insectatione vulgi gratiam captare student, semina pessimarum opinionum iaci ab se non intelligunt. Quin populum præpositis suis etiam discolis parere, nec in ijs mores, sed potestatem, dignitatemque spectare, doceant; vel si vtique attingere Ecclesiasticos, aut seculares magistratus volunt, non asperè, atque inclementer increpent, sed grauiter, amanterque officij eos sui munerisque admoneant. Vehementes acresq́, in vitijs incessendis sint, eaque ex omnium pectoribus, vel vi abstrahere, radicitusq́; euellere conentur; Hic insurgant, huc neruos orationis omnes intendant, ad id latera, ad id clamores tollant. Studeant cohortationibus, & monitionibus suis vniuscuiusque statum officiumq́; complecti, vt filijs obsequium, parentibus charitatem diligentiamque præcipiant, seruos fidei, Dominos humanitatis admoneant: Vxores comitatem, obedientiã, amorem in viros; Viros parem animum benignitatemque doceant. Iuuenes obseruantiam senibus tribuere, senes exemplo esse iuuenibus ad pietatis officia debere demonstrent. Genus orationis sequantur ornatum quidem si volunt, ac splendidum, sed minime inane, minime pictum, & veluti fucis illitum; rebus quàm verbis aptius, sententijs quàm concinnitate probatius, quale de rebus grauissimis, de fide, de religione,

de pietate, de vitæ disciplina dicentē decet. Id denique spectent, vt non tam ipsi placeant, disertique habeantur, quam vt illi proficiant, a quibus audiuntur. Ante omnia tales ipsi se præstent; eam de sua innocentia, religione, charitate erga omnes opinionem faciant, vt cum vitam ęqualem verbis ducere eos homines existiment, eorum quoque orationi plurimum fidei tribuant.

*De Populi vitijs ad Concionatores deferendis.* Cap. 10.

EPISCOPO ipsi, non solùm Parochis curæ erit concionatorem, quæq; tenenda, quaque vitanda illi esse supra à nobis præscripta sunt, monere. Tum præterea quæ in populo maxime corrigenda videbuntur, quibusque vitijs laborari, frequentiusq; peccari senserit, instruere; vt concionator quæ maximè peccata conuellenda; quarumque virtutum semina iacienda sibi sint edoctus, in id qua oportet diligentia conatuque incumbat, atque huc cum omnem vim orationis, atque eloquentiæ suæ intendat, tum sæpe atque adeo semper in eodem veluti proprio muneris sui argumento versetur. Neq; enim aliò hæc cõcionandi institutio spectat, nisi vt ab hominibus doctrina, ingenio, & vitæ laude spectatis, vitia coerceantur, & virtutis studia incitentur; atque illa ex animis fidelium radicitus euulsa extinguantur, ne renasci, renouarique amplius possint, illius semina iisdem recepta animis ita hæreant firmè, stirpesque, ac radices agant, vt inde maturos, salutaresque pietatis, & religionis fructus edant. Itaque sedula Parochorum cura, studioq; corruptelæ omnes, quibus populi mores inficiuntur, deprauáturque conquirendæ, colligendæque erunt, & concionatori indicandæ, qui eas acriter oratione insectabitur, atque omni contentione opprimere, ac tollere nitetur. Item si quod pium institutum in sua Parochia vigere Parochus intellexerit, id quoque vt cõcionatoris verbis, & cohortationibus roboretur, sanciaturque curabit.

*In quæ potissimum vitia Concionatori sit inuehendum.* Cap. 11.

COMMVNIA quædam multitudinis, ac populi vitia esse videntur, quę potissimum exagitanda, & perpetua quadam increpatione diuexanda sibi concionator suscipiet. In blasphemos, & impia in Deum ipsum, sanctosque verba iacientes, longe acerrimè inuehetur, item in dierum festorum contemptores, & qui in ipsis Ecclesijs cùm frequentissimo populo celebrantur, immodeste, menteque impura versari non verentur. In veneficos, superstitiosos, diuinos, & aüguria obseruantes. In Auaros, & dum rem suam augeant, nihil pensi habentes. In litigiosos, & quodam animi morbo, quod debent, aut quod ijs debetur, non aliter, aut persoluere, aut exigere quam per longa iudicia, & calumnias gaudentes. In Iurisconsultos, & causarum patronos astuta iuris interpretatione, lites, & controuersias alentes, quique perdi-
tas

tas quoque ac iugulatas causas, lucri gratia suscipiunt, & noua semper atque inani spe clientes, & consultores suos ducentes, vtramque sępe partem fortunis euertunt; & maximè rudium, ac simplicium hominum rem omnem haud secus, quàm hirudines sugunt, hauriuntque. In lusores, aleatores, deceptores, periuros, maledicos, criminatores, In patrimoniorum suorum helluones, & per ganeas, & cauponas, & gulæ ingluuiem cuncta ligurientes. In iniurios, & contumeliosos. In iniurias, & contumelias implacabili ira, odioque persequentes. In molles, effęminatos, & amoribus deditos, atque adeo flagitiosis semper libidinibus implicitos. In ambitiosos, & qui vana hominum opinione, & existimatione, quàm veræ, & æternæ gloriæ cogitatione, curaque magis mouentur. In eos quibus communis viuendi consuetudo, moresque pluris, quàm ipsa diuinarum legum iussa sunt. In eosque, qui demissè, religiosè, piè vitam instituere, anicularum non virorum esse opinantur. Denique in negligentes quosdam, & se, & alios a frequenti Sacramentorum vsu retrahentes, quod sine hoc quoque pietatis studio perueniri ad beatam vitam posse credant, prædicentque. Atque hos errores, peccataque omnia, vt mentibus hominum pellantur, magnopere elaborandum concionatoribus erit. Sed ne illa quidem negligenda seu vitia, seu vitiorum illecebras, & libidinum irritamenta, spectacula, scęnas, ludos, choreas, saltationes, personas, nimios tam in viris, quàm in fœminis ornatus, luxum cęnarum, ædium, seruorum, canum, equorum. Quibus rebus cùm plerique deprauati ab studijs pietatis, & salutis suæ cura abducantur, concionatores acriter eas reprehendent, & assidua obiurgatione insectabuntur.

*Quarum potissimum virtutum semina concionatori spargenda sint.* Cap. 12.

QVEMADMODVM in cultura agrorum, non prius iacitur semen, quàm noxiæ; ac fallaces herbæ aratro excisæ fuerint; ita vitijs, vitiorumq; illecebris concionatoris oratione exactis, virtutum semina spargenda, mandandaque animis erunt. Ac primum quidem Christianæ pietatis, & spiritalis vitæ disciplinam magna cura studioque omnibus commendabit, & non solùm præcepta, sed consilia quoque Euangelijs comprehensa, vt complectantur auditores hortabitur; in quo sanè argumento latissimus ei campus aperietur, vbi illius excurrat, atque exultet oratio. Ad eleemosynas, & liberalitatem erga egenos, ad hospitij iura in peregrinos, & aduenas inopia pressos exequenda; ad errantes ad sanitatem, ac meliorem mentem fraterna correctione reuocandi officium, ad compescendas animi efferuescentes cupiditates, sensuumque nostrorum motus abstinentia, laboribusque, atque adeo etiam flagris domandos; ad ieiunij tempora colenda, tota orationis vi accendere auditores conabitur. Quorundam delectorum librorum præceptis, institutisque pietatis abundantium, lectionem magnopere suadebit; nulla enim re ad virtutem magis quàm virtutis exemplis acuimur. Quo loco etiam eorum librorum

brorum vſum damnabit, quorum ſtudio corrumpi diſciplinam morum compertum eſt. Dei ſanctorumque pias imagines, quorum aſpectu ad religionem, & pœnitentiam excitemur, in cubiculis haberi; turpes, & ſenſuum motus prouocantes tolli, & amoueri debere prædicabit. De puerorum inſtitutione, diligenter, ac ſæpè parentes monebit, eamque non in eo eſſe, vt illi communis vitæ officia ſcitè, atque eleganter obeant, ſed vt mores diſciplinæ Chriſtianæ pietatis imbutos perdiſcant, Chriſtianæque doctrinæ præcepta norint, ad eorumque viuant normam. Familiæ quoque regendæ rationem tradet. Viri vt ſeruos in chriſtianis officijs erudiant, contineantque; matronæ ancillarum pudicitiæ eandem, quam filiarum curam habeant, parique cuſtodia tueantur; contra quàm plerique faciunt, qui non aliam domeſticæ diſciplinæ induſtriam norunt, quàm ſuos parcè ac reſtrictè habere, & dum frugi anguſtique ſint, quibus moribus viuant, ad ſe non exiſtimant pertinere. Qui generis, ac familiæ dignitate cęteros anteire ſe arbitrantur, eos modeſtiam, humanitatem, & chriſtianam humilitatem colere docebit, his enim maximè laudibus chriſtiani hominis nobilitas enitet; obſcuros autem, atque humili ortos loco pari cura, vt religionis, ac pietatis officijs, exercitationibusq; elucere ſtudeant, hortabitur. Denique diuitibus in egenos benignitatem, liberalitatemq; præcipiet; egenos ipſos patientiæ laudem amplecti, & importunitatis, & faſtidij odium vitare monebit; atque in his alijsq; id genus multis, quibus ad virtutem animi excoluntur, incitanturque verſari concionatoris oratio aſſiduè debebit. Ac ne in eo quidem non multus fuerit, vt Epiſcopi iuſſa decretaque tam quæ religionis cultum, quàm quæ morum diſciplinam continent, cùm populo magnopere commendet, tum cleri auribus aſſiduè inculcet.

*Quædam quæ de ſingulis Sacramentis Concionatori diſſerenda erunt.* *Cap.* 13.

ANTE omnia magnum Eccleſiæ Sacramentorum cultum, magnam venerationem auditorum inſerere, atq; ingenerare pectoribus ſtudebit, ſingulorum vim, atque officia copioſè, ac diſtinctè tradens. In baptiſmo, quæ quiſque ſpoponderit, profeſſuſque ſit, in memoriam reuocabit; & quàm graui falſæ promiſſorum fidei crimine omnes teneamur exponet; item ſuſceptum ab ijs officium, qui Patrini, aut Compatres adhibentur, quàm negligatur. In confirmatione quantum præſidium ad ſęuos impetus perennis animæ noſtræ hoſtis repellendos, nobis ſit, demonſtrabit. Ordinis quoque Sacramenti magnam eſſe vim, ac dignitatem diſſeret; vt qui de eo ſuſcipiendo cogitant, etiam de vitæ ſuæ ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ normam inſtitutione cogitent. Matrimonij ſanctitatem magnam eſſe docebit; nubendiq; conſilium, & ſanctè ineundum, & ſanctè rem quoque ipſam habendam; neque in eo tam genus, forma, diuitiæ, quàm mores eius, ingeniumque, cui iungi velis, ſpectandum: multa quoque de liberorum educatione monebit. Vnctionis extremę Sacramentum quantum morituris ſolatij, quantum opis afferat, quanta verbis quibus peragitur

tur vis insit, item explicabit, & omnes cum se grauioris morbi vi teneri sentiunt, dum compotes sui sunt, ad illud petendum, summaque religione suscipiendum hortabitur; nec differendum donec supremum vitæ tempus sensibus, & mente iam alienatos, leuationem fructumque tam sanctæ rei percipere non patiatur. At verò maximè concionator in id stimulos orationis suæ acuet, neruosque intendet, vt omnes ad voluntatem, studiumque crebro se confessionis, & pœnitentiæ Sacramento procurandi, impellat; quo expiatis & ab omni flagitiorum labe, sordeque expurgatis animis, pari inde crebritate, & frequentia ad ipsum suscipiendum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum adeant. In quo non ad salutem solùm præstandam, animamque ab hostilibus Diaboli insidijs tuendam, & cupiditatum nostrarum aculeos reprimendos, atque rerum humanarum despicientiam induendam, sed etiam ad vitam purè, castè, tranquillè, beatèque traducendam quantum adiumenti sit demonstrabit; argumentis, exemplisq; à diuinis litteris, & à priscorum patrum libris petitis; quorum ei, & cęlestis doctrinæ ratio, & sanctorum virorum vita summam copiam suppetent.

*De Concionatoribus à solo Episcopo eligendis.* *Cap.* 14.

VERBVM Dei prædicandi munus proprium quidem Episcopi est, cui mandata pascendi gregis est cura. Sed quia is interdum, aut alijs Ecclesiæ occupationibus impeditur, aut sibi ipse in eo fungendo exhibendoq; officio minus forte placet, alteri qui pro se concionem populi habeat, eumque in Christianæ disciplinæ pręceptis instituat, suas delegare partes solet. Propterea quicunque in Ecclesia docendi causa populum, & verbum Dei prædicandi suggestum ascensurus est, haud ab alio quàm Episcopo, cuius ille vicem munusque subit, eligi, asciscique debet; nec quisquam id sibi arroget iuris, non collegium, non sodalitas, non magistratus, quocunque nitatur priuilegio, sed vnius in eo Episcopi iudicium, arbitriumque esse, ac ne Regularibus quidem licere in suis Ecclesijs concionari, renuente Episcopo ex Tridentini Concilij auctoritate decernimus. Sumptus autem ab ipso Episcopo pręstentur, nisi ab alijs præstari aut debeant, aut soleant, quos Episcopus ad persoluendum omni reiecta prouocatione, aut appellatione compellet. At etiam conciones habendi potestatem nemini faciat, nisi ante de doctrina illius, dicendique facultate, & exercitatione cognouerit. Nam indocto, ineptouè, vel maculoso, & flagitij alicuius infamia notato, quamuis erudito, ac diserto tam sancti officij munus nè commiserit.

*De temporibus habendi conciones, deque ijs celebrandis. Cap. 15.*

IN Quadragesima quotidie de diuinis rebus conciones habeantur, in Aduentu tribus septimanæ diebus; item quoties, aut Iubileum à Sede Apostolica editum, aut supplicationes ab Episcopo graui aliqua de causa indictæ fuerint, aut visitatio, aut Synodus habebitur, aut Sacramenta præsertim ordinum, & confirmationis ministrabuntur. Et vbi probi, docti, diserti hominis facultas sit, etiam omnibus festis diebus, idem fiat, & maximè in ipso solemni Missæ sacrificio, cùm recitatum Euangelium fuerit, concio interponatur, etiam si Missa pro mortuis fieret, nisi alicuius forte habenda laudatio foret, hanc enim semper post peractum sacrum reijci iubemus. Noctu autem conciones cœtusque haberi prorsus vetamus; item ne quis, dum Sacerdos concionatur rem diuinam faciat, aut horas canonicas recitet, aut Baptismi Sacramentum ministret, aut omnino in Ecclesia quid agat, quo à concione homines auocentur, edicimus. Nos quidem magnopere fideles hortamur, vt frequentes sacras conciones celebrent; dicenti, ac fidei vitæque præcepta tradenti Sacerdoti attentas aures præbeant, atque eo genere orationum erudiri, & ad religionem, & pietatem magis, atque magis excoli studeant; & quæ ille ad vitiorum odium, ac virtutum amorem accendendum edisseret, ea quisq; tanquam vni sibi dicta accipiat. Parochi autem, aut alij ad quos ea cura pertinebit, adnotent, & ad nos, aut Vicarium nostrum quorundam nomina deferant, qui ingressi Ecclesiam, non diu morati, aut ipsam obire ac lustrare concionem, & maximè fœminarum aspectare cœtum, oculosq; nunc in hanc, partē nunc in illam conijcere, & nunc altari inniti, nunc rursus aliò, atque aliò transire, nunc abire prorsus, & concionantem deserere consueuerunt; cùm enim tam impudens euagatio ab illo, & loco, & tempore magnopere abhorreat, nos, si semel admonitos in eadem contumacia perseuerare intellexerimus, tum alijs pœnis, tum, si opus fuerit, etiam Sacramentorum communione prohibebimus.

*De ritu seruando cum Episcopus concionatur. Cap. 16.*

CVM fieri commodè potest, concionem præstat inter ipsum sacrificium, quàm eo peracto haberi; idque non cæteri solùm, sed ipse etiam Episcopus seruare, quo priscus Ecclesiæ mos retineatur, debet. Et Episcopus quidem sacra faciens, cū allocuturus concionem erit, nihil de illo Sacerdotali cultu deponat, sed caput Mitra quoque redimitus, in ea sella, quā Faldistoriū appellant, ante medium altare locata considat, tegentibus latera adsidentibusque iisdem ministris, qui ei sacrificanti operam præstant, in suo & ipsi ornatu. Atque eorum vnus pluuiali veste indutus à sinistro latere pastoralem baculum ante Episcopum sustineat. In Missa item minus solemni si erit concionaturus, idem vestimentum adhibeat, quo in ipsa Missa vsus fuerit, addita Mitra, & Baculo, & duobus saltem è Canonicorum collegio, qui ei in ea veste, qua in

choro

choro diuinis officijs operantur, adsistant. Concionem verò extra sacrificium habiturus, cum Pluuiali, & Mitra sedem, aut suggestum ascendat, nisi Episcopalem cappam induere maluerit. Ac sic quoque, & eosdem Canonicos, & prętcrea duos ministros Baculum, & Mitram ferentes sibi adesse iubebit. Et si quando die minus festo, aut in Ecclesia minus insigni hoc ei fungendum munere erit, etiam linea superiori veste quam Rochetum vocant, & Mozeta, & Stola vti licebit; Episcopalia tamen insignia, qui ante eum sustineant, & adsistentes Canonicos ne sic quidem omiserit, nisi ei ex tempore habenda concio sit; dũ enim verbi Dei salutari pabulo Gregem suum pascat, saturetque, de genere vestium magnopere laborandum ei non erit.

*Concionem habente Episcopo nemo alius concionetur. Cap. 17.*

QVOD Clemens Quintus Pontifex Max. in Viennensi Concilio sanciuit, & rationi sanè consentaneum est, ad vsum vt reuocetur, decernimus concionem habente Episcopo nemini in Ciuitate licere eodem tempore concionari, ne Regularibus quidem in eorum ordinis Ecclesijs, nisi forte id ei ab ipso Episcopo ex iusta causa permitteretur. Neque enim distineri tum vlla alia re populus, sed omnis ad Pastoris sui vocem audiendam cogi congregariq; debet.

*De ritu Parochis in habenda concione seruando. Cap. 18.*

PAROCHVS concionem habiturus, sacrum solemne faciat, & Euangelio pronunciato, ipse si suggestum ascensurus erit, Planetam seu casulam deponet, caputque operiet. Sin ex ipso Altari alloqui populum maluerit, nulla deposita veste, nec capite obtecto, vertet se ab Epistolæ latere, & stans verba faciet. Si ipse sacrificio operatus non fuerit, superpelliceo, & stola indutus concionem ineat. Alij Sacerdotes qui eo in loco animarum curæ non præsint, nunquam ex altari, sed semper è suggestu concionentur. Regulares verò concionantes eo vestitu vtantur, quo ex disciplinæ suæ more vti in choro consueuerunt.

*De Concionatorum facultate non temere iudicandum. Cap. 19.*

QVI ad haurienda cœlestis doctrinæ præcepta, quæ à concionatoribus traduntur, ad frequentandasque Sacras conciones conueniunt, non eo affecti animo esse debent, veluti si de profanis rebus orantem, differentemque aliquem essent audituri; sed ita mente, & cogitatione comparari, vt quæ audierint, & ad animam transmittant, & re atque vita exequantur. Minimè verò moderatũ, & sanctæ religionis colentem decet, statim templo egressum, iudicium de concionatoris facultate ferre; & nunc actionem reprehendere, nunc genus orationis, aut humile, & minus cultum despicere, aut mulie-

briter comptum fucatumque carpere; atque adeo non de tota solùm concione, sed de ipso etiam concionatore loqui intemperanter, & iudicare. Quod sæpe ne sine grauis quidem peccati labe fit. A qua siue leuitate, siue obtrectatione, vt se nostri contineant, magnopere in Domino omnes hortamur. Fructus ad vitam castè, innocenterque instituendam, non inanis aurium ac sensuum voluptas e sacris concionibus petatur; a quibus rediens secum quisque, quæ accepit, recolat, animoque voluat, & quo penitus memoriæ mandet, si quem obuiam amicorum habuerit, ei cuncta ordine exponat, mutuaq; optimarum rerum commemoratione se se ad pietatis studia excitent; cùm domum venerit, quę de morum institutione, emendationeque disputata à concionatore fuerint, ea cum suis communicet; omnesque ad contemplationem, amoremq; diuinarum rerum, & ad sanctæ religionis cultum inflammare conetur.

## DE SACRAMENTIS. CAP. 20.

SEPTEM Catholica Ecclesia colit Sacramenta, à Christo Domino instituta, vt nobis tamquam humanæ imbecillitatis, atque infirmitatis remedia sint. Quibus ritè adhibitis, suppliciorum, mortis, & passionis illius vberrimis fructibus, qui per ipsa in nos Sacramenta permanarit, veluti salutari leuati medicina, conualescimus, & roboramur; & cælestibus donis, beneficiisque augemur, & munimur. Hæc autem sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pęnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium.

## *Sacramenta præter Eucharistiam nulla nisi vsu existere. Cap. 21.*

PAROCHI ignorare populum ne patiantur, aquam, quæ in Baptismi fonte asseruatur, item sacra olea, quæ suis condita loculis cum cura habentur, Sacramenta non esse, sed ex ijs Sacramenta confici, Baptismi, Confirmationis, Extremæ vnctionis. Eaque tum demum Sacramenti naturam, nomenque adipisci, cùm ab eorum ministro ritè alteri applicantur. Sacramenta enim omnia tantum vsurpatione, atque vsu constari, atque effici; vsu amoto, nulla existere; vna illa excepta Eucharistię sanctissima, ac diuina hostia, quæ simul ac rite consecrata fuerit, ita Sacramentum concipit, vt inde numinis vi, in ipsum conuersa numen, ille idem Deus efficiatur, qui cęlo delapsus, atque inter homines versatus, pro humani generis salute immolari sese in ara crucis, sacrificarique sustinuit. Atque ea siue edatur, siue conseruetur, tam diu diuinitatem suam retinebit, quàm diu illæ durabunt species, quibus admirabili quodam, & qui nec explicari verbis, nec mente comprehendi potest, modo, continetur.

*De Sacramentis magna cerimonia habendis.* *Cap.* 22.

EX Sacramentorum cultu, vſuq; quanto eſt vberior, ſalubriorque fructus, qui animis percipitur; tanto danda opera eſt, vt diligentiori ſtudio, ſanctioribuſque cerimonijs illa habeantur, miniſtrenturque. Auget enim pietatem, ac venerationem adeuntium ipſa miniſtrantium religio, & res ſanctè decorèq; tractata. Qua in re magnopere eniteat oportet Parochi diligentia, quo Sacramentorum nulli, ſuus apparatus deſit, iſque cum elegans ſit, & magnificus, ſi facultates Eccleſię ferant, tum in ipſa etiam paupertate munditia ſaltem, ſedulitaſque, & pia Parochi induſtria, ſtudiumq; eluceat. Quare, & populi erga Sacramenta veneratio, cultuſque magnopere incitatur, & ipſius quoque Parochi dignitas maiori inde in pretio, honoroque apud omnes habebitur.

*De Romanis ritibus ſeruandis.* *Cap.* 23.

IN tota adminiſtrandorum Sacramentorum ratione, eos maximè ritus, cerimoniaſque in Diœceſi noſtra coli, tenerique volumus, quibus ſancta vtitur Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum parens, & magiſtra. Ab ea enim non ſolùm cœleſtium rerum certa, & diuinis litteris conſentanea, interpretatio in vniuerſam ſemper manauit Eccleſiam, (quippe quæ ipſius ore Dei confirmare fratres iuſſa, non dubio eiuſdem Dei promiſſo nititur, portas inferi non præualituras aduerſus eam) ſed etiam ſacrorum ipſorum diſciplina, multo eruditior, & rei dignitati accomodatior prodijt, cui plurimum in ea re ſtudij ponitur, & delecto præſtantium ingeniorum cætui, hæc mandata prouincia eſt, vt omnia ex priſcorum Patrum inſtitutis, & ex maieſtate religionis fiant, curandi.

*De officio Parochi in populo inſtituendo, ac de Rom. Cathechiſmo.* *Cap.* 24.

NON miniſtrare ſolùm rite Sacramenta Parochi officij eſt, ſed populum de illorum vi, atque dignitate erudire, ad illius maximè muntus, atque curam pertinet; quod eo præſertim tempore præſtare eum conuenit, cùm in ipſorum adminiſtratione verſatur. Vt populus illa maiori cum religione ſuſcipiat, & Deo eorum datori immortales gratias agat, cuius ſumma clementia tot nobis, tantaque adiumenta ad beatam vitam conſequendam tributa ſunt. Id igitur vt præſtare rectè poſſint, nec ipſi ignorare dicantur, quod docere alios debent, ſacramentorumq; doctrinã, vim, notionem penitus cognitam, perceptamque habeant, eam, cùm ex aliis lectiſſimorum auctorum libris, tũ maximè ex Romano Cathechiſmo haurire illos volumus. Itaque Parochis omnibus mandamus, vt illud volumen ſinguli penes ſe habeant, de manibus nunquam deponant, aſſidueque ita legant, vt de eo repoſcentibus nobis rationem

quotannis reddere, & ad ea de quibus interogati fuerint, prompte ac ſcienter reſpondere poſſint.

*De Sacramentis ex peccato non adminiſtrandis. Cap. 25.*

IN omnibus Sacramentis caueat in primis Parochus, ne cùm ijs operatur, vllius mortiferi peccati conſcientia animus eius perſtringatur, ne quæ alijs ad ſalutem miniſtrat, ea inde ſibi ad perniciem vertant. Reſpuit enim tam ſancta res animum cuiuſuis flagitij macula reſperſum, ſeque non puris manibus attrectari dedignatur; itaque ſi quid forte admiſit, quod expiandum ſit, id Parochus antequam Sacramento manus admoueat, ſacra confeſſione ablu at, deinde quo oportet cultu, ac religione rem peragat. Quod ſi aut tempus id non patiatur, aut præſentis Sacerdotis, cui confiteri poſſit, facultas deſit, tum confeſſione dilata, cum animo dolorem, ex peccati conſcientia concipiat, vt & eo abſtinere in poſterum, & cùm primum licebit confeſſione ſe procurare plane conſtitutum habeat; atque ita affectus non dubitanter Sacramenta miniſtret.

*Pro Sacramentorum adminiſtratione exigere nihil licet. Cap. 26.*

CVM omnis omnium vitiorum ſuſpitio longe a Parochi integritate abeſſe debet, tum cauendum ſummopere illi eſt, ne quam in Sacramentorum adminiſtratione auaritiæ labem contrahat. Quid enim turpius, & ab ipſa re alienius, quàm ſi quorum ſanctitas caritatis, & pietatis officijs maxime enitet, his ad ſordidos quæſtus abuti exiſtimemur? Itaq; Parochi pro adminiſtratis Sacramentis exigere, aut petere ab vllo quicquam ita caueant omnes, vt qui ſecus fecerit, graues ſe pęnas arbitrio noſtro daturum intelligat. Accipere autem ijs id modo licere volumus, quod ex conſuetudine a pijs hominibus caritatis, & religionis ſtudio ſponte oblatum fuerit.

*De habitu corporis quo adiri ad Sacramenta debet. Cap. 27.*

QVAMQVAM ad percipienda Sacramenta, vt eorum ſanctitate, atque beneficio ab omnibus peccatorum veſtigijs expiemur, animo maximè ad pietatem, atq; religionem compoſito opus eſt, tamen ne illud quidem negligere Parochi debent, vt adeuntes cultu quoque corporis, atque ornatu, animo, religione, ac diuini numinis metu commoto, & humanarum rerum contemptu elato, reſpondeant: quis enim humili ac demiſſa mente, & in cęleſtium cogitatione defixa, cuiuſmodi diuinorum Sacramentorum tractatio, atque perceptio requirit, eum eſſe arbitretur, cui omne in corporis cultu ſtudium eſſe appareat? Quo in genere, quia maximè à fęminis,

aut

aut fœminarum similibus viris peccatur, Parochus omnes diligenter admonebit ad Sacramenta nisi simplici, humiliq́ue in veste, ornatuque paupertatis saluatoris nostri memores, ne accedant.

*De Heraclio Imperatore.* Cap. 28.

ET ne quis existimet non magni referre, quo quisque habitu corporis ad Sacramenta adeat, dum animum pie affectum afferat, claro Imperatoris Heraclij exemplo, miraculoq; Parochus demonstrabit, quantopere Deo cordi sit, se habitu paupertatem, & humilitatem præferente, non luxum, & opes ostentante, adiri. Is enim Imperator cùm receptam à Persis sacratissimam illam crucem, qua suffixus Dominus fuerat, referre in montem, vnde eam hostes abstulerant, suis humeris vellet, tam pio fungens officio, tamen in porta, quæ illò ferebat ita hæsit, vt sæpe conatus progredi, nunquam potuerit. Cuius rei admiratione territos, & obstupefactos cū ipsum Heraclium, tum reliquos qui aderant, monuit Hierosolimorum Episcopus, vt triumphalem ornatum, auro gemmisq́ue fulgentem, quo indutus Imperator erat, deponeret, neque enim sic imitari Iesu Christi humilitatem, paupertatemq́ue videri. Cui cùm ille paruisset, & abiecta diuite veste, plebeium sibi amictum circundedisset, & calceos insuper exuisset, reliquum iter liber, expeditusq́ue confecit, & religiosum munus sanctè peregit.

*De Parochi habitu in Sacramentis administrandis.* Cap. 29.

CVM aliorum qui ad Sacramenta adeunt, nimium, atque inanem, & ab rei sanctitate alienum corporis, atque vestium cultum redarguere, & coercere Parochus debet, tum suo ipsius quantum potest dignitatem, venerationemq́ue religioso muneri addere. Itaque caueat ne vllum vmquā ministret Sacramentum, quin talarem tunicam, linea veste, quæ Cotta, seu superpellicea dicitur, contegat, stola superiniecta, & a collo vtrinque pendente: quæ linea vestis, vt pura semper, & candida sit, curabit, item vt manus lotas, calceosq; minime cœnu inquinatos habeat; magnum enim interioris animi habitus exterior purus, mundusq́ue cultus argumentum fuerit; & affectus vera intus religione creditur, cuius foris studium diligentiaque in sanctis rebus sanctè, & cum quadam decenti munditia contrectandis commendetur.

*De prompta Parochi opera in Sacramentis administrandis.* Cap. 30.

SACRAMENTORVM dono maximè Dei in hùmanum genus caritas, & benignitas declaratur, maximè eorum ministro id spectandum est, vt in suo obeundo munere caritatis laudem mereatur. Quæ certe ei non tribuetur,

tribuetur, qui illa petentibus, aut ægrè, segniterque morem gerit; aut aspere, & cum quodam fastidio adeuntes excipit. Nec eorum necessitatem, & instans interdum periculum obire, quod officij sui est, sed suum ipsos opperiri tempus cogit; aut, quod magni criminis instar fuerit, molestis, acribusq; increpitos verbis reijcit interdum, atque repellit. Ab tam agresti, atque difficili ingenio, moreque longe abesse Parochorum humanitas debet, quorum omnis in beneuolentia, in officio, in benignitate, in diligentia commendatio est. Quibus cùm vna cura incumbat, vt illi salui beatique sint, quibus præpositi ipsi sunt, nec ad salutem, ac beatitudinem perueniendi vlla, quàm Sacramentorum expeditior, ac certior via sit, ab illorum profectò cultu, ac frequenti vsu, & perceptione, non insuauitate morum, verborumque deterrendi à Parocho, sed comitate, & affabilitate alliciendi, atq; inuitandi sunt. Ergo non prompta solùm, parataque semper, sed etiam obuia sit Parochi opera Sacramenta petentibus, in eoq; nullum suum, sed semper eorum obire tempus studeat, quorum ipse saluti, vtilitatique consultum cupit; cupere autem omnibus debet. Non ab suis se rebus, occupationibusque abduci, non quieti, non somno eripi ęgrè ferat, sed hunc sibi laborem, hanc assiduitatem, caritatemque magno cum fęnore repositam iri a Domino in illa die iusto iudice, speret; At qui officium suum desiderari patietur, præter rationem quam Deo est redditurus, etiã à nobis pro merito suo punietur.

*De Sacris male vtentibus.* Cap. 31.

SI quis ita diuinæ vltionis, & sui ipsius immemor fuerit, qui Sacramenta reliuè alias sacras, ad Dei cultum, & hominum salutem, salutisq; subsidium comparatas, ad profanos adhibere vsus, aut, quod intestabilius est, ad maleficia abuti non vereatur, cum præterquam quod nefario se sacrilegij crimine obstrinxerit, quod à nobis seuera animaduersione vindicabitur, etiam pœna excommunicationis latæ sententię teneri iam nunc decernimus.

*De Sacramentorum custodia.* Cap. 32.

BAPTISMVM, sacrataque olea, & maximè sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Parochus diligenti custodia habeat. Suis quodque loculis condat, firmis seris, clauibusque concludat, claues penes se, aut tuto in loco habeat, vnde auferri se incolsulto, insciοque ne possint; eo sint opere fabrefactæ, vt eas adulterare facile non sit. Sic enim Parochus tuta omnia præstabit, ne quid maleficus aliquis surripere ex ijs, & abuti ad vllum maleficium possit.

Quibus

*Quibus ſine nullum Sacramentum perficitur. Cap. 33.*

QVATVOR omnino, ad omne patrandum Sacramentum, adeo neceſſaria ſunt, vt ſi quod eorum deſit, ſacri nihil fuerit. Quæ quia ignorare Parochorum, Sacerdotumque noſtræ Diœceſis neminem cupimus, prætermittendum non fuit, quin ea hoc perbreui decreto omnibus proponeremus. Sunt autem hęc, Materia, Forma, Miniſter, Miniſtri voluntas. Et vt exemplo res planè demonſtretur, quo nam pacto ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum conficias, ſi panis, qui materia illius eſt, deſit? Et vt panem habeas ſi formam, verbaque quorum vi res conſecratur, omiſeris, quàm Sacramenti rationem aſſequaris? At ſi profanus quis, & nullis ſacris ordinibus initiatus, nullaque eius rei poteſtate pręditus, materiam licet, licèt formam adhibeat, quod Sacramentum efficiat? Poſtremò ſi & panis adſit, & verba ritè proferantur, & Sacerdos proferat, ſed id nequaquam eo animo faciat, vt conſecret, quis Sacramentum ab non volente patratum dicat? Atque hæc vniuerſe de omnibus Sacramentis præfari libuit, antequam de ſingulis diſſerere aggrediamur.

## DE BAPTISMO. CAP. 34.

AD Baptiſmi vſum, atque adminiſtrationem tanto maius ſtudium, curamque adhiberi conuenit, quanto res ipſa ſanctior, & magis ad ſalutem neceſſaria, exiſtimatur. Quippe niſi hac ianua aditus ad cęlum nemini eſt. Ac ne aliorum quidem Sacramentorum vis, fructui nobis, & emolumento eſſe poteſt, niſi baptiſmo initiatis, atque hac eadem ianua ingreſſis; cuius ſanctitate Sacramenti, omnes, etiam à primordio noſtri contractæ animi ſordes abluuntur, expianturque. Hoc fidei nobis mu[illegible]us tribuitur, hoc corporis Chriſti membra efficimur, hoc ipſa ſenſuum noſtrorum ad peccandum procliuitas, titillatio, fomes mitigatur, temperaturque; hoc deniq; eſt illud, quo ex aqua, & ſpiritu ſancto renaſcimur Deo, ac regeneramur.

*De Materia Baptiſmi. Cap. 35.*

CVM Sacramenti huius ſumma ſit hominibus ad ſalutem neceſſitas, ſic vt ſine eo cęli aditu excludamur, promptam quoque, & parabilem omnibus, eius materiam eſſe diuina bonitas voluit. Et ob eandem cauſam nemini poteſtate eius patrandi, quod in reliquis fecit Sacramentis, interdixit; & paucis, & quæ quiſque facile teneat, verbis formam eius comprehendit. Materiam autem ſtatuit naturalem aquam, quæ nuſquam cuiquam deeſt. Et ne non præſto ſemper indigentibus eſſet, non ſpecie illam definiuit, ſed cuicunque naturali aquę baptizandi, ac Sacramenti conficiendi vim eandem eſſe

iussit; siue ea pluuia sit, siue e mari, siue e flumine, siue e puteis, lacubusuè hausta, siue ei sulphuris, siue salis, siue ferri, siue alterius metalli, aut rei sapor, vel odor insit. Ac ne si turbida quidem, & inquinata foret, baptizandi facultatem amitteret, dummodo aquæ speciem retineret. Quod quamquam ita sit, tamen adhiberi studium debet, vt quàm maximè nitida, pura, pellucida, simplici vtamur. Aduertendum verò est, & acuratè cauendum, ne pro naturali aqua, aut manans arboribus humor, aut liquor herbis, floribusuè, aut omnino alijs rebus expressus, igneue, aut alia arte liquatus, eductusq; adhibeatur; neque enim verè hæc aqua dici, neque ex his baptismus perfici vllo modo potest. Item illud animaduertendum, quòd quemadmodum simplici, ac puræ aquæ admisceri præter consecratum Chrismæ oleum nihil debet, ita si vehementius frigus ingrueret, nociturumq; infanti crederetur, calida temperari, ac tepefieri sanè potest.

*De Forma Baptismi.* Cap. 36.

NEMO existimet aquam benedictam, quæ in fonte baptismi cum admixto Chrismatis oleo asseruatur, Sacramentum esse. Id enim opinantes magno in errore versarentur. Tùm demum Sacramenti vim sumit, cùm tradita à Christo verba, aquam simul ad aliquem abluendum fundentes, cum constituta voluntate Sacramentum conferendi, proferimus; nam vt diuus August. ait, Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Verba autem sunt hæc, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen. Quæ si cui non latine, sed vernaculo sermone effari libeat, vim quidem eandem ad efficientiam Sacramenti habebunt, sed temerè ab Ecclesiæ vsu discedere nemo debet. His autem verbis, neque addere quicquam, neque minuere, neque commutare, aut omnino omittere licet, nisi fortè primum, & postremum, Ego scilicet, & Amen prætermittere liberet; quæ quia sensui verborum, & formæ nihil detrahunt, necessaria non habentur, neque propterea minus Sacramenti rationem constare credendum est; quamquam ne ea quidem studio omittere quisquam debet.

*De Ministro Baptismi.* Cap. 37.

BAPTIZARE semetipsum nemini licet, quòd cùm hoc Sacramentum regenerationis dicatur, quo filij Dei nascimur, generare ipsi nos, & ex nobisipsis nasci non possumus. In alium Baptismum conferre omnibus est permissum. Quemadmodum enim quamcunque naturalem aquam, ne cuiquam vsquã deesse posset, materiam huiusce Sacramenti Dei benignitas constituit, ita ne Ministrorum quidem inopia ad id consequendum, sine quo salutis ratio constare non potest, laborare homines voluit. Propterea quemcunque morta-

mortalium etiam à Christi nomine, ac fide alienum, dum traditam formam, materiamque adhibeat, & id eá mente, atque eo animi decreto faciat, quo Ecclesia facit, idoneum baptismi esse Ministrum eadem diuina clementia iussit. Verùm sicuti à conferendo baptismo nemo siue Sacerdos quis, siue profanus, siue mas, siue fœmina sit, siue Christianus, siue Barbarus, vbi periculum, & necessitas exigat, prohibetur, ita sancitum Ecclesiastica lege est, vt non nisi à proprio Parocho, aut Parochi permissu ab alio Sacerdote, statis solemnibusque cum cerimonijs, in Ecclesia ministretur.

*De Obstetricibus instruendis. Cap. 38.*

QVIA sæpe incidit necessitas, ob imminens vitæ periculum, infantes simul ac editi in lucem sunt, ne sine sacramento salutis ac fidei intereant, Sacerdote non expectato, baptizandi; cùm id euenerit, pluresque adfuerint, hunc seruari ordinem præcipimus; vt fœmina viro, minor maiori, laycus Clerico, Clericus Sacerdoti, Sacerdos proprio Parocho Baptizandi officium concedant, nisi fortè mulier, aut minor formam baptizandi melius, quam alij, qui adessent, teneret; tum enim relinquendum id munus illi est, qui exequendi ritum, formamque Sacramenti peritior fuerit. Quod si parienti mulieri nemo adsit, eaque edito infanti haud dubium instare interitum intelligit, parenti quoque filium ex se genitum baptizare fas, iusque fuerit. Rectè tamen faciet si postmodum rem ad confessorem suum deferet, vt si quid fortè erratum ab illa fuerit, confessoris iudicio expietur. Verùm ne quid erretur, curæ esse Parochis volumus, Baptismi formam omnes quidem docere, ne quis eam ignoret; sed præcipua diligentia obstetrices suæ quemquam Parochiæ instituere, vt verba quibus Sacramentum efficitur, memoria probe teneant; eaq; sciant non interruptè, sed continenter esse pronuncianda; nec ab vno ea proferri, ab alio aquam infundi fas esse, sed necessariè ab eodem vtrumq; peragendum. Item non ante, aut post prolata verba fundendam aquam, sed eodem tempore, sic vt neque dictio prius absoluatur, quàm cœpta fundi sit aqua, neque ea demum effusa, oratio inchoetur. Sciant quoque non quamuis corporis partem, sed caput tantùm esse proluendum; idque quando fieri potest, terna effusione; sic vt vna Patris, alia Filij, tertia Spiritus sancti nomini respondeat. Ne illud quidem obstetrices ignorare Parochus patiatur, fœtum in vtero matris adhuc latentem baptizari non posse; si tamen capite extaret, & ex parturiendi difficultate laboraret mater, pueroque imminens periculum vrgeret, haud dubitanter eum baptizent; nec si vixerit iterandum Sacramentum fuerit. Secus si membrum aliud emissum foret; quod licebit quidem instante periculo solemnibus verbis abluere, sed si euaserit infans, baptizandus iterum erit, cum ea scilicet conditione: Si es baptizatus, ego te iterum non baptizo; si non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Item quia baptismi

tiſmi ſacro procurari niſi viues nemo poteſt, ſi pars modo corporis extet, & ignoretur an extinctus infans invtero ſit, in eo ipſo baptizádo membro, quod eminet, ea conditio adhibeatur: Si mortuus non es, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, amen. Præcipiat autem obſtetricibus Parochus, vt cũ infantem baptiſmo affecturæ ſunt, curent duos ſaltem teſtes, ſeu viros, ſeu fœminas præſentes adeſſe. Quos deinde ipſe, ſi res in dubitationem venerit, de forma, verbiſque ab obſtetrice prolatis interrogare ac ſciſcitari poſſit. Poſtremò id quoque eaſdem obſtetrices Parochus moneat, ne paſſim baptizandis pueris manus admoueant, ſed tantùm cùm periculum vitæ imminere ita videtur, vt differri baptiſmum non poſſe exiſtiment. Alioquin Eccleſiç ritum, & ſolennes cerimonias omittere ſine crimine, atque adeo ſine irregularitatis noxa non licet.

*De repetendo Baptiſmo non ritè baptizatis.* *Cap. 39.*

SEMEL infuſu aquæ ritè ablutum, baptizatùmque, qui iterum baptizaret, graui ſe piaculo obſtringeret, & irregularitatis labem contraheret, planeque capitale facinus admitteret; id enim eſt eius generis Sacramentũ, quod animç characterem imprimit ſic, vt abſtergi inde, aut deleri nunquam poſſit; ac ex eo ne repeti quidem, atque iterari amplius debet. Ergo ſi quando ob periculum baptizatus quis domi fuerit, caueat Parochus ne ad ſe delatum inde infantem temere baptiſmo admoueat, antequam diligenter à quo, & quo modo baptizatus ſit, percunctatus fuerit. Si dubium eſſe compererit, an ritè procuratus ſit, tùm demum iterum baptiſmo perfundat, illa adhibita conditione. Si es baptizatus, ego te iterum non baptizo; ſi non eſt baptizatus, Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, amen. Sin autem rectè omnia peracta cognouerit, tùm tantùm ſolemnes ritus precationeſque adhibeat; abluendo iterum puero penitus abſtineat. Qui mos etiam in infantibus expoſitis tenendus erit, niſi haud dubia in eo ſuſcepti baptiſmi ſigna apparuerint. Atque hanc quoq; ipſam baptizandi conditionem conſiderate admodum, & cautè Parochi adhibeant, nec niſi diligenter ante omnibus exploratis, de Sacramento ritè peracto minimè conſtiterit.

*De Baptiſmo non differendo.* *Cap. 40.*

NE ex longiori mora, ac dilatione Sacramenti, periculum infantibus aliquod creetur, edicimus parentibus, alijſque quibus ea cura incumbit, ſub excommunicationis pçna, vt ne vltra nonum diem, à die quo natus puer erit, baptiſmum eius differant, ſed intra id tempus ad eum Sacramento procurandum ad Eccleſiam deferant; aut ſi id facere periculo aliquo prohiberentur, domi eum ſeruatis, quæ ſupra præcepimus, baptizandum curent.

*De Ritu Baptizandi. Cap. 41.*

SACERDOS ad miniſtrandum baptiſmi Sacramentum, quo nobis aditus ad cœlum aperitur; non niſi ſacra Confeſſione procuratus, & ab omni mortali peccato expiatus, accedat; quod in alijs quoq; præſtandis, exhibendiſque Sacramentis ſeruandum ſibi eſſe intelligat. Ritu verò cerimonijſque ijs vtatur, quas Sancta Romana tradit tenetque Eccleſia, quæ ferè non mergere in ipſum fontem caput infantis, ſed aquam in eum infundere conſueuit, neque id manu, ſed vaſculo ad id comparato, ac ter effuſionem repetere ad patris ſcilicet, ad filij, & ad Spiritus ſancti nomen. Quæ verba eodem ſemper tempore cùm funditur aqua, vt ſuperius docuimus, proferenda erunt, & inde chriſmatis oleo puer vngendus; quod quidem oleum, caueat Parochus, ne aliud quàm quod eodem anno conſecratum ſit, adhibeat; quod ſi quis ſuperioris anni, aut vetuſtiore oleo vſus compertus fuerit, ſeuere à nobis punietur. Statas autem, & ſolemnes cerimonias nemo, ne Parochus quidem extra Eccleſiam in priuatorum domibus, in adminiſtrando Baptiſmo adhibeat, ne in neceſſitate quidem, niſi id ei à nobis ob iuſtam aliquam cauſam permiſſum fuerit. Cùm enim infans ob periculum domi baptizandus eſt, ſat fuerit præſcripta forma, materiaque Sacramentum conficere, cerimoniæ ſolemnes, ritusque in Eccleſia, ſi euaſerit puer, peragantur. Parochus infantem ad ſe delatum, ſi alterius Parochiæ eſſe percunctando compererit, à Baptizando eo abſtineat, ad ſuumque Parochum remittat, niſi neceſſitas aliqua, aut periculum moram non admitteret. Conſuetudinem baptizandi meridie pueros, non probamus, ſatius, aptiusque ducimus id mane, dum in Eccleſia diuina officia celebrantur, Sacramentum adminiſtrari, hortamurque omnes, vt illud potius deligant tempus, cùm frequentes fideles ad ſacra conuenire, quàm cùm ſolitudo eſſe in Eccleſia conſueuit. Sed nec ante ſolis ortum, nec poſt occaſum, baptiſmum in Eccleſia, niſi ſi ratio neceſſitatis cogeret, adminiſtrari volumus.

*De Adultis Baptizandis. Cap. 42.*

SI forte quis adultæ ætate ad Baptiſmi Sacramentum ſuſcipiendum acceſſerit, is non ſolùm ante Chriſtianæ diſciplinæ rudimentis, præceptiſque imbui, atque inſtrui debet, ſed diligenter etiam moneri, vt anteactæ vitæ peccatorumque, quæ admiſit pœnitentiam concipiat, deſtinetque animo ijs in poſterum penitus abſtinere. Anteomnia verò animaduertendum erit, vt pro nouo Chriſtiano improbus impoſtor nobis ne intrudatur. Neque enim,

(& si dictu horribile sit) defuere interdum nefarij, ac scelerati homines, qui quæstus causa Turcas se, aut Iudæos fingentes, huic diuino Sacramento, per summum nefas, illusere, illudque sæpe ac pluribus in locis ad pecunias corrogandas, suscepere. Hæc impia fraus vt vitetur, diligens erit studium, in istis hominibus dignoscendis, adhibendum; qui nisi à probatis viris obsignatum, ac minimè dubium testimonium attulerint, penitus erunt reiiciendi.

*De Patrinis Baptismi.*

*Cap. 41.*

PATRINI ad suscipiendos è baptismo pueros, excommunicati, facinorosi, aut qui eo anno in Paschate confiteri, & sacram Eucharistiam sumere neglexerunt, non admittantur; nec qui confirmati non sint, nec quisquam sacris præditus ordinibus, nisi permissum à nobis fuerit, nec quattuordecim annis minores, nec plures, sed singuli vir vnus, vnaque ad summum mulier, recipiantur. Atq; hi doceantur quam cum infante baptizato parentibusque eius affinitatem inierint, quæ huiusmodi est, vt nec inita inter eos nuptiarum fœdera iungi patiatur, & iuncta dirimat; quamque pro eo sponsionem Deo, atque Ecclesiæ fecerint, quod officium monendi eum vt Christianas virtutes, iustitiam, castitatem, & charitatem colat, instituendique in Christianæ fidei ac disciplinæ rudimentis, si parentum pueri in eo cura diligentiaq; cessaret, susceperunt; itaque qui præcepta Decalogi, aut saltem Dominicam orationem, Salutationem angelicam, & Symbolum Apostolorum ignorant, ad suscipiendos è fonte pueros ne recipiantur. Qui enim docere alios hæc poterunt, quæ ipsi non tenent? Moneant præterea Patrinos Parochi, vt hoc officium non per iocos, & vanitatē, sed grauiter piequè obeant, viri, vt gladios, telaq;, & arma ponant, fœminæ, vt modesto in cultu, habituq; corporis, animiquè accedant, vt ne quibus pompis pro alio abrenunciaturæ adueniunt, earum ipsæ ostentatrices existant, & ipsorum quoque infantium cultus magis simplicitate; quod, & ætatem eorum, tùm primum vitam ineuntium, & mysterium quo initrantur decet, quàm sumptu laudetur, linteis tegantur puris mundisque, potius quàm magno opere elaboratis, multo minus serico, auroque intextis; ne interroganti Sacerdoti, an Sathanæ pompis abrenuntient, re ipsi negare videantur, quod Patrini eorum pro ipsis palam verbis profitentur.

### *De Nominibus imponendis. Cap. 44.*

ILLVD quoque monitos omnes volumus, vt liberis ſuis nomina imponant ab illis ſanctis viris potius deſumpta, quos Chriſtianæ pietatis gloria, & affirmata miraculis fides, ac religio, ad cælum extulit, quàm eorum, qui tantùm ciuilibus, aut bellicis laudibus claruerunt. Nam præterquam quod ipſo ſanctorum nomine ad imitationem veræ virtutis, atque innocentiæ excitamur, etiam patronos apud Deum eos adoptare, magno noſtro cum animi, atque corporis emolumento, poſſumus.

### *De Libro Baptizatorum. Cap. 45.*

EAM curam etiã, atq; etiam Parochis mandamus, vt baptizatorum nomina in codicem, eius rei cauſa cõparatum, referant; eo ſcilicet ordine, vt primò annus, dies menſis, quo quiſque baptizatus, atque item quo editus in lucem fuerit, ſcribantur; deinde Sacerdotis ipſius, qui baptizauit, & baptizati infantis nomen, poſtremo nomina quoque, & cognomina parentum eius, & Patrinorum. Adnotent etiam ſi puer qui baptizandus offertur iuſto matrimonio, aut ſecus ſit natus; & ſi parentes ignoti fuerint, id quoque ipſum perſcribant; neque eorum nomina omittãt qui baptizati domi, aut cum conditione rebaptizati fuerint. Atq; hic quidem liber cum diligenter ab vnoquoq; Parocho conſeruetur, tùm exemplum eius quotannis in Epiſcopale Archiuium cuſtodiendum referatur. Quin etiam vt in eo, ne quid varietur, ſed vniuſmodi omnibus formula teneatur, eam hoc loco ſubſcribendam eſſe cenſuimus.

### *Formula referendi in Librum Baptizatorum nomina. Cap. 46.*

ANNO Domini.... die.... Menſis.... Ego N. Parochus huius Eccleſiæ N. baptizaui infantem natum die.... ex coniugibus N. & N. huius Parochiæ, cui impoſitum nomen eſt N. Patrini eius fuerunt N. N. & N. N. ſi non fuerit iuſto matrimonio natus, Parentum nomina nihilominus adſcribuntur, niſi aut vitanda infamiæ cauſa prætermittenda videantur, aut ignorentur. Ac tùm addantur hæc verba, cuius parentes ignorantur. Si infans Expoſitus fuerit, ſcribatur quo die ſit repertus, & quot natus dies credibile videbitur. Si domi ob periculum imminens ſit baptizatus, eius rei mentio fiat, dieſque quo delatus ad Eccleſiam fuit adſcribatur. Si non a Parocho, aut cum conditione ſit baptizatus, eius quoque rei mentio fiat.

*De Infantibus à parentum cubilibus ſeponendis.*
*Cap.* 47.

ADMONEANT Parochi parentes, alioſque ad quos ea cura pertinebit, atque adeo ijs excommunicationis pœnam noſtris verbis denuntient, ne infantes ſecum in eodem cubili habeant, niſi cùm biennium expleuerint; ne tenera, & imbecilla corpora per ſomnum (quod ſæpe accidiſſe compertum eſt) ab imprudentibus miſerè, nec ſine immanis facinoris noxa, opprimantur, ſuffocenturq́ue. Quod ſi qua mulier ſpreto periculo, ac monitione noſtra, necati infantis crimine deferetur, non abſoluatur, niſi ea pęnitentia impoſita, cuius exemplum cæteros ab ſimili immanitate deterreat.

*De Puerperis.* *Cap.* 48.

QVÆ mulieres ab recenti partu conualuere, eas moneat Parochus, & ſi nullo præcepto aſtringantur, tamen piè ac religioſè facturas, ſi domo egreſſæ nuſquam aliò priuſquam ad Eccleſiam adeant, ibique & Deo prolis datori gratias agant, & à Sacerdote benedictionem more antiquitus tradito recipiant. Vt autem ſuperſtitioſus ille mos, inaniſque opinio, quam apud pleraſq; percrebuiſſe in Diœceſi noſtra accepimus, poſt editum partum domo niſi Veneris die non egrediendi, quod planè ſibi perſuadeant ex eo inſequenti grauiditate marem enixuras, aboleatur, radicituſq́ue ex nuptarum animis extirpetur, & omnes non ex vana dierum egreſſuumq; obſeruatione, virilis, aut muliebris ſtirpis fętus concipi, ſed diuinæ voluntatis nutu gigni intelligant; ipſas quidem admonemus nuptas, ne ſe patiantur his ſuperſtitionibus obligari, animumq́ue vana opinione liberent; ſed Parochis alijſque Eccleſiarum cuſtodibus præcipimus, ut mulierem quam poſt editum partum domo Veneris die primum exijſſe ob anilem iſtam ſuperſtitionem compererint, Eccleſiæ aditu prohibeant. Caueat vero Parochus, ne ſi puerpera ad Eccleſiam venire, aut neglexerit, aut valetudine impedita nequiuerit, ipſe impertiendæ benedictionis gratia domum ad eam ſe conferat.

*De Baptiſterio ſeu Fonte Baptiſmi.* *Cap.* 49.

CVM tanta huius Sacramenti dignitas ſit, locus quoque ipſe, & vas vbi peragitur, magno cum honore eſt habendum. Collocetur igitur in parte Eccleſiæ maximè conſpicienda; & vbi Sancti Ioannis Baptiſtæ Sacellum, ea amplitudine, & forma eſſet, quę capere Baptiſterium cōmodè poſſet, in eius medio rectè ſitum videretur. Vas ipſum, in quo aqua conſecrato admixta oleo aſſeruabitur, marmoreum ſit, aut ex lapide ſolido, ac minimè ſpongioſo; columellæ item marmoreę, ſculptili opere, atque ornato elaboratę, impoſitum.

Ipſa

Ipſa columella, ſua nitatur baſi triangula, aut quadrangula, aut alia apta decoraque forma, & ſi locus patiatur, ita eleuetur, vt ad eam gradibus circum eodem marmore confectis, vndique aſcendatur. Ipſum marmoreum Aquæ vas contegatur operimento, quod ciboriũ vocant, ex ſiue eodem marmore (ſi Eccleſiæ dignitas, & facultates id ferent) ſiue e ligno eleganter, & elaborate fabrefacto, auro etiam, & picturis variato, rotunda, & orbiculari forma, columnis paruis, piliſuè diſtincta, & altè concamerata, fornicataque, & in eius faſtigio ſtatua Sancti Ioannis Baptiſtæ Chriſtum baptizantis apta magnitudine collocetur; ſingula operimenti, ſeu ciborij ſpatia, aut intercolumnia, valuulis affabre factis ita occludantur, vt cùm vſus fuerit, amoueri, ac patefieri poſſint; per quas inſertum infantis caput aqua à ſacerdote commodè perfundatur, ipſæ verò valuulæ interius vncis contineantur, & vna earum pæſſulo, ſera, claui firmetur, clauis à Parocho diligenter cuſtodiatur, nequid inde aquæ à maleficis, aut ſuperſtitioſis ſurripiatur. Totum verò opus ne quid intus pulueris, aut ſordium per rimas penetret, non ſolùm ſtudioſè tabulis inter ſe hærentibus committatur, ſed præterea Conopæo coloris albi ex ſerico, & in Eccleſijs tenuioris cenſus ex linea tela contegatur. Hic aqua benedicta totum annum cum cura aſſeruetur; caueaturq́, ne dilabi, aut effluere per rimas ſenſim poſſit. Anno vertente, pridie Paſcatis, aut Pentecoſtes renouetur, & vas diluatur, diligenterq́ue purgetur, ac detergatur.

*De his quæ in Baptiſterio aſſeruari debent.* Cap. 50.

IN ipſius operimenti parte ea, quæ commodior viſa fuerit, inædificetur armariolum, in quo Vaſcula oleorum Chriſmatis, & Cathecumenorum recondantur, item Ritualis liber, & ſudariola, quìs ablutus, atque inunctus infans abſtergatur; atque hæc neque attingi à laycis Parochus patiatur, neque ipſe alium ad vſum vllum adhibeat, eaque candida ſemper, & ab omni ſorde munda vt ſint, operam dabit. Item ſalinum cum albo, ac probo ſale, & argenteum coclear, benè atque aptè cauatum, ad infundendam in baptizandi caput aquam, quod manubrio, à ſuperiore parte adunco, clauo, ad id intra ipſum operimentum infixo appendatur, quo ad manus ſemper ſit ſacerdoti baptizaturo. Vbi fieri argenteum propter Eccleſiæ tenuitatem nequiuerit, comparetur vaſculum vitreum, elegantis formæ, & ex eo aqua infundatur. Et quacunque materia fuerit, ſæpe diligenterque lauetur, vt nihil non purum, non mundum, non nitidum in huius Sacramenti tractatione cernatur.

*De Fonte Baptiſmi non alibi, quàm in Parochialibus Eccleſijs habendo.* Cap. 51.

QVAMQVAM ſi neceſſitas inſtet, & ab omnibus, & vbique impartiri baptiſmus poſſit, tamen vt ſalutis Sacramentum non niſi ritè, in

Ecclesia à peritis conferatur, & rei rectè administratæ ratio constet, & baptizatorum nomina in certum librum, vt vsus postulat referantur, non alijs in Ecclesijs baptismi fontem haberi volumus, quàm in Parochialibus, nisi fortè, quia Parochialis Ecclesia longius abesset, nobis aliter populi commodo consulendum esse visum fuerit.

*De Sacrario. Cap. 52.*

BAPTISTERIO proximum sit sacrarium. Id à pauimento duos saltem cubitos emineat. Vase rotundo, siue alterius formæ ad cubitum lato, concauoque è marmore, seu solido alio ex lapide constet, columellæ imposito ac firmè hærenti. Columella ipsa lato foramine tota in longitudinem pateat, per quod aqua aliaque in vas proiecta defluant, cisternulaque sub terra excipiantur. Ipsum verò vas ligneo integumento vndique claudatur, claui seraque adhibita.

## DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS. CAP. 53.

CONFIRMATIONIS Sacramentum, quo non solùm immensum illud fidei, & salutis beneficium, quod in Baptismo accepimus, sancitur nobis, & roboratur, sed nouo etiam beneficio, & gratia, quod proprium cuiusque Sacramenti est, augemur, & cumulamur, & aduersus cõmunem generis nostri hostem, carnisque ac voluptatum illecebras, & mundi humanarumque opum cupiditatẽ, armamur, & munimur, & vt repugnare atq; obsistere vitijs possimus, vis nobis, & fortitudo additur, pari diligentia, ac religione administrandum, ac suscipiendum est. Et Parochi nullum tempus, sed minimè omnium dies, qui Pentecosten antecedunt, omittere debent, populum Sacramenti huius vim, ac naturam docendi.

*De differentia Baptismi, & Confirmationis. Cap. 54.*

DIFFERT Confirmationis Sacramentum à Sacramento Baptismi, primum quidem materia, & forma, quæ longe diuersis rebus constant; deinde quòd non eadem ex vtroque gratia, sed planè alia in nos manat; Baptismo quippe in nouam geniti vitam, veluti adolescimus, Confirmatione in viros euadimus; illo esse incipimus, hac incrementum capimus; illi generandi vis, huic augescendi inest; ille mentem fide imbuit, hac nulla pro fide pericula reformidare discimus; illo in militiam adscribimur, hac vires ad pugnam adipiscimur; denique baptismi aqua abluimur, confirmationis oleo roboramur.

### De Ministro Confirmationis. Cap. 55.

SACRAMENTI huius ea dignitas est, vt illius conferendi ordinariam potestatem, præter Episcopum habeat nemo; quòd quemadmodum in ædificijs extruendis aliorum quidem aliæ partes sunt, operis tamen perfectio vnius esse Architecti dicitur; ita hoc Sacramentum, quo veluti spirituale ædificium perficitur, non alterius quàm summi Sacerdotis, idest Episcopi, manu cõsummari, ac ministrari videtur debere. Quod cùm vetusto Catholicæ Ecclesiæ instituto, vsuque probatur, tùm verò à concilio Tridentino, sublata omnis eius rei dubitatio est; in quo Patres ordinarium confirmationis ministrum solum esse Episcopum negantes, anathema esse sanxerunt.

### De Materia Confirmationis. Cap. 56.

MATERIA ex gemino liquore, oleo scilicet, & Balsamo constat, quod ab Episcopo solemni ritu consecratum, Chrisma, diuinarum rerum scriptores, appellarunt. Et Fabianus Pontifex Max. Apostolos Chrismatis conficiendi institutum à Domino accepisse commemorat; & aptissime hęc materia illud efficere, quod nobis hoc Sacramento præstatur, videri potest. Cùm enim oleum, & fluat, & pingue sit, facile gratiæ plenitudinem, quæ à Christi capite in alios redundat, dicitur significare; & balsamum cuius iucundus in primis est odor, rectè virtutum suauitatem, quæ ex hoc Sacramento existit, exprimere videtur, & cùm ea natura illius sit, vt putrescere quę circumlinierit non sinat, gratiam, quæ confirmatione nobis tribuitur, quaque à contagione scelerum defendimur, congruenter creditur designare. Atque hæc est confirmationis materia.

### De Forma Confirmationis. Cap. 57.

FORMA autem, & verba, quibus id Sacramentum perficitur, sunt isthęc. Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Qua quidem verborum forma aptè natura, & substantia huius sacramenti explicatur; primùm diuina potestas, à qua donum gratiæ manat; deinde robur, ac firmitudo, qua animus augetur; postremò signum, quo in certamen, pro nomine ac fide Christi, descendimus. Scilicet diuina vis in Patris, & Filij, & Spiritus sancti nomine demonstratur. Fortitudinem, ac virium incrementum illa verba designant, Confirmo te Chrismate salutis; signum verò illa, Signo te signo crucis. Quæ cùm rationi consentanea sunt, tùm auctoritate Catholicæ Ecclesiæ ita sanciuntur, vt dubitandi locus nobis nullus relinquatur.

De

*De statuenda Confirmationi die, ac de Parochi in ea re officio.* Cap. 58.

QVO sanctum hoc Sacramentum qua oportet religione, atque ordine suscipiatur, Episcopus proposito edicto diem locumque statuet, quam ad diem, quemque ad locum conuenire populus debebit. Id Parochi vbi ex Episcopi edicto cognouerint, suum quisque populum de ea re admonebit, ac de Sacramenti ipsius vi, & ratione, quam maximè ex Romano Cathechismo haurient, apud populum ipsum, quo tempore frequentior ad sacra conuenit, edisserent; vt quisque quæ sit nominis huius notio, quæ Sacramenti materia, quæ forma, quis minister, in quo differat à Baptismo, quas vtilitates habeat, intelligens, maiori inde omnes religione rem celebrent. Instruent pręterea ijdem Parochi ex huius ipsius Synodi decretis, tam eos qui confirmandi erunt, quàm Patrinos eorum, quæ ratio, disciplinaque in huius officij munere obeundo tenenda ijs sit, vt res cùm piè sanctèque, tùm rectè, atque ordine peragatur.

*De Patrinis confirmationis.* Cap. 59.

PARI ratione atque ad baptismum, etiam ad Confirmationem Patrini adhibentur. Nam sicuti cùm pugnam quis, ac singulare certamen est initurus, dimicandi, ac digladiandi peritum aliquem consulet, cuius arte, consilioque aduersos ictus, ac petitiones declinare, & inferre ipse vulnera, & hostem sternere, & conficere discat; ita cùm Sacramento Confirmationis, veluti ad dimicandum contra dęmonem armamur, accingimurque, duce ac monitore indigemus, à quo quæ cauenda, quæ sequenda in hostili congressu sint, edoceamur. Vnde rectè ab Ecclesia institutum est, vt ad Sacramentum Confirmationis Patrini aduocentur; cum quibus eadem spiritualis affinitas iungitur, quam contrahi cum suscipientibus è baptismo memorauimus; eodemque obstringuntur officio monendi eos, atque in Christianæ disciplinæ institutis continendi. Illud quoque obseruetur, vt nec fœminis mares, nec maribus fęminæ Patrini officium præstent, sed suo quisque sexui Patrinus adhibeatur. Ac ne senibus quidem adolescentes, cùm neutri ætati conuenire id videatur; nec Parochus vllos officium offerendi alium ad confirmandum obire patietur, qui ipsi confirmati non sint, nec quisquam plures eodē die quam duos, aut ad summum tres sustineat. Patrini, quem Episcopo confirmandum obtulerint, dextera manu veteri more sustentent; At si adultior, qui offertur fuerit, altero pede dexterum Patrini pedem premat, ac tùm vtrique stantes Episcopo se sistant; quo ritu qui ante Sacramentum infirmi debilesque eramus, sic vt alterius adminiculo egeremus, eo demum suscepto fortitudinem nobis ac robur additum, significatur. Patrinos ei quem susceperunt, aut parentibus eius, dono dare ac largiri quicquam penitus vetamus, ne hinc cupidis, atque auaris occasio iterandi,

di, quod fas non est, huius Sacramenti, quæstus ac munerum causa præbeatur. Ipsi verò Patrini, si rudes nimis videbuntur, de Dominica oratione, de Salutatione Angelica, de Symbolo Apostolorum, ac de Decem præceptis Decalogi interrogentur, ac si ea ignorauerint, ab officio reijciantur; item arma deponere, ensem pugionemque iubeantur, memores, ea officia piè, atque animo religiosa humilitate affecto essa obeunda.

*De ætate Confirmandorum.* Cap. 60.

QVAMQVAM nulla ætas à suscipiendo hoc Sacramento, post receptum baptismum omnino excludatur, tamen quia id non est huiusmodi, sine quo salutem adipisci non possimus, præstare videtur illud in eam ætatem differre, quæ rationis vsum habeat, vt qui suscipiunt, & vim gratiamque, quæ eo confertur, mente concipere, & rei actæ meminisse possint; sæpe enim accideret, si infantibus quoque qui rem tenere memoria nequeunt, tribueretur, vt contra Sacramenti naturam, quo caracter animæ imprimitur, ab adolescente per ignorantiam, aut obliuionē, repeteretur, quod infanti semel collatum esset. Id vt vitetur, & ab gnaris rei ipsius Sacramentum percipiatur, expectari duodecimum annum satius existimatur; cùm neq; necessitate eius teneamur, & ad pugnam pro Christi fide, vt dictum superius est, eo instruamur, ad quam certe pueri rationis vsus adhuc expertes, adhiberi non videntur debere. Nos ne maturius æquo suscipiatur, ne ve dilatum, sine eo decedendi periculū afferat, quod committendum nemini sanè est, statuimus, vt neque ante expletum septimum annum quisquā ad confirmationem adducatur, nec duodecimo transacto, per negligentiam omittere vlli liceat. Qui adultiori ætate fuerit, ad hoc Sacramentum suscipiendum ne adeat, nisi prius per confessionem, & pęnitentiam à peccatis omnibus fuerit expiatus. Si autem ex iusta aliqua, atq; adeo necessaria causa nobis minori etiam septennio tribuendum esse hoc Sacramentum videretur, volumus, vt Parochus parentes, aut curatores eius moneat, vt progrediente ætate puerum sæpe de eo edoceant, ne ipsis inde diem suum obeuntibus, ille se confirmatum ignorans, de integro (quod nefas est) confirmandum se curet.

*De ægrotis Confirmandis.* Cap. 61.

ET si, vt dictum est, non ea necessitas sit huius Sacramenti, vt salui esse, & cælestem beatitudinem consequi sine eo non possimus, tamen cùm tam multiplici gratiæ munere nos affici, eo percepto, intelligamus, committere non debemus, vt tam opportuni præsidij adiumento priuemur ne ægri quidem, & in postremo vitæ cursu versantes, tùm quia in ipsa morte robustiores ad pugnam, quam acerrimam tùm maximè animarum nostrarum hostis

mouet,

mouet, efficiemur, tùm quia ad recipienda anteactæ militiæ præmia transeuntes, optare debemus, vt Christiani quoque militis signum in nobis ne desideretur. Et Episcopus quidem si ab ægroto id expeti intellexerit, humanitate, & charitate qua debet, & inuisat illum; & Sacramento rite confirmet.

*De corporis habitu, quo accedi ad Confirmationem debet.* Cap. 62.

NON animo solùm ad religionem commoto, & à peccatorum maculis expurgato, sed corpore etiam curato, ac mundo, atq; omnis inanis ornatus experte, accedere ad confirmationem fideles conuenit. Viri ergo siue alium oblaturi, siue ipsi Sacramentum suscepturi, non nisi simplici, ac virili cum cultu, & gladio, armisque depositis adeant. Fœminæ cincinnos exquisitiori arte compositos tollant, vnguentis, fucisque, ac ditibus ornamentis, auro, gemmisq; abstineant. Omnes tam mares, quàm fœminæ caput lauent, crines à fronte remoueant, mares etiam tondeant, vtrique sudorem abstergant, ne quid impedimentum applicando Sacro Chrismati afferat, quo in crucis formam signanda, atque linienda frons est.

*De loco, & ratione administrandi Confirmationem.* Cap. 63.

VBI commodè poterit, non alibi quàm ante altare maius ministrari confirmationē volumus, idq; quam apparatissimè instrui, ornariq; iubemus, si pauci confirmandi fuerint, singuli ab singulis Patrinis adducantur, sine tumultu, ac strepitu, non vt alter altero prior, sed cum proximo quisque modestia, officio, humanitate, silentio contendat. Si multitudo confirmandorum frequentior conuenerit, tùm circa idem altare spatium, quantum visum fuerit, oblongis scamnis concludatur, circumque ea extrinsecus confirmandi, cū suo quisq; Patrino, genibus nixi, manibus ante pectus iunctis, consistant, illudque spatium ab interiori parte, nisi graue fuerit, obeat Episcopus, & suo quemque loco confirmet, primò quidem mares, deinde, ijs dimissis, fœminas; nam expectare, vt singuli ad sedentem Episcopum adducantur, si ingens numerus sit, longum molestumque foret. Si fieri commodè poterit, danda opera erit, vt hora potissimum tertia Sacramentum ministretur, id enim veteri ritu proprium ac statum eius tempus esse existimatur; ac tùm quidem nemo, nisi ieiunus ad illud suscipiendum accesserit. Vt quisque confirmatus, ac Chrismate in fronte delibutus fuerit, ita a Sacerdote ad id constituto, bombice diligenter detergatur, ac præterea linea fascia; quam domo quisque secum afferre debebit, frons, locusque signatus obligetur. Nemo ex aliena Diœcesi nisi proprij Episcopi permissu ad confirmationem admittatur. Parochus edicat omnibus, ne quis ante rē peractam, solemnesq; precationes ab Episcopo habitas, &

bene-

benedictionem, de more, receptam, diſcedat, niſi fortè neceſſaria aliqua cauſa ſubigeretur.

*De Libro Confirmatorum. Cap. 64.*

SINGVLI cùm ad ſuſcipiendum confirmationis Sacramentum accedunt, Schedulam Parocho tradendam afferant, quæ vniuſcuiuſque nomen, nomina item, & cognomina parentum, & Patrinorum ſcripta habeat. Quæ omnia Parochus in librum ad id comparatum ordine referat, addito die, menſe, anno, quo Sacramentum adminiſtratum fuerit, atq; huius libri exemplum à Parocho in Epiſcopale Archiuium quotannis referatur.

## DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ. CAP. 65.

DE Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento nihil dignius, veriuſque dicere, aut diſſerere videmur poſſe, quàm fateri maieſtatem eius ſilentio potius, & cultu venerandam nobis, quàm ſupra mortalitatis vires, ad illius vim magnitudinemque prædicandam, explicandamque aſpirandum eſſe. Sed quemadmodum ex omnibus Ieſu Chriſti Domini ac Saluatoris noſtri beneficijs myſterijſque, & adiumentis, quæ ad æternæ vitæ beatitudinem conſequendam, nobis reliquit, nullum cum munere Euchariſtiæ, vel dignitate, vel fructu conferendum eſt; ita nullius ſceleris crimen grauiore eſt piaculo luendum, quàm rem non ſanctam modò, ſed ſanctitatis auctorem continentem, minus ſanctè, minuſque religioſe tractare; nam vt ipſe denunciauit Apoſtolus, iudicium ſibi manducat, & bibit, qui illud indignè manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Nos verò quo, non ſolùm minus piè culti iram non prouocemus, ſed cœleſti Sacramento cœleſtes honores lætis, & ab ſtabili fide confirmatis animis tribuamus, ab eo quale ſit inquirendo, & curioſius veſtigando, mentem cohibeamus; nec ſenſibus perpendere, ac iudicare audeamus, quod ne ipſa quidem intelligentia, niſi fide illuſtrata, ob ſuę naturæ imbecilitatem aſſequatur. Res nobis tota eo ſcilicet vnico argumento ſtet, non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum; ſicut enim ſumma rerum omnium poteſtas auferri à Deo non poteſt, idque fateri omnes coguntur, ita fateantur omnes neceſſe eſt, potuiſſe Deum id efficere, quod Catholica Eccleſia in hoc Sacramento admiratur & colit. Atque hoc veluti clipeo fidei tecti, munitique, omnes infirmæ, & ægre ſe à terra tollentis noſtræ mentis cogitationes, vanaſque dubitationes, quas plerumq; ad noſtram debilitandam oppugnandamq; fidem, perennis animæ noſtræ hoſtis ſubijcit, repellamus, penituſque reijciamus.

*De Eucharistiæ institutione, & transubstantiatione.* Cap. 66.

IPSE idem humani generis Redemptor, eodem immensę charitatis studio, quo vt homo fieret, mortemque salutis nostræ causa sustineret, adductus est, instante iam Passionis suæ tempore, vt in cęlum tandem, vnde venerat abiturus à nobis tamen non discederet, sed perpetuò præsens nobis adesset, perpetuumque, ac infinita bonitate sua dignum amoris, quò nos vsque in finem dilexit, pignus relinqueret, Sacramentum hoc corporis sui instituit; vt qui è cęlo ad nos redimendos descenderat, sua nos præsentia nunquam destitueret, naturam certè, quam à nobis sumpserat, à nobis nunquam auferret. Peracta igitur cęna, panem accepit, & Deo gratias agens, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & dixit. Accipite, & manducate; hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem accepit postquam cænauit, dicens. Hic Calix nouum Testamentum est in meo Sanguine, hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Atque hæc origo est, hæc institutio diuini, atque admirabilis Sacramenti; cuius institutionis vi, atque auctoritate à Domino in discipulos transfusa, & à Discipulis in Sacerdotes omnes propagata, effectum inde admirabiliter est, vt ab his consecrata ritè hostia, in illud ipsum corpus transmutetur, & transubstantietur, quod natum ex Maria Virgine, crucifixum, mortuum, ac sepultum est, & in Cœlo ad dexteram Patris sedet. Et eodem modo vinum quoque in sanguinem. Nam formæ consecrationis verba, ex Sacramentorum natura, quod significant, id etiam re ipsa efficiunt. Et quia corpori sanguis, & sanguini corpus, anima, & diuinitas coniunguntur, nec ab eo separari fas est credere; ita fit, vt ipse totus Dominus noster Iesus Christus, verus Deus, & verus homo, verè ac realiter tam in Hostia, quàm in Calice contineatur. Vt si adorandum, ac diuinis honoribus colendum, id nobis Sacramentum proponitur, nihil sanè mirum esse videatur.

*De Fructibus qui ex Eucharistia percipiuntur.* Cap. 67.

AT non solùm ob id, quia Deus est in Eucharistia, iure optimo summa à nobis religione colitur; sed etiam quod præsentia numinis eius maximis beneficijs, muneribusque ornamur, atque augemur. Quorum primum illud est, vt quod solis beatis spiritibus concessum videri potest, id nobis quoq; concedatur, vt Dei aspectu vsuque perfruamur: non alia sanè differentia, nisi quod illi præsentes Deum intuentur, ac sine vllius rei obiectu conspiciunt, nos præsentem quidem eum, sed corporeis oculis panis specie, vinique, veluti velo quodam, atque inuolucro abditum, non dubia tamen opinionis fide, cernimus, & veneramur. Quod est planè tantum, vt verè æstimantibus, & rem sua vi, ac magnitudine metientibus, immensum, infinitum, & prorsus huiusmodi

sit,

ſit vt illud nec oratio aſſequi, nec mens complecti poſſe videatur; quippe humanis in ſenſibus, terrenaque in vita agentibus, cœleſtium tranquillitatis, ac fælicitatis potiundæ, poteſtatem faciat. Quod ſi ſolum eſſet, tamen vnum omnium meritorum gratiam contineret. At præter id, alia item in nos bona innumera effundit. Et quòd panis ſpecie, viniq́ue includitur; idem animæ noſtræ alimentum præbet, quod verus panis, vinumq́ue humanis corporibus præſtat; niſi quòd hic quidem panis nos alens, reficienſq́ue in noſtram ipſorum ſubſtantiam vertitur; at cœleſtis ille panis, animam pariter nutriens, recreanſq́ue, in ſuam ipſius mutat naturam; ſicuti dictum ab vno veterum Patrum eſt: Manducabis me, nec tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me. Et vt ex naturali cibo corpus non ſolùm conſeruatur, ſed etiam incrementum capit; ita Euchariſtiæ cibus, & ſuſtentat animam, & viribus auget, firmatq́ue, & inde diuinarum rerùm ſtudio ac ſuauitate effert. Idem nos, qua decet pietate, ac religione ſuſcipientes, ita adiungit ſibi, vt viua corporis ſui membra efficiat, ſic enim ipſe ait, qui manducat me, & ipſe viuet propter me. At etiam peccata, quæ venialia dicuntur, eo ritè ſuſcepto, continuo ab anima noſtra diluuntur; & ipſa quoque mortalia, quę aut nobis in confeſſione exciderunt, aut quorum conſcientia propter ignorationem non tangimur. Item contra cupiditatum, ac tentationum impetum, nos armat, munitq́ue, & cedere mortiferis perturbationibus, earumq́ue infici venenis non patitur; & ſæuis præterea mali Dæmonis impreſſionibus reſiſtendi vires nobis tribuit. Et inſitam nobis, acribuſque ſæpe ſtimulis nos fodientem carnis, ac libidinis vim, frenat, & coercet; ſcilicet animam charitatis flammis incendens, luxuriæ faces neceſſariò reſtinguit. Poſtremò quod vnum inſtar omnium munus diuinæ benignitatis eſt, ducatum nobis ad æternas ſalutis, & gloriæ ſedes præbet; & ad perueniendum etiam vires ſuppetit. Et vt in vita manentibus quietem animi, & tranquillitatem eximiam præſtát, ita à corporis carcere abituri, illius virtute, ope, gratia adiuti, in cœlum liberi, atque omni peccatorum contagione ſoluti, euolamus. Ad quam ſpem illa nos Domini verba magnopere confirmant. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.

D

*De præparatione ad Euchariſtiam dignè ſumendam.* Cap. 68.

VT eos fructus, quos ſupra memorauimus, quis verè percipere poſſit, ab Apoſtoli regula non diſcedat, monentis vt probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Certè ſi domi noſtræ inſignem aliquem hoſpitem accepturi eſſemus, magnam curam ad eam non ſolùm purgandam, & vndique poliendam, ſed ad ornandam quoque, magnificeque inſtruendam, adhiberemus; ſuſcepturi hoſpitio ipſum Deum, conditorem, ac redemptorem noſtrum, quanto ſtudioſius, accuratiuſque ab anima noſtra, in qua habitaturus ille eſt, non ſolùm quicquid pollutum, quicquid turpe, quicquid ſordidum in ea inuentum fuerit, abſtergamus, abijciamuſque; ſed etiam, ne quod minus mundum, minuſuè politum, deniq; omnia nitida, ſplendidaque, & ornata vt ſint, operam dabimus? Igitur probemus noſmetipſos, ideſt peccatorum, vtique mortalium labes, per confeſſionem, & pænitentiæ Sacramentum ante eluamus; innocentiam integritatemque induamus; Tridentini enim Concilij decreto ſtatutum eſt, neminem cuius conſcientiam mortale peccatum oneret, committere debere, vt ſi Sacerdotis facultas adſit, ſine Sacramentali Confeſſione Euchariſtiam ſumat; quantumuis contritus ſibi, & ad religionē commotus eſſe videatur. Atqui nos eam ſumpturi, illud nobiſcum cogitemus, ibi pręſens eſſe verum corpus, & ſanguinem Domini; eamque illius vim eſſe, vt quemadmodum nobis pio ac fide firmato animo ſuſcipientibus, gratiam tribuit, qua beatam vitam aſſequi poſſimus; ita impurè indigneque ſumere audentibus perniciem afferet ſempiternam. Hęc reputantes, intimis profectò animis, ac tota mente contremiſcemus; ac ſi cuius improbitatis, aut flagitij conſcij nobis ſumus, priuſquam illud ex animo expulerimus, ne tollere quidem ad id Sacramentum oculos audebimus. At illud quoque prius apud ſe quiſque exploret, num pacatum ab ira, atque odio animum habeat; num proximum, vt præceptum nobis eſt, verę & ex animo diligat, omnibuſq; bene eſſe cupiat. Tanti enim Deo hæc eſt hominum inter ſe beneuolentia; vt cultum ipſum ſibi tributum, prę illa reſpuiſſe, aut certè poſthabuiſſe videatur; ſic enim ait: Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Ne illud quidem monere hoc loco omiſerimus, etſi notum omnibus obſeruatumq; eſſe non dubitamus, fas ſcilicet nō eſſe ad hoc Sanctiſſimum Sacramentum percipiendum, aliter quàm ieiunum accedere; quod ita accipiendum eſt, vt ſaltem à dimidia antecedentis diei nocte, ad illud tempus, quo Euchariſtiam ſumpturi ſumus, nihil omnino nec cibi, nec potus guſtauerimus. Et ij quoq; qui Matrimonio iuncti ſunt, diuinam ſumpturi Hoſtiam, aliquot ſaltem dies, ob Sacramenti reuerentiam, ſecubare, & ab vxoris vſu abſtinere ſanè debe-

rent.

rent. Poſtremò indignitatem noſtram taciti agnoſcentes, fatenteſque, animi demiſſionem illam Euangelici Centurionis imitemur, & orationem quoque vſurpemus, Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea.

## *De Materia Euchariſtiæ.* Cap. 69.

COMMVNIS omnium fermè gentium cibus, & potio, Euchariſtiæ materia eſt, panis ſcilicet, & vinum. Et panis quidem non alio frugum genere, ſed tantùm ex tritico confectus. Nam ordeo, milio, farre, faba, cicere, aut leguminibus alijs ſi compactus, compoſituſque ſit, Sacramenti naturam aſſequi non poterit. Quippe cùm dominus panem ſuſcepiſſe, & Diſcipulis ſuis porrexiſſe dicatur, eo autem nomine, ex communi loquendi conſuetudine, triticeus panis intelligatur; & cùm ſe aliàs Dominus grano frumenti comparauerit, & cùm panes propoſitionis in veteri teſtamento, qui huius Sacramenti figuram tulerunt, ex ſimila fierent; & præterea cùm morem hunc ab Apoſtolorum vſque ductum temporibus, Catholica Eccleſia tenuerit, non dubium eſt, ſolùm ex tritico confectum panem, aptam Euchariſtiæ materiam eſſe. Neque verò; ſi aliarum quoque frugum grana admixta tritico ſint, propterea triticeus panis eſſe deſierit; niſi ea tam multa eſſent, quæ triticum ipſum in ſuum mutarent genus, aut ex vtriuſque dimidia parte, genus quoddam tertium efficerent; ſicuti panis corrumpi cœptus, Sacramentum ſuſciperet, quanquam grauiter peccaret Sacerdos, qui eum conſecraret; penitus corruptus, quia naturam panis amiſit, Sacramentum effici non poſſet. His adijcitur, panem ipſum triticeum non alia, quàm naturali aqua ſubactum eſſe debere, neq; enim verus panis diceretur, ſi arborum ſuccis, aut humore alio ex herbis, floribuſue expreſſo, aut igne liquato fieret, quod hæc verè aqua, & ſi aqua appelletur, non eſt.

## *De Azymis.* Cap. 70.

SIVE fermentatus, ſiue Azymus panis ſit, dum ex farina tritici, vt dictum eſt, & naturali aqua confectus, apta Sacramenti materia fuerit. Sed Catholica Eccleſia, contra Græcorum ritum, fermentato abſtinet, nec ad Euchariſtiæ confectionem alium quàm Azymum panem adhibet; il-

Iam scilicet ob causam, quia panem ab ipso Domino benedictum ac Discipulis traditum, Azymum fuisse credit; quod nobilis illa cœna, qua id est Sacramentum à Domino institutum, die Azymorum celebrata est; ex eo sic dicto, quod eo tempore fermentati quidquam domi habere Iudæis, per eorum leges, non licebat. Quanquam prælatus Azymus ob id etiam est, quòd eius munditia, & candor, magis respondere mentis integritati, atque fidei, quam nos afferre ad hoc Sacramentum debemus, visus est; ex Apostoli maximè auctoritate, sic nos docentis. Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis Azymi; etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.

## De Vino. Cap. 71.

ALTERA cœlestis huius Sacramenti materia est vinum, atque id ex vitium fructu, vuisque expressum. Nam vina ex pomis, aliisvè frugibus effecta, propriè vina non sunt, neque adhiberi ad id Sacramentum possunt, cùm mero vino Dominum in sanguinis sui mysterio vsum constet; & ipse non bibiturum se amodo de genimine vitis dixerit. Quod autem de pane corrupto diximus, idem de vino quoque dicendum est. Si enim in acetum versum sit, naturam suam amisit, ac vinum esse desijt, nec ex eo confici Sacramentum potest. Vino Catholica Ecclesia inde ab initio semper, aquæ paululum admisceri à Sacerdote consecraturo præcepit; & quod idem vsurpatum à Domino veteres Patres tradidere, & quod ex eius in cruce pendentis latere lancea transfixo, cum sanguine aquam quoque manasse memoriæ proditum sit; & præterea illa aquæ admistione significari Ecclesia voluit, Christiani populi cum Christo auctore, & conditore suo coniunctionem. Sed aqua ita necessaria non est, vt si omitteretur, (quod sine mortali peccato tamen non fieret) Sacramenti ratio non constaret. Aduertere autem Sacerdotes debent, vt aquæ non nisi admodum parum, nec plus quàm quantum verti in vinum ipsum possit, infundant; repræhensos enim olim quosdam ab Honorio Pont. Max. litteris mandatum est, qui aquæ plus æquo admiscere vino essent soliti.


*De Forma Eucharistiæ. Cap. 72.*

EXPOSITA Eucharistiæ materia, ne quid in verborum forma, qua id Sacramentum perficitur, ab Sacerdotibus peccetur, quod fieri sine graui piaculo non posset, eam quoque paucis tradamus. Panis his verbis à Sacerdote, voluntatem, decretumque perficiendi Sacramentum habente, consecratur. Hoc est corpus meum. Nam verba, quæ antecedunt, & à Sacerdote iam, iamq; consecraturo proferuntur, magis vsum rei significant, quàm ad consecrationis rationem pertinent. Et quanquam prætermitti à Sacerdote nequaquam debent, ne Ecclesiæ ritum temerè mutet, aut perturbet, tamen efficientia Sacramenti non sunt. Sicuti dictio, enim, si omissa fuerit, nihil impedit Sacramenti perfectionem; sed quia vsus Ecclesiæ fert, graui se peccato obstringeret Sacerdos, qui aut studio eam, aut negligentia omitteret. Atque panis quidem consecrandi hæc forma est. Vini autem consecratio his verbis concipitur, conficiturque. Hic est Calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Gemina autem consecratio Eucharistiæ Sacramento adhibetur, quamuis vnum ipsa Sacramentum sit, tum quia sic Domini passio magis exprimitur, in qua exijsse, & diuisum à corpore sanguinem esse, traditur, tùm quia hoc cùm alatur Sacramento anima, cibo & potione constare sanè decuit, quibus integrè ipsum quoque corpus nutritur, & augetur.

*De Ministro Eucharistiæ. Cap. 73.*

CONFICIENDI diuini huius Sacramenti munus ministeriumque, non dubium est vnis Sacerdotibus esse mandatum. Infra Sacerdotij ordinem positus, nec audere debet consecrationem, nec si audeat, assequatur. Diaconis tamen attrectatio, ac distribudo Eucharistiæ, si necessitas poscat, non negatur; quanquam ab ipsis omnino Sacerdotibus id totum munus obire præstat; exemplo scilicet Domini, qui corpus suum ab semetipso consecratum, suismet etiã manibus Apostolis distribuit. Diaconis sat fuerit, sacra vasa, linteaq; contrectandi facultatem relinqui. A Sacerdote autẽ, vel nefario, & oĩbus flagitijs, omnibus sceleribus contaminato, excõmunicato etiam, etiam gradu moto, vel schismatico, vel adeo hæretico, auferri hæc potestas, nisi morte non potest, quod caracter semel animæ inditus, impressusque, nullo modo deletur amplius, aut extinguitur. Horum quidem aliorumque criminum damnatus, consecrandi iure prohibebitur, sic vt consecratione non abstinens, grauissimum contrahat delictum; potestate tamen non priuabitur; & patrata ab illo consecratio, quamuis contra fas, vera tamen Sacramenti confectio fuerit. Hæc tamen audentibus atroces pœnæ Ecclesiasticis legibus constitutæ infligerentur. Verùm illud potius Diœcesis nostræ Sacerdotes secum cogitent, statuantque, non solùm nihil aduersus leges in tam sanctæ rei actione sibi faciendum esse, sed sum-





ma religione, ac ſanctitate prædit os eos eſſe oportere, qui ad cęleſte hoc Sacramentum, vel conficiendum, vel adminiſtrandum, vel ſumendum accedunt.

*De Euchariſtia ſub vna tantùm ſpecie laycis præbenda. Cap. 74.*

QVANQVAM in vtraque materia, pane ſcilicet, & vino, Dominus Sacramentum Euchariſtiæ inſtituerit, & Apoſtolis præbuerit, & aliquando is in Eccleſia vſus valuerit, vt laycis quoque ſub vtraquę ſpecie impartiretur, tamen Eccleſiæ ipſius auctoritate ſancitum, & vetuſtiſſima conſuetudine receptum eſt, vt ſolis Sacerdotibus Sacramentum conficientibus, ipſum ſub vtraque ſpecie non ſumere ſolùm liceat, ſed prorſus neceſſe ſit; alijs in ſpecie panis tantùm miniſtretur. Id autem ita ſanciendi grauiſſimas, & iuſtiſſimas Eccleſia cauſas habuit; cùm enim præceptum Domini non ſit, nec diuina ad id quiſquam lege adigatur, præter Sacerdotes, cùm Sacramentum ipſum peragunt; inſtitutum haud dubie ſapienter videtur, vt periculum effundendi in terram ſanguinis vitaretur; quod vitari vix, aut ne vix quidem poſſe, in eo magnæ multitudini miniſtrando, perſpicuum eſt. Præterea cùm nunquam non præſto eſſe id ſalutis Sacramentum morbo affectis, & laborantibus debeat, aſſeruatum huius neceſſitatis cauſa vinum, ne breui coaceſceret, timendum ſanè erat. Inſuper ita quidam à vini non ſolùm guſtatu, ſed etiam odoratu abhorrent, vt eum perferre nullo modo poſſint, nec committendum fuit, vt quod ad medicinam animæ comparatum eſt, id valetudini corporis detrimentum afferret. Huc accedit, quod negligendum omnino non eſt, multas eſſe regiones ſumma vini inopia laborantes, quę aliunde longis ſępe, & difficillimis itineribus importato vtuntur, quæ in maximorum ob id ſumptuum neceſſitatem conijcerentur. Poſtremò, quod maximè omnium ad rem pertinuit, reuincen[illegible] reuellendaque eorum hęreſis fuit, qui totum eſſe in vtraque ſpecie Chriſtum negabant, ſed in altera exangue corpus, in altera ſolum eſſe ſanguinem aiebant.

*De modo miniſtrandi Euchariſtiam celebrioribus diebus. Cap. 75.*

DIE Paſchæ, alijſque celebrioribus feſtis, quibus frequens ferè adeſſe omnis Populus ad Sanctam Euchariſtiam ſumendam conſueuit, extendi eo maximè loco, qui commodior viſus fuerit, oblunga ſcamna debebunt, atque ijs tantum cõprehendi ſpatij, quantum loci ipſius ſitus patietur, & ſcamna ipſa oblongis item lineis velis mappiſue tegi. Populus extrinſecus circa ea ſcamna, genibus conſiſtet, & iunctis ante pectus manibus, & animo in Deum intento, ſuam quiſq; capiendi Sacramenti vicem religioſè expectabit. Parochus antequam miniſtrare incipiat, breuibus verbis omnes iubebit in memoriam reuocare, ſacrata illa Hoſtia, quàm ſuſcepturus quiſque ſit, illum ipſum abdi, & contineri Deum, qui Virgine natus, cui tres Magi Reges, oblatis muneribus, diuinum

uinum honorem tribuerunt, quem Apostoli in Galilæa adorarunt; Qui denique ad Patris dexteram in cœlo sedet. Proinde summa cum fide, summaq; cum veneratione ab omnibus esse sumendam. Tùm aut omnes simul, aut vnus pro omnibus solemnem inibit confessionem; quæ quidem semel facta, repetenda postea non erit, nisi maiori interuallo ministerium ipsum intermitteretur. Et Parochus post impartitam de more omnibus benedictionem, & absolutionem, vnam hostiarum dextræ manus pollice, atque indice super vasculo sublatam tenens, conspiciendamque, & adorandam præbens, illa verba & ipse, vt ab omnibus audiatur, pronunciabit, & pronunciare alios secum vnà iubebit. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea. Atque his ter repetitis, ad singulos accedens, hostiam in cuiusque os inseret, crucis signo prius cum ea ducto, illis cum verbis, Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, Amen; quanquam vltimam hanc dictionem, Amen à sumente rectius pronunciabitur. Si ipse fortè illo præbendę Eucharistiæ munere Episcopus fungeretur, singuli porrigentis Hostiam manum ante osculo attingent, quàm ipsam ore Hostiam sumant. Aduertet animum Parochus, vt Hostiam non ante digitis dimittat, quàm intra os tutò poni intellexerit. Sacerdoti Sacramentum ita ministranti, Clerici duo cereas faces ferentes adsistant, duo item linteum sub Sacramento extensum manibus tenentes, vnà progrediantur, & alius ponè sequens cum vitreo, aut argenteo vasculo, diuersa, vt tradidimus, à Calice forma, ex eo vinum, ablutionis causa, libandum singulis præbeat, candido linteolo adhibito, quo qui delibant, abstergere labia possint. Atque hi Clerici superpelliceo omnes amiciantur; si Clerici desint id officij seculares aliqui pij in primis homines ex ipsa corporis Christi societate delecti, societatis quoq; amictu induti obeant. Sacerdoti autem, si libuerit, planetam seu casulam, & manipulum deponere, quo expeditior ad ministrandum sit, licebit. Cùm ambitũ omnem Sacerdos obierit, altare ascendat, & ad eos conuersus, quibus Eucharistiam ministrauit, illis de more benedicat, his verbis. Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super vos, & maneat semper vobiscum, Amen. Tùm illis surgentibus omnibus, alij, ac deinceps alij, eodem semper ordine, succedant.

### *De Eucharistia Ecclesiasticis ministranda. Cap. 76.*

QVOTIES Clero præbenda Eucharistia erit, quod Clericis infra ordinem Sacerdotalem positis, singulis saltem mensibus fieri debet, in die autem Cœnę Domini etiam Sacerdotibus; qua die si layci quoque ad Eucharistiam sumendam, conuenerint, clero ipsi vniuerso ante alios ministrari præcipimus, sui quiq; ordinis loco, bini ad altare, & ad Sacerdotis pedes accedant, eam incessu, silentio, oculorum demissione modestiam, ac religionẽ pręferentes, vt exemplo suo alios ad pietatem, ac tanti Sacramenti venerationem,

cultumq;

cultumq; excitare poſſint. Primùm Sacerdotes, deinde Diaconi, & Subdiaconi, ac deinceps alij, vt cuiuſque ętas, aut dignitas fuerit. Omnes ſuperpelliceo induantur, & Sacerdotes etiam ſtolam ante pectus in crucis modum formatam gerant, ac ne hi quidem aliter Euchariſtiam, quàm ſub vna panis ſpecie ſumant, neq; enim niſi ſacrum facienti, communicare ſub vtraq; licet.

*De habitu corporis quo accedi ad ſumendam Euchariſtiam debet.*
*Cap. 77.*

QVOD ſupra de corporis habitu, quo tàm viri, quàm mulieres ad Sacramenta accedere debeant, ſtatuimus, id tanto acuratius, diligentiuſque ſeruari in Euchariſtia ſuſcipienda volumus, quanto hæc, reliqua Sacramenta omnia, longè ſanctitate, ac maieſtate antecellit, longeque maiorem a nobis ſummiſſionis, & venerationis cultum requirit. Non alio igititur tùm corporis, tùm animi, quàm ſupplicantium, ac humilitatem noſtram agnoſcentiũ habitu diuinum hoc Sacramentum adeamus. Quod ſi quem Parochus, aut gladio ſuccinctum, aut telo, ferrouè quouis armatum, ad Sacramentum ſuſcipiendum acceſſiſſe conſpexerit, faceſſere eum, & arma deponere protinus iubeat; non parenti Euchariſtiam non præbeat. Omnes autem tam viros, quàm mulieres ante præmoneat, ne quis auro, alio uè inani ornatu plus æquo nitens, excultuſque accedat, & fœminis aliquot ante dies edicat, vt fucos ſuos, omnemq; molliorẽ cultum, ſaltem qua die Sacram Euchariſtiam ſumpturæ ſunt, mittant; nullæ auribus vniones lapilliuè pendeant, nullis digiti ſplendeant gemmis, non torques, non margaritas, non coralia nudo collo circundent, non verò apertum pectus præbeant; quem nos morem penitus abijci ſanè cuperemus, eſt enim à matronali decore, pudoreq; illa nudi pectoris, mammarumq; oſtentatio, valde aliena. Ea certè die, cùm ad Sanctiſſimam Euchariſtiam adeunt, praua conſuetudine abſiſtant, niſi arceri ab ea, quod fieri iubebimus, volunt. At etiam non ſolùm capillis, conſueto ſtudio, atque arte ad ſpeciem effingendis, elaborandiſque abſtineant, ſed aliter quàm velato, & vndique contecto capite, & per omnia ad modeſtiam, religionemque compoſitæ, ne accedant.

*De Euchariſtia ſeorſum Viris fœminiſque miniſtranda.*
*Cap. 78.*

NE quid fideles ad ſuſcipiendum ſanctiſſimum hoc Sacramentum animo ad religionem, & pietatem commoto, accedentes de compoſitæ, ac rectę mentis ſtatu dimoueat, aut aberrare à ſancto propoſito cogat, in vanaſque, & ab eo tempore, locoque alienas cogitationes trahat, ſtatuimus, vt viris ſeorſum à fœminis Euchariſtia adminiſtretur, fœminiſque ſeorſum à viris. Quod fieri vbique haud difficulter poterit, ſi horæ tempuſque diuidatur, neque idem vtriſque aſſignetur.

De

*De his qui Eucharistiam sumere in festo Paschæ negligunt.*
*Cap. 79.*

LEX illa in Lateranensi Concilio ab Innocentio tertio Pont. Max. lata, cuius initium est, Omnes vtriusque sexus, necessitatem Christianis omnibus imponit, quotannis in festo Paschæ, adhibita prius Sacramentali confessione, sanctissimam Eucharistiam suscipiendi; qua quidem lege ita tenemur omnes, vt qui contra fecerint, Ecclesia eijci, & in ea ne sepeliri quidem mortui debeant. Parocho autem curæ erit id cognoscere; Et quos in sua Parochia, huic decreto sanctæ matris Ecclesię non paruisse compererit, eorum nomina sexto ad summum die post festum Paschæ, scripto comprehensa, ad nos deferet; expositis eodem scripto causis, quas quisque facti sui habuerit; si tamen eas causas aliunde, quàm ex confessione acceperit. In contumaces verò istos, & tàm sancti præcepti contemptores, pœnis ac censuris Ecclesiasticis seuere à nobis pro eorum merito animaduertetur; ijs exceptis, qui ex ipsius Parochi auctoritate, & consilio, eam sumptionem in aliud tempus produxerint. Parochus autem, qui in istorum nominibus notandis, & ad nos deferendis negligens fuerit, grauiter arbitrio nostro punietur.

*De frequentando Eucharistiæ Sacramento.* *Cap. 80.*

IRRELIGIOSI sanè, & spiritu pauperes, meritò dici videntur posse, & salutis suæ incuriosi, qui annum ipsum tam sanctæ, tam salutaris rei præsidio, ad vitam innocenter agendam carere possunt; Et quod miserandum planè est, Ecclesiæ decreto auctoritatique, vt pareant quidam, pudore magis, ac metu pęnæ, quàm studio pietatis, & religionis adducuntur. Id ne fiat nos per viscera misericordiæ Iesu Christi Domini nostri omnes rogamus, hortamurque, vt longè præstantissimi, & tantos, & tam salutares fructus, vtilitatesque nobis afferentis boni expertes esse ne velint. Et si cotidie, aut singulis septimanis non possunt, singulis saltem mensibus, aut certè præcipuis anni festis diebus animam alimenti egentem recreare ne negligant. Tàm enim spirituali hac esca nutriri aliq; anima necesse habet, & perinde ea subtracta attenuatur, & debilitatur, quàm corpus ipsum nostrum, si cotidianas illi epulas, cibumque subtraxerimus, interire breui, atque extingui, necesse fuerit.

*De his qui raro Eucharistiam sumunt, & de Adolescentibus.*
*Cap. 81.*

QVOS Parochus annum ipsum abstinere Eucharistia, aut perraro sumere solitos intellexerit, eos benignè, amanterque admonebit, quanta cum reuerentia, ac pietate adire ad id Sacramentū debeant; quos fructus, & quàm salutares animæ religiosè, & cum timore, ac tremore sumenti

afferat;

afferat; quæ contra ſupplicia imparatos, & indignè ſuſcipientes maneant. Item Adoleſcentes, qui primum ad Euchariſtiam admittendi erunt, paucos ante dies venire ad ſe iuſſos, de rei magnitudine, ac dignitate inſtruat, itaque inſtituat, vt Deum recepturos ſe in hoſpitium animæ ſuæ planè intelligant, eaque re ad religionem, & ad vitæ innocenter agendæ ſtudium incitentur.

*De Euchariſtia Pueris, Amentibus, & Facinoroſis neganda.*
*Cap.* 82.

COMPLECTITVR quidem lex in Concilio Lateranenſi, ab Innocentio ſcita, omnes vtriuſque ſexus homines; ſed tamen eximi ab ea primum illi videntur debere, qui adepti dum rationis vſum non ſunt, deinde eos qui adeptum amiſere. Nam neque Pueri propter ætatem, neque inſani propter mentis perturbationem, panis ſpeciem, qua Euchariſtia continetur, ab ſolito, & profano pane diſcernere poſſunt, & neutri ad Sacramentum ſumendum animum religione, ac pietate ſic affectum, quemádmodum rei ſanctitas, & maieſtas requirit, afferre. Et in pueris quidem, quæ ſiætas expectanda, parentes, & Parochus, cui illi peccata confiteri aſſueuerunt, deliberabunt; idque maximè ex ingenio cuiuſque, & callidirate ſtatuent; explorato etiam ſi quam diuinitatis huius Sacramenti cognitionem ſuſceptam habeant. Amentibus verò penitus negandum eſſe videtur, quanquam ex Concilij Carthaginenſis decreto, his quoq; in exitu vitæ præberi liceret, ſi à ſanis cultam rectè pietatem eſſe conſtiterit, & vomitionis, aut alterius indignitatis periculum abeſſe cenſebitur. Præter hos, etiam blaſphemię, & maledicti in Deum, ſanctoſuè iacti ſępe conuicijs; quique bis terve de eo à Confeſſore correpti, in idem ſemper recidunt ſcelus, neganda poſtremò Euchariſtia erit. Item concubinatu, flagitijſque alijs infamibus. Omnibus denique facinoroſis, & palam vitam per ſcelera, ac dedecora traducentibus; niſi ea vitæ, & morum mutatio apparuerit, ea ſigna tacti religione, ac præteritorum pœnitentia animi dederint, vt emerſiſſe aliquandò ex illo facinorum, ac flagitiorum profundo, & ad bonam ſe frugem recepiſſe, exiſtimari poſſint.

*De non Communicando extra Parochiam.* *Cap.* 83.

NE quis legi de ſumenda Euchariſtia in feſto Paſchæ fraudem facere poſſit, ſtatuimus, vt ſi cui a nobis, aut à Parocho iuſta aliqua ac neceſſaria de cauſa permiſſum fuerit, alibi quàm in ſua Parochia Euchariſtiam ſumere, de eo fidem Parocho ipſi ſuo faciat; ſi non fecerit, perinde habeatur, ac ſi rem omiſiſſet. Item ſi quis Paſchæ tempore a Diœceſi noſtra abſuerit, reuerſus niſi Euchariſtiam ſumpſiſſe chirographo eius, à quo accepit, probauerit, is intra octauũ diem, aut Eccleſiæ pręcepto ſatis in ſua Parochia faciat, aut pręſcripta legibus pœna ab eo repetatur. Det verò operam Parochus, vt omnes, qui intra Parochiæ

chię ſuæ fines habitant, de ipſius potiſſimum manu Euchariſtiam accipiant; neuè eam ipſe alieno prębeat, niſi id permiſſum ei à proprio Parocho, aut à nobis fuerit; nec permiſſum credatur, niſi ſcripto conſtet. Regularibus verò ne Paſchæ tempore ſine proprij Parochi auctoritate cuiquam Euchariſtiam impartiantur, ſub excommunicationis pœna ipſo facto ſubeunda, interdictum eſſe decernimus.

*De Nominibus excipiendis eorum, qui Euchariſtiam ſumunt.*
*Cap.* 84.

VT in die pręſertim Paſchæ, iniri ratio poſſit eorum, qui Euchariſtiam ſuſceperunt, & eorum, qui huic Sanctiſſimo Eccleſiæ præcepto parere neglexerunt; nec aut cuiuſquam nomen Parochi diligentiam effugiat, aut occupationem eius fallere quis audeat, mandamus, vt vnuſquiſque, tam viri, quàm fœminæ, ſcriptum in parua ſchedula nomen, cognomenque ſuum afferant, tradantque Clerico, qui huic negotio, ſingulorum nomina colligendi, præpoſitus fuerit; qui quidem exceptarum ſchedularum, ne qua depereat, curam, ſtudiumque adhibebit. At ſine ſchedula adeuntes, abire, & afferre ſcriptum nomen ſuum, cognomenque iubeantur. Siquis domicilium duabus in Parochijs habebit, ab eo de cuius manu Sacramenta ſumpſerit, ſcriptam alteri Parocho ſchedulam afferat, qua impleſſe eum Eccleſię præceptum fides fiat; item qui à Parochia Paſchali tempore abfuerint, aut de ſua Confeſſione, & Communione Parochum doceant, aut intra octauum diem pręcepto Eccleſiæ ſatisfaciant.

*De cibo poſt Euchariſtiam non ſtatim ſumendo.* *Cap.* 85.

CÆLESTIS Sacramenti dignitas, & quæ illi debetur reuerentia, atque honor, poſtulat, vt in ſacro illo die Paſchæ, non ſtatim poſt ſuſceptam Euchariſtiam ad capiendum cibum contendatur: ſpatium ſibi quiſque ſumere debet, ad recolendam, ac mente reuoluendam beneficij magnitudinem, quo à diuina benignitate eſt affectus; meditandumque quantùm præſens animi ſui, Deo reconciliati, ſtatus, à præterito illo peccatis, ac ſceleribus inuoluto, & contaminato, differat. At ſicuti cibo aliquandiu abſtinere honoris cauſa Sacramenti laudabile fuerit; ita non feſtinare ſolùm a ſacris ad menſam, ſed etiam epulis ſe, vinoque tanquam præteriti diei inedia ſarcienda ſit, immodicè onerare, à Chriſtiani certè hominis temperantia, atque adeo à ciuili quoque more, abhorret. Ea die quiſque cum ſuis modeſtè, frugaliter, amanterque epulętur, neç niſi menſa prius benedicta, diſcumbat, & prandium à benedictis etiam cibis exordiatur.

*De non petendis eleemoſinis in Euchariſtia miniſtranda.*
*Cap.* 85.

PROCVL abſit à Sacramento charitatis, omnis ſordidæ cupiditatis ſuſpicio. Itaq; non peluiculæ proponantur, non linteola certis locis extendantur, quibus coniectæ eleemoſinę excipiantur; & quibus, veluti tacitis monitoribus, populus ad ſtipem conferendam inuitetur. Si quis Parochus contra decreti huius noſtri auctoritatem, tam humilis, tamq; abiectę mendicitatis conuictus fuerit, non ipſis ſolùm numulis, quos collegerit, ſed alia inſuper pecunia, arbitratu noſtro, mulctabitur.

*De minutis Hoſtiarum fragmentis.* *Cap.* 86.

CVM Sacerdos peracto Sacro frequenti multitudini Euchariſtiam miniſtrat, Hoſtiarum reliquias, fragmentaque, quę in exhauſta Pixide, Vaſculouè, vnde miniſtratur, ferè inueniuntur, neutiquam ipſe ſumat, alteriuè prębeat, ſed ſeruata, in diei inſequentis Sacrificio ſuſcipiat. Cùm autem non populo, ſed paucis, inter ſacrificandum, miniſtraturus, ante illis Sacramentum prębet, quàm ſe purificet, Sacrumque perficiat, vt mos ac diſciplina poſtulat; tùm ſi quid fragmentorum de Hoſtijs ſupererit, in Calicem conijcere, & cum purificatione ipſa ſumere debebit.

*De Sodalitatibus corporis Chriſti inſtituendis.* *Cap.* 87.

AD cultum ſanctiſſimi huius Sacramenti, dent operam Parochi, vt in ſuis Eccleſijs, ſodalitates corporis Chriſti, ſicubi non ſunt, inſtituantur. Ex ijs decem viri, totidemque Mulieres communibus ſuffragijs ad certum tempus deſignentur, qui quoties Euchariſtia ad ægrotos deferenda erit, ad pulſum campanę conuenire, & accenſis luminibus, deducendi, reducendique, & tentorioli ferendi officium pręſtare teneantur; iiſque legibus, moribuſq; viuere, de quibus alio loco cùm de ſodalitatibus agemus, fuſius diſſeremus.

*De Aegris ad Euchariſtiæ ſumptionem præparandis.* *Cap.* 88.

PAROCHVS cùm ægrotare aliquem in ſua Parochia acceperit, moram ſibi ad eum viſendum nullam faciet, nec vt euocetur expectabit. Nam & ægri plerunque, & qui ęgris ad curam adſiſtunt, vocatum Parochum, non niſi in extremo periculo, mittunt. Cum eo de curanda anima, vt inde ſalus corpori quoque redeat, amanter, & ſuauiter aget. At ſi periculosè, ac pręcipiti ſpe laborantem inuenerit, tùm de rebus ſuis vt ſtatuat, priuſquam morbi vis maior ingruat, admonebit. Quo facto veluti vitę muneribus perfunctum, det operam vt totum iam ab humanarum rerum curis, ad cœleſtium cogitationem vertat.

Confeſſione, ac pœnitentiæ Sacramento, ritè, ac diligenter procuret, ab omnibus peccatis cuiuſuis generis ſint, aut cuicunque reſeruatis, item ab omnibus Eccleſiaſticis cenſuris, quocunque vinculo conſtrictis, abſoluat; promiſſo tamen ac fide accepta, ſi conualuerit, quæ debet omnia impleturum, ad eoſque, quibus cenſuræ reſeruatæ eſſent, aditurum, eorumque iuſſis obtemperaturum. Confeſſione ita peracta, pia oratione ægrum ſoletur, horteturque, vt ſpem omnem in Deo reponat, ac morbi dolores, ipſumque morbum animo æquo ferat; & vt ſibi in peccatorum ſuorum expiationem vertat, Deum, & Ieſum Chriſtum (qui noſtra cauſa longè grauiſſimos cruciatus) vltro ac libenter perpeſſus eſt adoret, & ſe ad Sanctiſſimum Sacramentum ſuſcipiendum ita comparet, vt eo cęleſti cibo recreatus, & ſalutari viatico inſtructus, quod illi ad æternam patriam itineris eſt reliquum, proſpere perficiat. Atque inde Parochus ad eum animo in hunc modum præparato, Euchariſtiam afferat.

*De Aegroti domo in Aduentum Sacramenti præparanda.*
*Cap. 89.*

ANTEQVAM Parochus cum Sacramento ab Eccleſia moueat, iubebit apparari domum, aut ſaltem cubiculum, vbi æger decumbit; atque eius rei curam certis hominibus, de ipſa ſodalitate Corporis Chriſti, mandabit. Qui ante locum inſpicient, & vt omnia rectè præparentur diligentiam habebunt. Domus quà tranſitus Sacramento erit, pro cuiuſque facultate, religioſè ornetur. Cubiculum vero ipſum vbi iacet Aeger, verratur diligenter, & ab omni ſorde purgetur; omniqúe amoto profano inſtrumento, imaginibus, aliiſq; ſacris rebus, ſi quæ erunt, componatur. Menſa in conſpectu ægroti poſita, mantili puro, nitidoque ſternatur; in medio crux, vtrinque candelabra bina, binis cum cereis faculis accenſis, ſtatuantur. Vitreum quoque poculum ad ablutionem ægroti, præparetur. Familia omnis aduenienti Sacramento cum luminibus extra Ianuę limen occurrens, illud reuerentiſſime venerata antecedat, & Sacerdotem ad cubiculum perducat. Qui intrans, illa pronunciet verba; Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Et corporali in menſa explicato, ſuper eo Pixidem deponat. Deinde ægro aqua benedicta de more aſperſo, reliquiſque quæ rituum libro continentur, peractis, Sacramentum miniſtret, ac recepta demum Pixide, eodem ordine, quo venerat, ad Eccleſiam reuertatur.

*De Sacramento ad Aegrotos deferendo.*
*Cap. 90.*

MAGNA cum cura à Sacerdote, magnaque cum charitate Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrari omnibus debet; ſed præcipua diligentia, cul-

tuſque adhibendus videtur, cùm ad ægrotos defertur; tum vt debitus honor diuinæ rei in geſtando, deducendo, reducendoque habeatur, tum vt ille qui graui morbo afflictatur, mortiſque imminentis metu ac ſolicitudine angitur, ex Sacramenti aſpectu, ac ſumptione, & ex illa diuinitatis ſpecie, & aduerſus ipſam mortem ſpe, animoque confirmetur, & inde ei nonnihil etiam corpus ab angore, æſtuque leuetur. Primum igitur pulſu campanæ ſignum ſodalibus ſocietatis Corporis Chriſti, alijſque pijs hominibus det, ad Eccleſiam conueniendi; cumque tempus erit, ipſe non ſolùm ſuperpelliceum, & ſtolam, ſed ſi in ciuitate, aut frequenti alio in loco fuerit, etiam pluuiale induat; Et ante altare poſitis genibus, breui oratione habita, Pixidem cum binis conſecratis hoſtijs promat, quarum altera ægroto præbenda erit, altera, quò eadem redeunti, ac eunti veneratio Sacramento exhibeatur, ad Eccleſiam referenda. Si tamen aut longè diſtaret Aeger, aut per aſpreta, arduaſque vias iter eſſet, licebit vnam tantùm ſecum ferre hoſtiam. Quam vbi ægroto præbuerit, extinctis luminibus, lineaq; veſte ſeu ſuperpelliceo depoſito, ſine comitatu, & pompa, ad Eccleſiã redibit; item cœteri dilabentur ſuam quiſq; domũ. Ab Eccleſia igitur cũ Sacramento progredientem comitentur capite aperto cũ accenſis luminibus, qui ad id officium conuenere, alternantes cum eo, aut inter ſe pſalmorum carmina; geminæ præferantur laternæ, & puer cum tintinnabulo, & aſperſoriolo, & vaſculo aquæ benedictæ antecedat; linteum quoque, quod ante pectus ſumpturi Euchariſtiã extendi debebit, idem puer ferat. Atq; ita ad ægri domum pergat, humeros, & Pixidem ipſam, & manus de more ſuperſtrato ſerico velo amictus. Si verò acciderit, vt allato Sacramento, ægrum ingraueſcente vi morbi, ad illud ſumendum ſenſus, vireſque deficiant; tum Parochus poſita Pixide ante eum, deflexis de more genibus, paulum immoretur. Poſt recepta iterum Pixide, ægro cum ea benedicat, atque etiam ſi cordi id laboranti eſſe intellexerit, Pixide aperta aſpiciendam, adorandamque Hoſtiam, præbeat. Niſi magna atque inſtans neceſſitas extremam agentis animam cogat, Sacramentũ ad ægrum per noctem afferri vetamus.

*De Euchariſtia ab ipſomet Parocho ad ægros deferenda.*
*Cap. 91.*

QVIA perſæpe accidit, vt in graui morbo verſantes cum Euchariſtiam ſumpturi ſunt, ante adire Sacerdotis aures, & aut reliquias ſuperioris confeſſionis, quæ forte illi exciderant, aut aliud cuius conſcientia, & religione tanguntur, promere, & confiteri, ad animam penitus expurgandam cupiunt, vt hæc eis facultas in promptu ſit, Parochus ipſe, niſi aut inualetudine, aut iuſta alia de cauſa impediatur, per ſe Sacramentum ad ægrotos deferat. Quòd ſi alteri Sacerdoti id mandandum munus vtiq; erit,

non

non alius eligatur, quàm qui idoneus audiendis confeſſionibus iudicatus fuerit, eiuſq; rei ſcriptam à nobis poteſtatem habebit.

*De Euchariſtia ad eos quoque deferenda, qui non periculosè laborant.*
*Cap. 92.*

SI quis leui quidem, nec vllum mortis periculum afferente morbo affectus, domi tamen attineatur, nec per morbum ipſum exire ei liceat, atque is Euchariſtiam ſumere, idque ſæpius religionis, & pietatis ſtudio facere vehementer cupiat, Parochi charitatis, humanitatiſque fuerit, illi, quantum per Parochiales alias occupationes licebit, tàm ſalutarem animæ cibum appetenti operam, ac diligentiam ſuam minimè negare; præſertim ſi hanc conſuetudinem frequenter ſe eo cęleſti pabulo alendi, ante morbum quoque habuerit.

*De Capite damnatis. Cap. 93.*

CAPITE damnatorum piam gerere curam, eo ſanè magis conuenit, quo plerumq; mortis nuntio ita quidam perturbari dicuntur, vt ira ac dolore, in ſummum deſperationis furorem agantur, & ſalutis ſpe deſtituti, multa, quæ ſaluti perdendę ſint, dicere & facere non vereantur. Ad hos ſolandos, & ab impetu, ac deſperatione, ad ſanitatem, & ad Dei miſericordiam reſpiciendam reuocandos, vt ſumma ab ijs diligentia cum pari charitate, & humanitate coniuncta, adhibeatur, quibus tā pij officij munus incumbit, eos magnopere hortamur. Et ſi miſeri illi compoſito tandem ad religionem animo, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ viaticum ſuſceperint, Iudices, & Magiſtratus vehementer in Domino rogamus, vt humanæ infirmitatis, & chriſtianæ humanitatis memores, id Ieſu Chriſto Domino, qui vitam in cruciatibus pro omnium ſalute profudit, dent, vt ne eodem die de damnatis ſupplicium ſumant, quo ipſi ſanctiſſimam Euchariſtiam, ſumpſerint.

*De his qui Sacramento obuiam fiunt.*
*Cap. 94.*

QVI amicorum officia ſtudioſe obire, aut potentiorum aditus, egreſſuſque ambitioſe obſeruare, eoſque deducere, atq; aſſidue aſſectari conſueuerunt, ij profectò facile intelligent quam inofficioſi, parumque in Deum pij videri poſſint, ſi cùm ſignum, verberata campana, datū prodituręſanctiſſimæ Euchariſtiæ acceperint, ad eam deducendam non properarint. At certè, quod nos in Domino omnes hortamur, quicunq; Sacerdoti ſacra ferenti obuiam fient, non ſolùm genibus ad terram demiſſis tranſeuntem venerabuntur; ſed ni irreligioſi planè, & Dei ſui parum colentes, haberi velint, dum graui aliqua occupatione non impediantur, etiam ad domum ægroti, atque inde ad Eccle-

ſiam vſque religiosè deducent. Ac ſi equo iumentoue vehantur, ſtatim viſo Sacramento deſilient, ac tamdiu genibus ſtabunt, donec illud ferens Sacerdos prætericrit. Qua quidem de re Parochus ſæpe ad populum verba facere, & quoſdam ad tam pium officium ſegnes excitare non omiſerit. Interdum indulgentiam à Paulo tertio Pont. Max. ſodalibus Corporis Chriſti conceſſam, frequentiori populo promulget, quo eius religio, deſiderio adipiſcendi illius Ecclesiaſtici theſauri magis incendatur.

*De reditu Sacerdotis à Communione Aegroti.*
*Cap. 95.*

CVM in Eccleſiam Sacerdos redierit, altaris gradibus conſcenſis, antequam Sacramentum in Tabernaculum recondat, autè manibus deponat, conuerſus ad populum, ei benedicat, Pixidem ipſam vtraque manu tenens, & cum ea ſignum Crucis efficiens. Deinde Sacramento repoſito, deflexis in terram genibus, precationem illam ab Eccleſia inſtitutam habeat, Deus qui nobis ſub Sacramento mirabili &c. & populum de indulgentijs, quas pro illo pio officio præſtando conſecuti ſunt admoneat, ad idemque officium crebro vſurpandum, oratione hortetur.

*De ſacratis Hoſtijs renouandis. Cap. 96.*

CVRÆ Parocho erit, vt conſecratæ hoſtiæ, quæ in Tabernaculo reconditę aſſeruantur, decimo quoque die renouentur; veteres quæ in vſum aliorum abſumptæ non fuerint, Sacerdos ipſe ſacra faciens omnes, cum paruis etiam, ac minutis earum fruſtis aſſumat, ne (quod magnopere prouidendum, cauendumq; eſt) ſi diutius aſſeruarentur, corruptio aliqua inceſſeret. Quod ſi fieret, in eoq; Parochi culpa argueretur, graui eam pœna, arbitratu noſtro, lueret.

*De Tabernaculo Sanctiſſimæ Euchariſtiæ.*
*Cap. 97.*

IN ſingulis Diœceſis noſtrę Eccleſijs, in quibus, aut debet, aut conſueuit, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruari, Tabernaculum affabrè ædificatum, & quàm ſplendidiſſimè, pro cuiuſque Eccleſiæ facultatibus, auro picturiſque, & pijs, & Domini paſſionem, geſtaue alia referentibus imaginibus ornatum, atque diſtinctum, habeatur. Id in ſummo altari, ſi ratio ſitus, & ingenium loci tulerit, collocetur; ſin minus, alio in loco maximè conſpicuo, vt oculis Eccleſiam intrantium ſtatim occurrat. Loculus in ipſo Tabernaculo, quo Euchariſtia includitur, oſtiolum cum aurata ſera, & claui habeat, nec niſi cum vſus poſcit aperiatur; clauis penes Sacerdotem ſemper ſit, nec vnquam loco non tuto, vnde ſumi ſine ſcitu ipſius poſſit, relinquatur.

Oſtiolum

Ostiolum ita pateat, vt Vas, quo Sacramentum continetur, commodè inferri, ac promi possit; in ipsoque ostiolo imago aliqua Saluatoris, aut resurgentis, aut vulneratum pectus exhibentis, aut Cruci affixi, depicta pulchrè conspiciatur. Intus verò loculus aureo panno, aut serico albi maximè, aur rubri coloris, supra, circumque vestiatur; inque eo non sanctæ reliquiæ vllę, non sacrorum oleorum vascula, non Calices vlli, non vas, non omnino quicquam aliud, quàm sola Pixis, quę Sacramentum continet, asseruetur. Totum Tabernaculum conopæo à superiori parte aptè crispato, cætera laxo, & vndique largè fluente, extremis quoque laciniarum partibus, vt moris est ornatu aliquo decoratis, contegatur; supernè altè elatum tentoriolum, siue vmbella, extendatur, ita late, vt non tabernaculum modò, sed ipsum quoque altare complectatur, & operiat.

*De Vasculo seu Pixide Eucharistiæ. Cap. 98.*

AD asseruandam Eucharistiam comparetur argentea Pixis, si vt ex auro puro fiat, Ecclesiæ tenuitas non patietur, Auro tamen tota, aut certè pars interior, obliniatur; alta haud minus, quàm vt commodè manu inter Pedem Pixidis, & craterem, seu cuppam iniecta, comprehendi, ac teneri firmiter queat. Nodo quidem in medio distinguatur, partim ornatus causa, partim quo manu capi tutius possit; opus tamen totum lene sit, nullo opere asperatum, ne quid tenentis digitos lædat. Cuppa intrinsecus paruo corporali, candido, nitidoque conuestiatur; atque consecratæ Hostiæ minores, quot opus fuerit, in ea reponantur. Operculo eodem argento, eodem intus auro, illito ita integatur, vt pęnitus cuppæ inhæreat, ne decidere possit; amoueri tamen, & auferri cùm efferendę Hostiæ erunt, commodè possit. In summo operculi vertice, aut imaguncula aliqua Domini, aut parua crux emineat, firmiter culmini ipsi infixa. Ipsa cuppa rotunda sit, quantum vsus poscit caua profundaque, & lata ab ore, patensq; pro modo profunditatis. Totum vas aptè opertum paruo conopæo ex velo aliquo serico, auroque intertexto, contegatur.

*De alio minori Tabernaculo, & maiori alia Pixide. Cap. 99.*

PRÆTER Tabernaculum magnum in summo altari, vnde amoueri sine magno molimine non possit, firmiter collocandum, ad vsum Eucharistię asseruandæ, aliud paruum Tabernaculum in singulis Ecclesijs comparetur, quo inclusa diuina hostia, cùm tempus postulat, circumferri, præsertim in die festo Corporis Christi, alijsque supplicationum diebus, possit. Eius forma ingenio Artificis, materia Ecclesiæ facultatibus definiatur. Vbi argenteum nequibit, ex auricalco saltem fiat, puro oblitum auro. Vasculum intus contineat cristallinum, aut ex pellucido ac nitidiori vitro, in cuius ima parte maior Hostia, argenteæ laminæ, lunari forma, inserta sustineatur; per vitrumq; perspiciatur.

Aliam item maiorem Pixidem vnaquęque Eccleſia habeat, in cuius craterem, aut cuppam minores Hoſtiæ plures conijciantur, cùm frequenti populo miniſtranda Euchariſtia erit. Hæc à ſuperiori Pixide non alia re quàm magnitudine differat. Vtraq; minor tertia inſuper videtur præparanda, qua ad infirmos Sacramentum feratur. Atque hæc non minor modo, ſed profundior paulò ſit, & firmius claudatur, quò per incommoda viarum, à caſu tutius ferri, & totum negotium cautius peragi à Parocho poſſit. Quin ſacculum è ſerico, quàm maximè ornatum comparare Parochus debebit, quo ipſa Pixis concludatur, & ſericis item funiculis collo ſuſpendi, cùm opus erit, & viarum, quà ferenda fuerit, lubricum, aut aſperitas poſtulabit, poſſit; vt tutius a prolapſione ferentis geſtetur.

*De Vaſculo ablutionis.* *Cap.* 100.

MOREM, poſt datam Euchariſtiam, vinum quoque oris abluendi gratia eodem Calice, in quo ſacrificat ſacerdos, præbendi, tolli penitus, atque aboleri volumus; ne ſimplices, & imperiti, ex Calice conſecratum ſanguinem bibere ſe, vt Sacerdotem bibentem videre, opinentur. Aut aliud argenteum vas diuerſa prorſus forma paretur; aut vitreum pellucidum, & diligenter exterſum adhibeatur. Idemque in Sacriſtia aſſeruetur, nec eius ad vllam rem aliam vſus ſit.

*De Lampadibus ante Sacramentum habendis.* *Cap.* 101.

ANTE Altare vbi Sanctiſſima Euchariſtia aſſeruatur Lampades plures, ſi hoc Eccleſiæ facultas ferret, funibus è laquearibus, aut fornice pendeant. Vna certè nunquam deſit, in qua dies, noctesq; perenne ardeat lumen. Si argenteæ fieri propter Eccleſiæ tenuitatem nequibunt; ex auricalco certè parentur, ea forma, quam vſus magis approbauerit. In ipſis vitreus lychnus inſeratur. Is oleo non ex alijs rebus expreſſo, quàm oliuis, impleatur, quòd & ad ardendum eſt pinguius, & flamma ex eo lucidior emicat; nec eius grauis eſt fumus, nec moleſtum vllum odorem fundit: licebit etiam magnam lychni partem aqua implere, oleumque ſuperfundere, quod cùm aquæ non miſceatur, & Lampas nitidior erit, nec tantum ſimul olei impendetur. Lampades ante Sacramentum è regione eius pendentes, vbi plures fuerint, & vna tantùm accendenda erit, media ſemper accendatur, ſemperque numerus impar earum ſit. Hæ ab ipſo Altare ita remoueantur, vt ſi forte ſtillet ex ijs aliquid, Sacerdotem rem diuinâ ab imo gradu altaris incipientem, decidentes guttæ ne inquinent. A pauimento item multo altius tollantur, quàm vt attingi extento brachio poſſint.

### *De Tentoriolis ſiue Baldachinis:* Cap. 102.

TENTORIOLA, ſiue Vmbellæ, ſiue Baldachini vocitentur, tria fieri in Cathedrali Eccleſia iubemus; in alijs verò vnum, aut plura pro earum facultatibus, habeantur. Primum quidem Tabernaculo ſuperponi altè ſublatum debet, quo non ipſum modo Tabernaculum, ſed Altare etiam, in quo ſitum eſt, integatur. Atque id ex ſerico perhonorificum, pendentibus ad cubitum vnum vndique faſcijs, fiat. Alterum etiam pretioſius, quod ſenis haſtilibus, aut minimum quaternis ſuſtineatur, ad circunferendum ſolemnium ſupplicationum diebus ſanctiſſimum Sacramentum; & præſertim in magna illa celebritate, quæ ab re corporis Chriſti nomen habet. Tertium hoc ipſo habilius, & minoris ſumptus, ad cotidianos vſus ferendæ ad Ægrotos Euchariſtiæ.

### *De die Feſto Corporis Chriſti, ac de Indulgentijs ea die conſequendis.* Cap. 103.

VT omnia quę ad hoc diuinum Sacramentum pertinent, in hanc quam inſtituimus illius explicationem conijciamus, nihilq́; deſiderari in ea patiamur, etiam de celebri, ac ſolemni Corporis Chriſti Feſto, hoc ipſo in loco agamus. Parochis omnibus pręcipimus, vt die feſto Corporis Chriſti appropinquante, populum de eo admoneant, & quo magis ad illum ſanctè ac religioſè concelebrandum omnes excitentur, de indulgentijs à Pontificibus Max. impartitis ijs, qui piè, ac ritè in ea celebritate verſabuntur, docebunt. Ac primùm quidem, qui eas aſſequi cupient, confiteri ritè peccata, eorumq́ue iuſta pænitentia commoueri debent; id vbi piè fecerint, pietatis alia quoque officia ſtudioſè vſurpabunt, eleemoſinas pro ſuis quique facultatibus liberaliter egentibus diuident, preces ad Deum intimis animis facient, & cùm ſe tùm alios diuinæ benignitati commendabunt; Pridie ipſius feſti ieiunandi morem, legemque ſuſcipient, ac rectè, & quà præceptum eſt abſtinentia, temperantiaq́; ſeruabunt; & in ipſo die Sanctam Euchariſtiam ſument. Qui iſta præſtiterint, indulgentiarum vberem fructum percipient. Si pręterea primas Veſperas obierint, centū annorum indulgentiam conſequentur, totidem ſi matutinas preces, itèm ſi ſacrificio Miſſæ, quod in ipſo die ſolęmni cerimonia peragitur, interfuerint. Item ſi in veſperis ſecundis. Ac ſi etiam Canonicis Horis Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ operam dederint, ad ſingulas horas quadraginta annorum indulgentiæ cōpotes fient. His aucti ditatique cœleſtis theſauri opibus, ſtudeant omnes ita octo illos dies, qui ei celebritati contribuuntur, tranſigere, vt in memoranda Dei erga nos clementia, & agendis ei gratijs, aſſiduè verſentur, qui & animam ſuam ſalutis noſtræ pręcium exſoluit, & animam noſtram corporis ſui ſalutari cibo quotidie alit, & ad cœleſtem vitam educat, & nos numinis ſui præſentia nunquam deſtituit. Illud quoque hic monitos omnes volumus, vt ſtudeat proſè quiſque adornare vias, qua ipſa ſupplicationum pompa ducetur. Vt ſi minus

conue-

conueſtire Auleis parietes poterunt, feſta ſaltem fronde, viridantibuſque arborum ramis exornent, viaſque non verrant modò diligenter, ſed etiam floribus conſternant, conſpergantque.

*A quo geſtari Euchariſtia in die Corporis Chriſti debet.* Cap. 104.

NVLLIVS mortalis amplitudo tanta eſt, quæ hoc officio Sanctiſſimum Ieſu Chriſti corpus tractandi, ferendiq; non maximè augeatur, atque ornetur. Ergo ad eum is deferendus honor erit, cuius maxima in vnaquaque vrbe, locouè dignitas fuerit; dùm tamen Sanctiſſimo Sacerdotio præditus ſit. Itaque ſi adfuerit Epiſcopus, nemo alius ſplendidiſſimum obire munus debebit. Si autem Epiſcopus, aut non adſit, aut graui morbo impediatur, tùm is officium eius ſubeat, qui ſecundùm ipſum, aut iure priuilegij, aut loci conſuetudine cęteros Sacerdotes omnes honore antecedit.

*De Corpore Chriſti in eius feſto die proſequendo, & è feneſtris non ſpectando.* Cap. 105.

NEMO, qui aut morbo, aut ætate, aut iuſta alia cauſa non impediatur, committere debet, vt à tam pio officio proſequendi ea die, atque comitandi Sanctiſſimum Sacramentum, dùm ad reducenda Chriſtianis populis in memoriam Dei beneficia, per vias, publicumque circunfertur, abſit. Minimè verò è feneſtris, locíſque ſuperioribus Sacerdotem cum diuina Hoſtia prętereuntem ſpectare quiſquam audeat, ſeu vir, ſeu fœmina fuerit. Sed qui domo exire, & ſequi euntium agmen nequiuerint, ij in Oſtium domus ſuæ, aut in viam prodeuntes, cùm ad eos Sacramentum peruenerit, genibus in terram abiectis, tamdiù venerabundi permaneant, donec illud ferens Sacerdos prætererit. Fœminas autem monemus, & in Domino rogamus, ne tempus, ante domum, aut in limine, atque aditu ſedendi præcipientes, tranſeuntibus ſpectaculum ſui faciant, peccantes ipſæ, & peccandi cauſam alijs præbentes: ſed vano ac ſuperuacuo ornatu omni amoto, & capite velato, ad tranſitum Sacramenti humiliter ſe ad terram demittant, & pręſentem Deum piè, ac religioſè adorent; eoque prętergreſſo, intra ſepta domus ſe ſtatim recipiant.

*De quibuſdam in Proceſſione Corporis Chriſti ſeruandis.* Cap. 106.

DE Proceſſionum, ac ſupplicationum habendarum ratione, & ſi ſuo poſtea loco, quę in rem eſſe videbuntur ſtatuemus; tamen pauca hic, propriè ad ſolemnes eius dici ſupplicationes ſpectantia, quo ſanctiſſima Euchariſtia circúfertur, attingemus. Omnis tàm ſecularis, quàm regularis Cleri ordo, omnes etiam ſodalitates laycorum, ſuę quęque dignitatis, atque inſtituti veſtem, inſigniaque

gniaque eo die ferant. Et Clerici quidem etiam illud curent, vt linea cotta, quam ſuperinduere ſolent, & ſuperpellicea ex eo vocatur, recens lota ſit, pura, candidaque, nec ſciſſa vſpiam, laceraue, nec ſordibus vllis fœda; omni alio ornatu abſtineant; non minus chirotecis veſtiant, non flores odoratasuè herbas naribus ſubinde admoueant, ſed piarum precationum libellos gerentes, ijs legendis plane operentur atque intendant, aut hymnos ſacraq; Carmina canentibus de more reſpondeant, quo ipſorum religio, ac modeſtia ab omnibus ſpectata, omnibus ad imitandum exemplo ſit. Qui ſodalitati Corporis Chriſti adſcripti ſunt, veluti proprio cultu ea ſibi celebranda dies ſit, ſinguli ceream facem geſtantes, preter cœteros religionis, ac pietatis ſpecimina dare alijs ſtudeant. Illud quoq; caueatur, vt ne quis ordinem procedentium interrumpat, neuè quiſquam ſe laycus, clericorum agmini interijcere audeat, ſed clerum ipſum vniuerſum ponè viri, proximæ mulieres ſequantur. Silentes omnes, & modeſtiam, & religionem præferentes.

*De quibuſdam quæ in celebritate Corporis Chriſti adhiberi prohibentur. Cap.* 107.

CVM Sacramenti huius maieſtas vna omnium rerum, quarum aliqua religio ſit, cultum, venerationemq́ue complectatur, ne agi quidem, aut proferri quicquam cum illo debet, quod illam ſolemnitatem celebrantium oculos, menteſq́; aliò auertat. Vetamus igitur ea die vllas ſacras reliquias in ipſa ſupplicationum pompa ferri, item inſtructis per compita altaribus, profani quid ad ea ornanda proponi; Non tabulas quamuis excellentium Artificum manu pictas, niſi ſacros, aut homines, aut hiſtorias continentes; Non merces ante tabernas veluti ad ornatum viarum proferri. At ne è fictis quidem fontibus, aquarum emiſſiones cieri volumus, quibus ex nec opinato aſperſi prolutique tranſeuntes, abſurdos riſus, & ab religioſæ actionis grauitate alienos efficiant. Denique ne quid ludicri edatur penitus prohibemus. Nam profanas fabulas, tam ſanctæ rei apparatui miſcere, ſacrilegij inſtar fuerit, ſed ne piarum quidem & ex ipſis Sacris literis deſumptarum rerum argumenta tractari, agiuè, niſi ante a nobis & res, & tempus, & locus, & perſonæ, & actio probata fuerit, volumus.

*De Sepulchris maioris hebdomadæ. Cap.* 108.

AD excitandam populi pietatem, ac religionem mandamus, vt in ſingulis Eccleſijs, vbi ſanctiſſima Euchariſtia aſſeruatur, feria quinta in Cœna Domini, cùm Sacramentum ad Chriſti ſepulturam referendam, & hominum animis repręſentandam, a ſummo altari ablatum in minus conſpectam Eccleſiæ partem reconditur, quod ſepulcrum ab rei imitatione dicitur, id quam maximo apparatu pro Eccleſiæ facultatibus fiat, quamplurimaq; in eo accenſa col-

luceant

luceant lumina, nec ab eius custodia Sacerdotum vnus, aut certè clericus, linea Cotta amictus, vnquam abscedat; caueri tamen iubemus, ne ad rem ornandam profana vestis, profanumuè instrumentum adhibeatur.

*De Sacramento ad auertendas tempestates non efferendo*
*Cap.* 109.

AD arcendas pluuias, aut tempestates, procellasque, quæ fortè impendere videbuntur, nemo Sacerdos Pixidem ipsam cum Sacramento efferat, sed tantùm Tabernaculum, patefacto ostio, adaperiat, & in conspectu Sacramenti, genibus ad terram datis, litanias, aliasque precationes, eius rei causa institutas, piè, sanctèque, cum populo, qui aderit, aut cum Clericis, aut etiam solus peragat; diuinamque benignitatem, vt mala quæ peccata nostra merentur, misericordia sua auertat, religiosè precetur.

## DE SACRAMENTO PÆNITENTIÆ. CAP. 110.

QVI secum animo reputabit quanta naturæ nostræ imbecillitas, quanta fragilitas sit, quàm infirmas ad obsistendum sensuum nostrorum cupiditatibus vires habeamus, facile intelliget, secundum baptismum, longè maximum, maximeq; ad salutem necessarium nobis à diuina benignitate benificium, per Pœnitentiæ Sacramentum esse tributum; vt verè ab œcumenica Tridentina Synodo dictum sit: Quàm baptismum nõdum regeneratis, tàm pœnitentiam ijs qui post baptismum in nouas peccatorum culpas reuoluti sunt, necessariam esse. Et Diuus Hieronymus appositissimè Pœnitentiam secundam tabulam appellauit; quòd quemadmodum ei, qui naufragium fecit, vna seruandæ vitæ ratio est, apprehensa tabula è pelago enatare; ita qui amissa, quod ferè fit, innocentia, quam per baptismum primam naufragij nostri tabulam adeptus fuerat, in nouum se mare peccatorum ventis auferri patitur, nouos in scopulos illatus, non aliam salutis viam reliquam habet, quàm Sacramentum pœnitentiæ, veluti de naufragio tabulam arripere, & eius ope, atque præsidio in tutum euadere, & cum Deo ab se suo merito alienato, in gratiam redire.

*De Contritione. Cap.* 111.

PÆNITENTIÆ tres sunt partes, Contritio, Confessio, Satisfactio; & cùm tribus ferè fontibus, vt Ecclesia profitetur, peccata emanare ac profluere soleant, cogitatione, verbo, & opere, harum pœnitentiæ partium, prima cogitationi, altera sermoni, tertia actioni respondet. Contritio enim animum dolore confringit, confessione flagitia nostra, labesq; effamur, & ape-

rimus,

rimus, satisfactione quod debemus, re atque opere persoluimus. Atque hæ ipsę & partes, & quasi materia huius Sacramenti esse dicuntur, cùm veluti pænitentis actus considerantur. Quorum actuum prior est Contritio, cuius vis in eo est, vt malefactorum nos non solùm pœniteat, sed ex eorum cogitatione summum dolorem capiamus, animoque destinemus, ijs in posterum ita abstinere, vt eorum odio, & execratione parati simus quæuis perpeti supplicia potius, quosuis subire cruciatus, quàm Dei iussa violare, & nos nouis mortiferísque peccatis commaculare: Nam sicuti noster in Deum amor, & pietas, reliquarum rerũ omnium charitatem longè excellere, & exuberare debet; quippe modus Deum diligendi est, ipsum sine modo diligere; ita peccatũ per quod Deo ipsi iniuriam afferimus, cuiusque gratia decidimus, tanto nobis odio esse conuenit, vt nihil animo nostro execrabilius dici, aut excogitari possit. Atque hæc quidem Contritio, si in vera charitate ortum habeat, ante nos reconciliat Deo, quàm Sacramentum ipsum suscipiamus, dum illud suscipere, cùm licebit, animo propositum habeamus; quin statim ac veram Contritionem mente concipimus, peccatorum remissionẽ à Deo consecutos nos esse dubitare non debemus; est ènim apud Prophetam: Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Sed quia nobis pro nostra imbecillitate difficile est hanc absolutam, perfectamq; assequi Contritionem, ad eam quę proxima est, Attritionem applicamus; quæ & si sine pœnitentiæ Sacramento ad nos in gratiam cum Deo reducendos per se ipsa non sufficiat, cùm eam metus potius pœnarum, quàm amor diuinæ gratiæ gignat; tamen si à voluntate peccandi animum auocet, & spe veniæ ex Dei clementia confirmetur, mentes nostras ad impetrandam per Sacramentum pœnitentiæ Dei ipsius gratiam, egregiè præmunit, ac præparat. Et cùm quis hac attritione affectus, ritè peccata sua Sacerdoti confessus fuerit, ei vi ac potestate clauium, Ecclesiæ à Domino relictarum, delicta ac scelera omnia remitti, & condonari, pro non dubio habendum est.

### *De Confeßione.* Cap. III.

CONFESSIONEM peccatorum, atque animi illam patefactionem, quæ Sacerdoti fit, nisi diuina tradidisset sapientia, nunquam humana excogitare ratio rem tam salubrem ad morum disciplinam integritatemq; tuendam, hominumque pronam ad omnia vitia naturam continendam, potuisset. Cui enim mortalium tantum fidei, aut auctoritatis tribuerent homines, vt ab eo persuaderi sibi paterentur, occultissimas cogitationes, intimos animi sui recessus, abditissimas latebras, facta denique, dicta, cogitataque omnia alteri, etiam sæpe ignoto, interdum ne beneuolo quidem, vltro aperire, nudare, retegere? Quo quod frenum cupiditatibus nostris inijci potuisse validius videtur? Hac igitur nos, quando instituta diuinitus est, duce & magistra ad vitam innocenter traducendum fidenter vtamur; & qui nobis conscij infirmitatis nostræ sumus,

quique animos nostros multis varijsque vitiorum, & peccatorum morbis laborare, & conflictari intelligimus, medicinam ab ipso Deo commostratam, & haud dubiam salutem allatutam, quoties ea nobis opus esse sentimus, studiosè ac minimè cunctanter adhibeamus. Confessio hæc, quæ pœnitentiæ altera pars dicitur, est illa nostrorum flagitiorum accusatio, qua nos ipsos in spiritu humilitatis, & in amaritudine animæ nostræ, apud Sacerdotem, cum veniæ fiducia reos agimus: Quem iudicem à Deo constitutum, potestatem ab eodem Deo tributam retinendi, ac remittendi peccata habere intelligimus; quo fit vt vltro purè, simpliciterque quicquid, aut mente deliquimus, aut oratione offendimus, aut re, atque actione perpetrauimus, singilatim explicandum ei sit, vt verum de nobis iudicium ferre, ac pronuntiare possit.

*De peccatis mortalibus, venialibus, & circumstantijs.*
*Cap.* 113.

QVI in Sacramentali Confessione peccatum vllum reticet, ex eo genere quod mortale dicitur, Sacramenti beneficium non solùm nullum assequitur, sed nouo se crimine obstringit, quòd veluti illudere Sacramento ipsi videtur; & huic de integro semper repetenda confessio erit. Qui autem fateri quidem, & aperire omnia in animo habuit, sed quia minus accuratè conscientiæ suæ latebras peruestigauit, aliqua ei exciderunt; huic integrare confessionem necesse non erit, & sat fuerit peccata quę in memoriam redierint, alio tempore confiteri, nisi in eo adeo dissolutus, ac remissus fuisset, & in peccatis memoria repetẽdis, adeo negligens, vt studio obliuisci ea, nec verè in mentem reuocare voluisse videri posset. Etenim haud minus in id diligentię, studijque conferre debemus, quam grauibus in rebus ponere soliti simus. Sed quemadmodum mortiferum delictum de industria omittere, est nefas; ita quę mortem non afferunt, nec Dei gratia deijciunt, quę quia facilis eorum venia est, venialia dicuntur, ea ne si prudens quidem quis pręterierit, noxę illi erit; quippe in hęc, & frequentius labimur, & sine Sacramenti sanctitate expiate ea possumus; quamquam hęc quoq; edere, quod piorum vsus demonstrat, vtilius fuerit. At illud in primis in confitendo aduertere vnusquisq; debet, vt non peccata solùm singula enumeret, effetatque; sed etiam peccatorum naturam exprimat. Quę enim peccata ipsa attingunt, aut circunstant, & circunstantię ex eo dicuntur, sępe peccati ipsius, vel prauitatem augent, vel culpam eleuant. Corpus quis cũ muliere miscuit, graue sanè peccatum, at grauius si illa mulier nupta alteri fuerit, grauissimum si Deo consecrata. Occidere hominem magnum crimen, sed Sacerdotem multo maius. Atq; in hac quidem explicatione loci quoq; ac temporis ducenda ratio erit. Hęc discrimina peccatorum silenda confitenti nullo modo sunt, constituunt enim peccati genus, & iudicis arbitrium variant.

*De Satisfactione. Cap. 114.*

RELIQVA est Pœnitentiæ pars Satisfactio. Hæc illa est pęna, quã post Confessionem à Sacerdote nobis irrogatam, sponte subimus, ac Deo pro peccatis persoluimus; ea quidem mente, vt statutum apud nos habeamus, omne adhibere studium, vt ijs in posterum temperemus; neque enim satisfacere Deo possumus, nisi delinquere desinamus, & omnia vitare, quibus ille offendatur, constituamus. Hoc animo præditi cũ sumus, in gratiam cum Deo rediisse existimare debemus, atq; ita, quę à nobis satisfaciendi causa cum fide, & charitate fiunt, Deo accepta esse, eius freti misericordia, confidimus. Sed illud quoq; necessarium fuerit, vt ea opera præstanda, agendaq; suscipiamus, quę natura sua dolorem, & molestiam afferant; æquum enim est, vt quã voluptatem ex peccandi licentia percipimus, eam doloris, ac molestiarum sensu compensemus. Quanquam si quis ita charitate in Deum accenderetur, vt quæ perpessu grauia sunt, eorum acerbitatem studio præterita emendandi non solùm non sentiret, sed etiam ea lætaretur, huius sanè benefacta haudquaquam propterea satisfaciendi vi carerent. Id enim proprium esse filiorum Dei dicitur, ita eius amore, ac pietate inflammari, vt grauissimis laboribus exerciti, cruciatique, aut nihil ferè incommodi sentiant, aut omnia perferant lætissimo animo.

*De Ministro Pœnitentiæ. Cap. 115.*

QVI ministerium huius Sacramenti, facultatemq; ligandi, atque soluendi, & peccata remittendi, ac retinendi, ex æquo Christianis omnibus, sine discrimine vllo, tributum aiunt, eos anathema esse Sacrosancta Tridentina Synodus iussit. Ad solos enim Sacerdotes, qui aut propriam, aut ab alio mandatam potestatem habeant, id munus pertinere Catholica docet Ecclesia, nec eos satis est in ordinem lectos, sed iurisdictione quoq; præditi sint oportet. Vetus enim, & perpetuò in Ecclesia obseruatus mos est, ne alter in alterius Parochia, aut Diœcesi ius vllum, nisi permissu eius, qui præest, vsurpare, aut exercere possit, nisi magna id necessitas postularet; veluti si quis in mortis periculo versaretur, nec proprius Sacerdos adesset, alienum adhibere, vt saluti eius subueniatur, planè licet. Nec solùm ordine, ac iurisdictione instructum esse oportet Sacerdotem, sed doctrina quoque, & scientia, atq; vsu earum rerum, quæ huius Sacramenti partes, naturamq; attingunt; ne quid per imprudentiã, aut inscitiam erret, cùm in eius administratione, & Iudicis partes sustineat, & Medici. Illius quidem vt indagare delicta pœnitentis, eorumq; genera distinguere, & quæque grauia, quæq; leuia sint, ducta cuiusque status, ordinis, ætatis, generis, ratione, internoscere, ac diiudicare possit. Huius verò, vt animi morbis commodè ac prudenter mederi sciat, & singulis apta, & salubria remedia ita adhibere, vt non solùm in præsentia omnis, qua æget premebatur, morbi vis depellatur, sed etiam in posterum valetudo eius firmior, munitiorq; reddatur. Ad has do-

ctrinę, atque prudentiæ laudes, quibus Sacræ Pœnitentiæ ministros præditos esse conuenit, illæ quoq; haud minus necessariæ accedere, atque adijci debent, fides scilicet, & taciturnitas, quæ vt perpetuò sanctæ illis, inuiolatæque sint, Ecclesiasticis legibus seuerè, ac diligenter est cautum; quibus longè grauissimæ pœnę, accepta à confitente prodentibus, & silentij religionem, quo omnia premenda, obruendaq; sunt, violantibus, sunt constitutæ. Demum ea vitæ innocentia, ea morum integritate, ijs pietatis, & religionis ornamentis enitere confessor debet; vt ex his quoque, & fiducia pœnitenti addatur, & eius animum tanta viri veneratio incessat, vt iudicio, monitisq; eius non parere, magni piaculi instar ducat.

*De cuiusque diligentia in deligendo Confessore.* Cap. 116.

EX his quæ de doctrina, prudentia, fide, virtute Confessoris supra attigimus, quantum cuique studium in optimo, atque eruditissimo quoque eligendo ponendum sit, facilè intelligitur. Quamquam enim per manuum impositionem, atque ordinis Sacramentum, idem omnibus caracter, & par doctis, rudibusque, probis, atque improbis, potestas ligandi, atque soluendi tributa sit; nec eius vim, mores, aut ingenium Sacerdotis augeant minuantuè; tamen sicuti in valetudinis periculo, nemo à perito atque exercitato Medico curari non prę optet, ita de æterna salute sollicitis in magno negotio esse debet, animi sui morbis manum non nisi à scientissimo eius medendi artifice, admoueri, qui conscientias nostras, neque vanis metibus, scrupulisq; agitari sinat, & maculis omnibus, omnibusq; verorum vitiorum, atq; peccatorum reliquijs, vestigijsq; expurgatas, expiatasq; ita abluat, vt nihil in ea sordium residere patiatur.

*De Confessionibus sine licentia non audiendis.* Cap. 117.

PAROCHIS exceptis, nemo Sacerdos seu secularis sit, seu Regularis, audeat pœnitentię Sacramentum administrare, nisi qui ante à nobis, aut à Vicario nostro approbatus, eius rei scriptam facultatem habuerit; qui secus fecerit excommunicationis pœna quam ipso facto incurri volumus, teneri se intelligat; in ijs autem probandis maximè spectanda doctrina, prudentia, silentij fides, & innocentia fuerit; idq; in his potissimum, quibus mulierum Confessiones audiendi prouincia mandabitur. Regulares autem Sacerdotes tametsi doctrina, atque vsu periti aptique videantur, tamen ad Confessiones admitti vetamus, nisi ipsorũ superiores litteris suis testatum faciant, probis eos, & spectatis moribus esse. Quas quidem litteras superiores ipsos ita daturos cautè confidimus, vt neq; eorum in ea re fides, & religio desiderari, neq; grauissimum, & sanctissimum munus, ex eorum auctoritate, ab indignis tractari patiantur.

*De Confessorum nominibus proponendis.* *Cap.* 118.

VT scire omnes possint quorum intererit, quibus facultas audiendi Confessiones tributa à nobis sit, præcipimus, vt in Sacristiæ foribus cuiusque Ecclesiæ, in qua plures Confessores sint, tabella affigatur, quæ confessorum ipsorum nomina, & cognomina descripta habeat; idque intra decimumquintum diem, à die pronunciati huius decreti fiat; omnium enim interest quibus id iuris concessum sit scire; cùm alijs facta confessio, aut impetrata absolutio vim nullam habeat.

*De Confessionibus alibi quàm in Ecclesia non audiendis.* *Cap.* 119.

PROPRIVS Sacra, Sacramentaq; omnia tranctandi, atq; administrandi locus est Ecclesia, extra quam pœnitentium, & maximè fœminarum Confessiones audiri ita prohibemus, vt qui alibi, quàm in Ecclesia sacris Confessionibus audiendis operam dederit, is sciat graues se pœnas arbitrio nostro esse daturum. Sed ne in Ecclesia quidem mulieres cuiusuis ætatis, aut generis sint admitti ad confessionem volumus, vel mane ante ortum solis; vel vesperi post occasum; necessitatem tamen, & in ægros, & morbis impeditos officium, semper excipimus.

*De Confessionalibus.* *Cap.* 120.

IN singulis Parochialibus alijsque Ecclesijs, in quibus confessiones audiuntur, sedes Confessionales constituantur duæ saltem, vel plures pro Confessorum, aut populi numero. Hæ in Ecclesiæ vtroque latere parietibus adhærentes locentur, conspicuis apertisque in locis. Sectilibus tabulis nuceis, vel populeis, vel alterius cuiusuis arboris, dum firma solidaque materia, fiantq; ijsdem tabulis à tergo, & à lateribus pariter sepiantur, ab anteriore parte apertæ maneant, aut confecto ex lignea crate hostiolo, addita sera clauiq; occludantur, vt cum abest Confessor, nemo in eius sede, quod sæpe ab vagis & sordidis hominibus, in frequentioribus maximè Ecclesijs, fieri videmus, considere, & per otium, atq; desidiam ibi dormitare, possit. Opus ipsum tabulis vtrinq; tantum spatij complectatur, quantum, & Confessoris sedem, & Pœnitentis scabellum capiat, vt eodem vterque sepimento contineatur. Spatium ipsum medium secet interiecta inter Confessorem & Pœnitentem tabula, in qua fenestella aperiatur, eaque ferrea lamina firmiter clauis confixa muniatur, laminaq; ipsa crebris paruisque foraminibus ita perterebretur, vt voci magis quàm oculis peruia sit; supra caput eadem materia promineat tectum, infra pedes basi à pauimento non nihil remota sustineatur. Totius operis structura à basi ad tectum altius quatuor cubitis non ducatur, latitudo à dextera ad sinistram cubitos tres, à fronte ad tergum, vnum modo cubitum, pateat. In eo diuisi spatij, ac sepimenti latere, quod summum altare

respiciet, Confessoris solium ædificetur, & sub ipsa fenestella, vnde Pœnitens auditur, assula longa, quantum latitudo fuerit interpositæ inter Confessorem, ac Pœnitentem, tabulæ, intrinsecus collocetur, in qua Confessor, auré fenestellæ admouens, brachio, & cubito niti, & commode hærere possit. In altero latere scabellum, & ipsum operi infixum, statuatur, in quo Pœnitens commodè genibus, & brachijs nitatur.

*De his quæ affigenda Confessionali sunt.* Cap. 121.

SVPRA scabellum in tabula, quę sedis Confessionalis tergum munit, imago aliqua crucifixi depicta, aut typis æneis expressa, affigatur, quã Pœnitẽs ante oculos positam, dum confitetur, intuens, eius maximè aspectu, ad religionem, & pietaté excitetur. In parte altera vbi Confessor sedet, supra fenestellam glutino applicata tabulæ sit tabella, in qua descripta precatiuncula aliqua legatur ex ijs, quibus Confessor ad audiendas Confessiones accedens, sese cōparare, & Deo commendare debet; & itẽ aliqua Christi Domini, & beatæ Marię imaguncula; & prętcrea absolutionis forma, & casus Episcopo reseruati. In tabula autẽ quę alterum Confessoris latus tegit, vbi fenestella nulla est, eodẽ glutino applicentur pœnitentiales canones, & bulla, quę quotannis à Pont. Max. in die cęnæ Dñi publicatur.

*Sacerdos Confessionem auditurus quomodo se comparare debet.* Cap. 122.

SACERDOS cùm ad pœnitentes audiendos est accessurus, primùm quidem quam sancti ministerij officium obeat, animo secum reputare debet, & intima mentis cogitatione ita affici, vt Charitatem diui Pauli, qui neminem infirmari, quin ipse quoque infirmaretur aiebat, imitatus, non suis solùm, sed etiam eorum, quos auditurus est, peccatis commoueatur. Deinde in terram sese abijciens, vbi indignitatem suam agnouerit, Deum precetur, vt adituris confessionem vetum delictorum suorum dolorem tribuat, quo malarum cupiditatum iugo dominatuq; aliquando elapsi, Deo ipsi verè, & ex animo satisfaciant. At ab se studium curiosius quicquam cognoscendi, aut inanem gloriam affectandi, aut vllo omnino sensuum motu de rectæ mentis constantia decedendi, auertat; animumque, & consilium ita regat, vt in vna eorum salute, qui se adierint, defixus, & ijs opportune consulat, & ipse per alienas culpas integer, innoxiusq; pertranseat. Atque hęc precatus curam adhibeat, ne quid ab se, quod ad illud Sacramentum ritè, recteque impertiendum pertineat, prætermittatur.

*Confessores quo habitu ad audiendas Confessiones sedere debeant.* Cap. 123.

NE quid, quòd augere Sacramenti huius venerationem possit à nobis prætermittatur, omniaque pro eius dignitate, quantum per nostram licèt indignitatem, fiant, volumus, & iubemus, vt secularis

Sacerdos

Sacerdos nemo ad audiendas Confeſſiones aliter quàm linteo veſtimento, quod ſuperpelliceum, aut cottam vocant indutus, ſtolaq; à collo pendente, & caput Sacerdotali bircto, non pileo, tectus, conſideat. Regulares verò eum cultum habitumque tam ſancto miniſterio adhibeant, quo ex diſciplinæ, ac regulæ ſuæ præſcripto, in choro diuina officia celebrantes vti conſueuerunt, aut debent.

*Confeſſor vt excipere Pœnitentem debet. Cap.* 124.

VBI ſe Sacerdos, ſuiſque cuſtodiam Deo precibus commendarit, ſua in ſede, loco ſita minimè obſcuro, ſed patenti, atque expoſito, vnde ipſe Pœnitenſque conſpici poſſit, conſideat; adeuntem comiter, benigneque accipiat, & quantum poteſt effandi, ſe ſeque penitus patefaciendi fiduciam addat; ruſticumque, & eo loco importunum pudorem excutiat. Neque enim decet, quem turpibus flagitijs inquinare manus, animumque, & Dei iuſſa detrectare, ac violare non puduit, eum ab illis Deo ipſi eiuſque miniſtro fatendis, edendiſque, verecundia abſterreri. Proinde perhumaniter admoneat cunctantem, dubitantemque, ne ſe cum homine loqui, ne ve hominis iudicium ſubire exiſtimet, ſed Dei; qui nec falli poteſt, nec fidentem ſibi, & ſimpliciter ſua errata agnoſcentem, fallet.

*Confeſſor quæ primum cognoſcere de pœnitente debeat.*
*Cap.* 125.

ANTEQVAM Pœnitentem Sacerdos audiat, conducere vtriuſque rationi videtur, vt cognoſcat an aliquo ille excommunicationis vinculo conſtrictus ſit, & quo. Nam ſi illud eſſet eiuſmodi, quod laxari, ſoluique ab ſe non poſſet, vltra audire, aut percunctari eum fruſtra eſſet; Item ſi mortali peccato ita implicitus, inuolutuſq; eſſet, vt eo abnueret abſtinere; vel peccandi facultatem, occaſionemque domi promptam, aſſiduamque ita haberet, vt quin ſæpius in idem flagitium recaſurus ſit, dubitari non poſſet. Illud quoque initio cognoſcere Sacerdos de Pœnitente ſtudeat, an curam adhibuerit in recolendis, atque in mentem reuocandis delictis ſuis, & an ſtabilem cogitationem ſuſceperit, ijs in poſterum temperandi. Si cui rem abſtulerit, aut exiſtimationem, famamq; magnopere læſerit, an illi ſatisfacere; item ſi à quo læſus ipſe violatuſque ſit, an ei veniam dare, offenſamque remittere, & omne abſtergere animo odium, ſtatutum apud ſe habeat. Atq; Pœnitentem quidem ſic affectum, non audiat ſolùm Sacerdos abſoluatque, ſed benigne conſoletur, & pro tam ſalutari, ac planè cœleſti dono, vt ſummas Deo gratias agat, adhortetur. Si quem verò, & in recognoſcendis, memoriaque repetendis peccatis ſuis, penitus negligentem, diſſolutumque, & eorum nullo dolore teneri, intellexerit, hunc nondum propterea aſpetè, acerbeque increpet, & quod quidam parum prudenter faciunt, conuicio reijciat; ne inde à Sacerdote, & à Sacramento pariter aba-

lienetur; ſed verbis perblandis, & paternæ humanitatis plenis, moneat, vt ſe ad tam ſalutare Sacramentum percipiendum, diligentius, maiorique pietatis ſtudio comparet, ac tum demum ad ſe redire iuſſum, dimittat.

*De Confeſſorum humanitate erga Pœnitentes.* *Cap.* 126.

IN ſpiritu lenitatis, & manſuetudinis peccatores ſuſcipere, ad pœnitentiam doloremque maleactę vitæ comi, ac benigna oratione traducere, quàm exprobratione, & conuicio abigere, aut in odioſam moleſtiam, ſtomacumque conijcere, ſatius, ſalubriuſque videtur. Neque enim ſeueritatem, atque acrioris reprehenſionis vim rectè adhibeas ad id, quod ni voluntariè animus ſuſcipiat, cogi compelliq; non poteſt. Igitur peccatorem quamuis atrocia, horrendaque fatentem, non ſolùm æquo animo audiat confeſſor, ſed veniç ſpe ſuſtentet, quò ille audacius omnia ſcelera, quibus opertus eſt, omnia animæ ſuæ vulnera aperiat, nudetque. Peccata inde ipſa Confeſſor execretur, eorum turpitudinem retegat, atque ante oculos ponat, & quàm ijs Deus offendatur, quæq; mala perſeuerantes in illis maneant, oſtendere conetur: Pœnitentem hinc metu pęnarum ad dolorem incitet, hinc magnitudine diuinæ clementiæ ſoletur, erigatque, & ad mutationem morum, & melioris vitę amorem accendat.

*De his quæ in fœminarum confeßionibus ſunt aduertenda.*
*Cap.* 127.

SACERDOS fœminarum audiens Confeſſiones, vt modeſtiæ illis, honeſtatiſque, atque decoris exemplum prębeat, demiſſis ad terram, aut aliò auerſis oculis, earum aſpectu temperet. Proſerre ipſas, ac promere peccata, quæ in mentem venerint hortetur, nec eas percunctationibus aggrediatur, niſi neceſſariò, & vt earum inſcitiæ ſubueniat. Nec ſi interrogandæ vtique videbuntur, de alijs, quàm in quibus ferè delinquere fœminæ conſueuerunt, exquirat; aut peccatorum veluti genera commonſtrans, elicere, & expiſcari ab ijs ſtudeat, ſi quid in eo genere peccauerint; circunſtantias, præſertim flagitioſarum voluptatum alias, quàm quæ peccati naturam varient, nec ipſe exquirat, nec effari eas patiatur. Nec verò vt criminis ſocios edant ab illis vllo modo expoſcet; quin horum non nomina ſolùm reticenda monebit, ſed cauendum vt ne coniectura quidem Confeſſor ea aſſequi poſſit. Atque hunc in virorum quoque confeſſionibus tenere morem, percommodum fuerit. Inſitam fœminis loquacitatem non ſolùm non prouocet, ſed vltro ab longis narrationibus, ac plerunque ſuperuacuis, & ab re, atque propoſito aberrantibus cohibeat.

*De cautione adhibenda, vt prima Religionis rudimenta ediſcantur.*
*Cap.* 128.

VT eorum infirmitati, atque adeo deteſtabili inertiæ, qui prima quoque Chriſtianæ pietatis rudimenta ignorant, occurratur, Parochis, & animarum curam habentibus, atque adeo Confeſſoribus omnibus, tam Regularibus quam ſecularibus mandamus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, vt ne cuius confeſſionem audiant, à quo ipſo ſtatim initio non exquirant, an Dominicam orationem, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Decem præcepta decalogi didicerint, memoriaq; teneant; eaque recitari ſibi iubeant. Quos rudes, ignaroſq; eorum compererint, paternis, atque acribus verbis caſtigatos etiam, atque etiam moneant, hortenturque vt addiſcant; nec aliter audiat, quàm ſi diligentem operam ei rei daturos ſe polliceantur; quin etiam pœnitentiæ iure id eis ſi expedire intellexerint iniungant. Quod ſi deinde bis, terue admoniti, promiſſo non ſatisfecerint, eiuſq; rei negligentes animaduerterint, eos nobis, aut Vicario noſtro inconſultis, vltra ad Confeſſionem non admittant, niſi fortè adeo rudi hebetique, ac tardo ingenio quidam videbuntur, vt prorſus nõ habiles ad ea perdiſcenda exiſtimentur, quod nos iudicio confeſſorum permittimus. His autem ne tam neceſſariò Sacramento arceantur, aliud aliquid pro eorum captu iniungendum à Confeſſoribus erit.

*De diligentia à Parochis adhibenda Confeßionum temporibus.*
*Cap.* 129.

PAROCHI diebus Paſchæ, aut Natalis Domini feſtis inſtantibus, quò tempore Populus omnis conuenire frequens ad confeſſiones ſolet, ab Eccleſia, curaque ſui gregis nuſquam diſcedãt; ne funeribus quidem, aut diuinis officijs aliena in Parochia, alterius Parochi inuitatu, vt dent operam. In Quadrageſima autem quantum cohortando, monendoque efficere poterunt, ſuos adducere conabuntur, ne in vltimos Hebdomadæ Sanctę dies confeſſionem differant; ſed præcipiant temporis aliquid, quo ad diuinam hoſtiam Euchariſtiamque ſumendam, animum religionis ac pietatis exercitationibus incitatum, compoſitumque afferant. Et ipſi Parochi tum quot in quaque domo ſuæ Parochiæ ſint, quibus pęnitentiæ Sacramentum impartiendum ſit, cognoſcant; omniumque nomina deſcribant; tum eos potiſſimum ad maturandam Confeſſionem hortentur, quos perraro confiteri intellexerint; oſtendentq; nullo modo debere eos ſe in illos occupatiſſimos dies reijcere, quibus ipſi concurſu, & frequentia ita impediri ſolent, vt feſſi corpore, & animo ſæpe confuſi, difficilè ſit tam accuratam ijs operam dare, quàm eorum ſtatus, & cauſa poſtularet. Ne illud quidem diligentiæ Parochi omittent, vt Quadrageſimæ diſtributas Hebdomadas habeant, & alias iunioribus, & adoleſcentibus, alias viris, alias virginibus, alias

alias mulieribus audiendis assignent, & sua quosque separatim hebdomada, in tempore ad se adire iubeant.

*De ætate qua quisque ad Confessionem tenetur.*
*Cap.* 130.

PVERI in ea ætate constituti, quæ rationis vsum non habet, & doli experti dicitur, confiteri necesse non habent, cùm neque admittere quod pęnam mereatur, neque præstare quod præmio dignum sit, uideantur posse. Sed ne certus quidem vniuersis definiri annorum numerus potest, cùm alius alio maturius adolescat, ætatemque ingenio, & calliditate præcurrat. Vnicuique tum demum indicta confitendi necessitas videtur, cùm de salute æterna deliberandi, & bonum, & malum discernendi vim habet; & aliqua delicti conscientia premi incipit. Id certe Parentes adolescentum, & pro se quisque curare debet, vt potius præuertat in eo maturæ ætatis tempus, quàm proferat.

*De Confitendi tempore.* *Cap.* 131.

SEMEL quotannis peccata sua confiteri Ecclesię lege omnes tenentur, sic vt huic legi non parere sine noxa nemini liceat. Et omne quidem tempus ad rem suapte vi salutarem, & pietatis plenam opportunum videtur, sed longè aptissimum sacris ieiunij, & Quadragesimæ diebus. Verùm qui salutis suæ rationem ducit, rectius fecerit, idque Parochi prędicare, atque inculcare suis quisque non intermittent, si consuetudinem induerit quam creberrime hoc se Sacramento procurandi, vel certè quoties, aut in morbum incidit, aut sibi periculum aliquod imminere intelligit, aut longius iter, aut grauius aliquod negocium est incepturus. Tum certè nullo modo omiserit, cùm vel administraturus, vel percepturus aliquod Sacramentum erit, ac ne tum quidem cùm delicti alicuius grauioris conscius, vereri poterit, ne illud sibi mora ac dilatione excidat.

*De Medicorum officio Aegros monendi, vt confiteantur.*
*Cap.* 132.

SANCITVM antiquorum canonum iure est, quod vetustate pene obsoletum, Pius Quintus Pont. Max. noua lege ad vsum reuocauit, vt Medici ad eorum curam, qui morbo affecti in lecto decumbunt, aduocati, eos ante omnia de Confessione admoneant; nec si Ægri, aut negligentia, aut contumacia non paruerint, amplius ad eos curandos reuertantur, nisi Parochus quem certiorem Medici facere debebunt, aut Confessum sibi Ægrum esse eos docuerit, aut confessionis tempus prorogandum illi esse, iustis de causis iudicauerit. Qui autem Medicorum his legibus non obtemperauerint, præter pęnas in legibus ipsis statutas, etiam pecunia, si ita nobis videbitur, mulctabuntur. Id autem cùm

pię

piè in primis, tum sapienter præceptum esse res ipsa demonstrat. Primùm quia sæpe fieri perspicuum est, vt morbis non tam à nobis contractis, quàm immissis, à Deo sceleribus nostris infenso, vexemur; ac tum eo nobis opus est Medico, qui veram morbi radicem, in ipsa hærentem anima, extrahere per Confessionem, atque pœnitentiam, & stirpitus euellere possit, ijsdem nos verbis compellans, quibus in Euangelio languidum illum, cui sanitatem attulerat, affatus est Dominus. Vade & noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat. Deinde quia vsu euenire plerunque videmus, vt dilata in illud tempus confessionis mentio, cùm morbi vi grauius periculosiusque conflictari incipimus, haud secus quàm denunciatio mortis ab laborantibus accipiatur, quam rem tanta sæpe illorum conturbatio sequitur, vt deterius multo pleriq; habere ex eo consuerint. Quod incommodum rectè anticipatione Sacramenti vitatur. Quo circa hortamur magnopere omnes, quos aliqua de ægrotis cura attingit, vt eos ipso statim morbi initio, ad reconciliandum se Deo per confessionem, omni studio adigere conantur.

*Contra quorundam Medicorum irreligiosam rationem.*

*Cap.* 133.

QVIDAM Medicorum adeo Christianę disciplinæ contemptores sunt, vt studio reddendæ ijs valetudinis, quorum curationi admouentur, ea interdum remedia adhibeant, quæ morbum à corpore depulsum in animam transferant. Quippe cęlibi, atque continenti licentiam libidinis, ac non iustos concubitus pro medicina præcipere non vereantur. Et aliquando etiam quos ars ipsa medendi frustratur, ad superstitiosas incantationes veneficiaque reijciant, & quam afferre corporibus salutem conantur, animis adimunt: at quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Conseruatio sanitatis, & morbi depulsio prius à Deo mente pia, & supplici prece expetenda impetrandaq; est, deinde Medicorum ars opisq; adhibenda. Itaque caueant Medici, ne quid ægris, quod Christianę religionis rationi aduersetur suadeant; nam si contra ausos facere compertum fuerit, & Ecclesiæ aditu prohibebuntur, & pręterea inusta eorum nomini perpetuæ ignominiæ nota medendi in posterum facultate priuabuntur, & pecunia etiam pro eorum merito arbitratu nostro mulctabuntur.

*De Confessione proprio Parocho facienda.*

*Cap.* 134.

PASTOREM cui mandata cura gregis est, maximè conuenit, quo quisq; morbo teneatur, scire, vt inde ei salubrem medicinam afferre, & ne mali contagium in alios serpat prouide occurrere possit. Idcirco sapienter institutum veteribus Patribus est, ne quis alteri quàm proprio Parocho peccata sua confiteatur,

fiteatur, vnique illi maximè animi sui plagas aperiat, qui eius constitutus medicus est. Quod nos Paschæ vtique tempore fieri volumus. Igitur licere nemini decernimus, alium Sacerdotem confitendi causa adire, nisi id ei à suo Parocho fuerit permissum. Quam permissionem aliter vim habere prohibemus, quàm si eam ille ipse ad quem spectat, per se à Parocho petierit, & scriptam obtinuerit. Debebit autem is ad Parochum ab eo Sacerdote cui confessus fuerit schedam referre, qua illi de Confessione ritè facta fides fiat, aliter ad communionem eum Parochus non admittat.

### *De Eleemosinis ob administratam Pœnitentiam non rogandis. Cap. 135.*

AD auertendam penitus omnem quæstus, & auaritię suspicionem, ab omnibus quidem Sacerdotibus, sed maximè ab tam Sancti Sacramenti ministro, alienæ, Confessores eleemosinam, aut omnino quicquam à Pœnitentibus ob impertitam absolutionem petere ita prohibemus, vt si quid sponte delatum illis fuerit, id amoueri statim velimus; nec iuxta Confessionale, aut alio proximo loco, peluiculas locari, aut sudariola extendi, quibus coniectę eleemosinę excipiantur; aut omnino quicquam fieri, quo adeuntes, veluti proposito exemplo, ad largiendum aliquid admoneantur, inuitenturque; ne quod verbis non licet, tacitis quasi signis petatur.

### *De Eleemosinarum erogatione curaque à Confessoribus repudianda. Cap. 136.*

SI quando exigere delictorum, ac pœnitentis ratio videbitur, vt ei aliqua pecuniæ, aut eleemosinæ erogatio imperetur, illam Confessor pio alicui vsui adscribi, distribuiuè, neque tamen ad se deferri iubebit, neque eius tradendæ, neque distribuendæ negotium ipse suscipiet. Simili modo si forte quid præbendum ad diuina sacrificia, sacrasq; missas faciendas fuerit, neque missas ipsas, neque curam earum vllam mandari sibi patietur; sed rem totam Pœnitenti ipsi permittet, ne vllam ipse de se suspicionem cupiditatis, & auaritiæ præbeat. Quod si quis in hoc deprensus crimine fuerit, grauiter à nobis, etiam excommunicationis pœna punietur. Item si rem alteri ablatam aliquis ad Confessorem detulerit, caueat ille ne delatam ad se interuertat, sibique retineat, sed aut ipse iusto Domino restituat, aut Vicario nostro tradat, cui curę erit, vt vel reddatur ad quem pertinet; vel si ille non extabit, in pios vsus erogetur.

### *De Votis commutandis. Cap. 137.*

CONFESSORES Diœcesis nostrę omnes admonitos volumus, vt si quando ijs facultas tributa fuerit Pœnitentium vota commutandi, id ma-

gna ratione, nec nisi cogitato, & consulto faciant. Illud in primis spectent, vt paribus ea, aut maioribus religionis, & pietatis officijs operibusque, & ad Dei cultum, atque honorem pariter pertinentibus compensentur. In eiusq; rei æstimatione, & sumptuum, & laborum, & incommodum omnium, quæ perpessurus Pęnitens in voto persoluendo fuisset, rationem ducant.

*De Casibus Episcopo reseruatis.* *Cap.* 138.

AD Ecclesiasticæ disciplinæ rationem magnopere pertinere veteres, & Sancti Patres censuere, vt grauiora quædam, & atrociora crimina, delictaq; cognoscenda, & asperioribus, atque accommodatioribus pœnitentijs vindicanda, solis Episcopis reseruarentur, aut quibus Episcopi eam rem mandassent; quo hac etiam via audacię, quoad fieri potest, occurreretur, & frenum nefariæ peccandi licentiæ inijceretur. Nos igitur morem vetustate, & vtilitate probandum, vt retineamus, omnibus Confessoribus nostræ Diœcesis tam Secularibus, quàm Regularibus interdicimus, ne quem à delictis, quæ nostro huic decreto subscripta ordine erunt, absoluere audeant, nisi eius rei facultate instructi à nobis fuerint: debebunt autem, aut Pœnitentes ipsos ad nos reijcere, aut si id illi minimè voluerint, nominibus eorum suppressis, facinora ipsa ad nos referre, & consilio, ac voluntate nostra accepta, tum demum pęnitentia, quam nos cum illis decreuerimus, iniuncta, absolutionem ijs impartiri. Quod si quis Confessor, cuiuscunque ordinis sit contra huius decreti nostri auctoritatem absoluere quemquam ab vllo horum casuum, quos nobis reseruamus, ausus fuerit, eum ipso facto excommunicatum esse decernimus. Verùm sicuti quædam suę vnius potestatis facere ex veteri Ecclesiæ instituto Episcopo licèt, ita ex eiusdem Ecclesiæ auctoritate nihil excipitur, à quo quiuis Sacerdos absoluere ægrotos, in mortis periculo versantes non possit.

Raptus.
Stuprum Moniali illatum.
Abortus studio quæsitus.
Incestum secundo, aut propinquiori gradu patratum.
Cædes siue homicidium sponte admissum.
Parentum pulsatio.
Notariorum fraus legata ad pias causas occultantium, aut non renunciantium.
Scelus eorum, qui Eucharistia, sacrisque rebus ad veneficia, magicasque artes abutuntur.
Sacrilegium.
Coitio cum Bestijs.
Falsum testimonium in iudicio dictum.
Infantum per incuriam compressio.

De

*De dubijs.* *Cap.* 139.

CVM fortè quid Pœnitens confitebitur, quod ancipitem deliberationem habere videatur, & dubitat Confessor, an ad id remittendum peccatum, sat ipse habeat iuris, potius quàm errore labatur, vnaq; inde secum in eundem casum pœnitentem trahat, petat ab eo vt tantisper expectet, dum ipse, aut libros adeat, aut peritiores se consulat. Nec ipsum pudeat fateri quod sibi non liquet, nec Pœnitens ferat grauiter absolutionem suam in alium diem differri, vt de se iustum, & è canonum fonte haustum iudicium feratur; tam enim sua interest falsam, & ab iure inanem absolutionis sententiam non referre, quàm grauiter delinquit Confessor, si temeritate, atque inscitia iniustè, & contra quam fas ei est iudicat, aut sibi non concessam potestatem nefariè arrogat.

*De ijs qui aliena non reddunt.* *Cap.* 140.

SI quis à Confessore semel, aut iterum admonitus, promiserit, quod iniustè de alieno occupat, reddere, cùm eius rei facultatem habeat, nec inde promissum exoluerit, Confessor tamdiu absoluendo eo abstineat, donec ille fidem aliquando liberet suam. Excipimus tamen eos, qui graui ac periculoso morbo affecti essent, à quibus sat fuerit exigere, vt cùm primum poterunt, satis se facturos officio recipiant.

*De his qui falsum testimonium in aliquem dixerunt.*
*Cap.* 141.

ALTERIVS famam, & existimationem, calumnia mendacioque diminuere tanto, quàm rei damnum inferre, grauius est, quanto pecuniæ incommodum sarcire, quàm semel inustam alicuius nomini infamiæ notam abluere, facilius fuerit. Sed fidem ab humana societate auferre, & grauissimo se scelere obstringere is videtur, qui apud Iudicem falsum testimonium iuratus in alterum dixerit, eiusque fortunam, famamq; auctoritate sua iniuste peruerterit. Hac fraudis, & perfidię macula contaminatum Confessor nequaquam absoluat, nisi quatenus fieri poterit, damno illato, iniurięq; satisfecerit.

*De Fœneratoribus.* *Cap.* 142.

AD coercendam eorum licentiam, qui incautos, egentesq; fraude, ac fœnore exhauriunt, & sępe omnibus fortunis spoliant, iniquissimeq; euertunt, Confessor adeuntium se fęneratorum conscientias quantum poterit diligenter exploret, & à quibus, aut iniustis contractibus deceptos plerosque, circumuentosque, aut necessitate ad damnosas secum pactiones ineundas compulsos, aut omnino pæcunias iniuste captas, compererit, ijs absolutionem impartiri

tiri neget, nisi ex sacrorum Canonum iure debitam restitutionem satisfactionemque promiserint.

### *De Irregularibus.* Cap. 143.

EODEM modo cùm ex Iubilei auctoritate, aut alijs Apostolicis litteris facultas confessoribus permissa fuerit, Pœnitentes etiam à grauioribus delictis, & à pœnis censurisque, quibus obstricti tenerentur, absoluendi, non propterea irregularitatis quoque vinculis implicitos soluere, aut dispensare audeant, nisi nominatim eius rei tributa potestas ijs fuerit.

### *De Interdictis.* Cap. 144.

SI cui ob omissam, aut contemptu, aut contumacia confitendi, & Sacram Eucharistiam sumendi sacro Paschæ tempore, necessitatem, qua ex Ecclesiæ præcepto legeque omnes tenemur, Ecclesiæ aditu, aut Christianę sepulturæ iure publicè interdictum fuerit, is à Confessoribus eius interdicti vinculo non soluatur, nisi intra tempus à Parocho præfinitum, confessionem se ritè facturum, & Eucharistiam, vt in Christiana disciplina educatum, institutumque decet, piè sumpturum cauerit. Et in posterum cùm reliquis Ecclesiæ iussis, tum huic in primis de Confessione, & Communione, obtemperaturum pollicitus fuerit. Parochus autem quem antea populo interdicti vinculis constrictum edixerat, eundem ijs solutum esse denunciabit.

### *De ratione quadam quam sequi Confessor in pœnitentijs imponendis potest.* Cap. 145.

QVANQVAM certa tradi ratio pœnitentias imponendi non possit, propterea quod pœnarum genera ex varietate delictorum varianda sunt, tamen non ab re facturus videtur Confessor, qui pœnitentiæ genus ex ipsius peccati natura haurire studebit. Vt si cuius peccatum ab arrogantia, atque superbia profectum intelliget, qua diuina in primis maiestas contemni, lædique videtur; hunc crebras ad Deum ipsum præces, orationesque facere, frequentem diuinis sacrificijs interesse, ægros in publicis Hospitalibus, vinctos in publicis carceribus visere, solari, opera, consilioque iuuare iubebit, aliaue agere, quæ animi elationem frangere, reprimereque ac religioni, & pietati summittere possint. Si quem auaritiæ morbo laborare, ac sæpe rei suæ augendæ causa deliquisse in proximum sentiet, hunc ante omnia, si quid iniuste ereptum possidet, reddere, deinde eleemosinas largè egentibus præbere coget. At inquinatos turpibus luxuriæ labibus, vt eluat,

& temperantiæ continentiæque assuescere doceat, vilibus, tenuibusque vesci cibis, ieiunijs, inediaque efferuescentem compescere ac domare libidinem, corpus itinerum, ac peregrinationum laboribus fatigare iubebit. Sic fiet vt Sacramentum non solùm morbis medeatur, quibus pœnitentis animus ante oppressus tenebatur, sed etiam vt eo in posterum aduersus peccatorum vim firmior, munitiorque reddatur.

*Item de modo Confessoribus in indicendis pænitentijs tenendo.*

*Cap.* 146.

PÆNITENTIALIVM canonum iure impositas singulis sceleribus pœnas, pœnitentiasque nosse Confessoribus perutile fuerit; cùm vt ex ijs ipsi melius certiusque statuere, quæ cuique peccato definienda pœnitentia sit, tum vt Penitentes ipsi ab Confessoribus de prisci moris seueritate edocti, quanto nunc benignius cum illis pia mater Ecclesia agat intelligentes, hanc saltem ei gratiam referant, vt peccatorum consuetudine ob id diligentius abstineant. In decernendis autem pęnitentijs Confessores modum teneant, & grauitate peccatorum æstimata, & cuiusque pęnitentis animo, ingenio, statu perpenso videant, vt neque nimia facilitate, ac mansuetudine prouecti, adeo leuem irrogent pęnam, vt inde licentiores, proniores que ad peccandum illi efficiantur, confessorque ipse peccatorum ipsorum culpam sustineat; neq; nimia seueritate deterreat, & in mærorem, tristitiáque, atque adeo in desperationem adducat. Præstat enim mitiori decreto pęnæ illis aliquid in Purgatorio expiandum relinqui, quàm acerbitate pęnitentiæ à confessione, & Sacramento simul absterritos, atque alięnatos, ad æterna inferni supplicia pręcipitari. Pęnitentiales autem canones, vt in promptu Confessoribus Diœcesis nostræ sint, transcribi in huius de pęnitentia disputationis finem iussimus. Quibus adiecimus casus excommunicationis bullæ Cęnæ Domini, & casus, qui Canonum iure Pontifici maximo, & eos qui eodem iure Episcopis reseruantur, & quædam aliquando Episcopis, aliquando Pontifici reseruata, vt omnia prompta Parochis nostris sint, si quando iis opus habebunt.

*De Publica Penitentia.*

*Cap.* 147.

INSTITVIT Oecumenica Tridentina Synodus priscorum Patrum secuta morem, vt palam, & in multorum conspectu ac veluti publicè peccantibus, publica etiam pro facinoris atrocitate pœnitentia imperetur vt quorum animos audaciæ, ac sceleris exemplo offenderunt,

runt, aut ad idem audendum prouocarint, eos emendationis, ac pœnitentiæ specimine, placent, & ad rectæ mentis consilium reuocent. Nec Confessorum quisquam hanc meritos pœnam aliter absoluere, aut publicam pœnitentiam in priuatam, occultamque commutare sine auctoritate nostra audeat. Qui secus fecerit, grauiter à nobis punietur; cupimus enim si ita ratio, & vtilitas Ecclesiæ nostræ postulare videbitur, rem priscæ disciplinę exemplum referentem, in morem, vsumque reducere. Si qui igitur erunt, quos ita pœnitere oporteat, Confessores ea de re nos certiores facient; qui si ita expedire videbitur, rei executionem ad ineūtem Quadragesimam reijciemus, quo maximè tempore has peragi pœnitentias, & Pęnitentes ipsos in die Cœnæ Domini solemni cerimonia, rituque Ecclesiæ reconciliari vsitatum apud veteres fuisse compe-rimus.

*De Pœnitentia ante absolutionem imponanda.*
*Cap.* 148.

PÆNITENTIA imposita tum demum absolutionem Confessor impartiatur. Nam id præterquam quod vsitatius veteribus fuit, etiam ordini rei magis esse consentaneum videtur; cùm fieri interdum possit, vt genus ipsum pœnitentiæ, vel quia opinione sua grauius, vel quia insolitum illi, à Pœnitente respuatur; vt constitutum id ante cum ipso habere, quàm ei peccata remittantur, cautius tutiusque videatur. Quanquam danda opera Confessori est, vt, quoad eius fieri potest, pęnitentia quam maximè ad pęnitentis voluntatem accommodetur, quò ad eam subeundam non inuito, ac repugnanti, sed æquo ac libenti animo adducatur. Et Confessori quidem in pęnitentijs statuendis mitiorem, quàm seueriorem in partem peccare, consultius fuerit.

*Confessores non aliter quàm sedentes audire, & absoluere Pœnitentem debent.*
*Cap.* 149.

CAVEANT Confessores omnes, ne cuius Confessionem aliter quàm sedentes audiant, quicunque ille sit, & quocunque vel summo honoris, aut potestatis splendore effulgeat. Iudicum enim partes officiumque, & quod cuiusuis humanæ dignitatis fastigium superat, Dei ipsius vices, sustinentes, agentesque, cognitis pœnitentium delictis, absolutionis sententiam, pro cuiusque meritò pronunciare, veluti è tribunali, conuenit.

*De Absolutionis forma.* Cap. 150.

ABSOLVTIONIS formam eandem omnibus Diœcesis nostræ Confessoribus esse cupimus,& curam ab omnibus adhiberi, ne quid in ea erretur. Erit autem huiusmodi. Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis,perducat te in vitam æternam, Amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus, Amen. Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius te absoluo ab omni vinculo excommunicationis,si qua teneris,quantum ego possum, & tu indiges, deinde te absoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi,& merita beatæ Mariæ semper Virginis, &omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum tuorum,in augumentum gratiæ, & præmium vitæ æternę, Amen. Vade in pace, & noli amplius peccare. Vetusti autem moris seruandi, ac retinendi causa, Confessor dum absolutionem impartitur, dextera super pęnitentis caput elata, absolutionis formam, & preces peragat. Quod & si ad Sacramenti effectionem non pertinet; tamen quia, & vsitatum veteribus Patribus est, & mysterij significationẽ habet, omitti non videtur debere.

*Quædam de quibus admoneri Pœnitentem post Confessionem vtile fuerit.*

Cap. 151.

PERACTA Confessione, ac singulorum peccatorum grauitate, ac turpitudine à Confessore demonstrata, quo Pœnitens confirmatior, animatiorque ad amplectendam melioris, & emendatioris vitæ cogitationem discedat; primò quidem ipsum postquam absolutus ab se fuerit, obliterata omni culpæ macula, ab æternæ pœnę periculo Dei benignitate, & merito profusi pro salute nostra à Iesu Christo sanguinis, liberatum forè, doceat. Deinde hortetur, vt accepti beneficij, & veniæ tot capitallum scelerum impętratæ memor, scelerum ipsorum, quibus sempiternam mortem meruerat, tantò incendatur odio,vt in posterũ nullis sensuum illecebris deprauari, ac decipi, nullis prauarum cupiditatum blandimentis de rectæ mentis statu, consilioque deijci se patiatur; sed quantum à vitiorum iam ac peccatorum contagione recedere in animum induxit, tantum ad pietatis, & Christianæ vitæ officia ipse se incitare studeat. Moneat præterea ieiuniorum tempora, vt præceptum ab Ecclesia est seruare, vetitisque abstinere cibis, dies festos colere; Ecclesiasque, & diuina officia illis maximè diebus frequentare; Decimas, si quas debet, persoluere, cùm earum solutio præcepta diuinitus sit;

neminem

neminem vi aut iniuria opprimere, & minimè omnium Ecclesiasticos homines; Magistratibus tam Secularibus, quam Ecclesiasticis; item parentibus, aut alijs in quorum cura, aut potestate sint, obsequentes se, obedientesq; præbere; Atque per hæc verè Christianæ disciplinæ moribus, institutisq; insuescere.

*De his qui nuper confessi iterum confiteri cupiunt.*
*Cap. 152.*

SÆPE qui confessi sunt, & si nihil mortale, ac ne quod grauius quidem sit admiserint; tamen cùm ad Eucharistiam sumendam accedunt, iterũ adire Confessoris aures, & vt dicitur reconciliari cupiunt, ne quid spatij inter Confessionem, & Communionem interijciatur, tanquam nullum expers peccati tempus esse possit. In quo Mulierum fastidium, eo vsque efferri interdum solet, vt Parochum ad ipsum Altare Eucharistiam manu iam tenentem, ac populo eam ministrare parantem, interpellare non vereantur, & ab stante eo vtique audiri, & absolutionem auferre velint. Id quia, & tempore, & loco alienum est, & Sacerdotem non stantem audire confitentes, sed sedentem, veluti Iudicem, è tribunali absolutionis sententiam ferre decet; volumus quidem Parochũ nec operæ, nec labori suo parcere, vt eius in recipiendis, benigneque audiendis omnibus, etiam ijs, qui secundò confiteri, ac reconciliari cupierint, assiduitas, charitasq; ne desideretur; sed ad ipsum Altare adeuntes, seq; Sanctissimi Sacramenti ministerio occupatum, importune compellantes, repelli prorsus, & in aliud tempus reijci, mandamus.

## DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.
CAP. 153.

SEMPER quidem nobis perennis nostri generis imminet hostis, nec vllum ab insidijs vacuum tempus relinquit; sed tum acrius vehementiusq; ad oppugnationem nostri, perniciemq; incumbit, cùm migraturi è vita postremum agimus spiritum, quod tum in fraudem inductis, spatium recipiendi animum, & è faucibus eius euadendi plerunq; præripitur nobis. Aduersus tam immanem, tam insidiosum, ac nos sæpe in arcto prementem hostem, cœlestis tamen præsidij ope non destituimur; & quo infestam eius vim repellere, dolosque euitare possimus, aliaq; supremi illius temporis subsidia consequamur, extremæ vnctionis Sacramento diuina nos præfulcituit benignitas: vt quemadmodum statim in hanc editi lucem, primaq; vitæ spatia ingredientes, Sacra Baptismi aqua abluti, expiamur; ita ad vltimum demum progressi terminum, & eò transituri, vbi sine termino vllo æternę nos seu præmiorum, seu pœnarum sedes manent, Sacrato Oleo piè ac ritè delibuti muniamur, & recreemur.

*De vtili mortis meditatione, quam affert Extrema Vnctio.*
*Cap. 154.*

CVM ad alia vtilis Sacramenti huius perceptio habetur, tum maximè salutaris ad instantis mortis horam in mentem reuocandam, animoque reputandam, videri potest. In omnibus operibus tuis, inquit, memorare nouissima tua, & non peccabis in æternum. Hac quippe cogitatione, cùm in omni vita à prauis cupiditatibus coercemur; tum duo, tali quidem tempore, maximè expetenda assequimur, vt & Deo magis reconciliemur, ab eoque veniam erratorũ pia & ab intimo missa animo prece petamus; & ita nos ad vitæ illecebras abijciendas comparemus, vt mortem ipsam minus horrere, minusque illius veluti aspectu commoueri, discamus, dũ eius instare necessitatem intelligimus, & diuinam gratiam in Extremæ Vnctionis Sacramento, præsto esse nobis, indeq; expeditiorem ad cœlum viam habituros, confidimus; atq; ita huius Sacramenti vi recreati, & veluti ad sanctitatem confirmati, haud sanè inuiti fluxæ mortalisque vitę vsuram relinquemus, vt ad stabilis, & nunquam desituræ vitæ beatitudinem demigremus.

*De his qui ægrotantium curam habent.* *Cap. 155.*

MAGNVM in ijs positum momentum esse ducimus ad animum a terrenis rebus ad cœlestium cogitationem erigendum, & cùm suprema instat hora, ad benè sanctéque moriendum, qui decumbentibus, & grauiter laborantibus assistunt. Itaq; hortamur magnopere omnes, quibuscunq; mandata ægrotorum cura est, quod supra in cap. 14. de Pœnitentia monuimus; vt parem animæ atque corporis rationem ducant, neq; Medicum, quàm Sacerdotem diligentius accersitum mittant; sed pari studio vtriusque operam adhibeant; & quemadmodum simul ac quis decubuit, ac malè habere cœpit, nullâ mora interiectâ adducitur Medicus; ita eodem quoque tempore Sacerdos aduocetur; ne ante corpori, quàm animo sua medicina fiat; & prius mens à peccatorum conscientia per confessionem, & pœnitentiam sanetur, quàm remedia curando morbo adhibeantur: sæpe enim fit, vt morbus ipse causam in peccatis habeat, atque ijs amotis, morbus quoque sua sponte decedat. Sic enim Dominus noster languidum ab se sanitati restitutum admonuit; Vade, & noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat. Qui igitur ægrotanti assistunt non minus sedulò quæ animæ, quàm quæ corpori vtilia, ac salubria sint, curæ habeant.

*Aduersus eos, qui ægrotantium curam habent.* *Cap. 156.*

IN hac ægrotantium cura quia persæpe peccari quorundam aut irreligioso metu, aut cõtumaci negligentia intelligimus, qua eo prouehuntur interdum,

ut Parochi studium etiam repudient,ac visere ægrum cupientem aditu prohibeant, nos vt simul ægrotantium necessitati cõsulamus, simul improbæ iustorum rationi, qui animæ curam non tanti,quanti res est facere videntur,occurramus,omnibus quibuscunq; in quorum potestate curaue sunt ægri,præcipimus,ne parochũ, aut alium pro Parocho Sacerdotem, qui adire ægrum pioque fungi officio voluerit, excludant,aut omnino in aliud tempus reijciant, quamuis æger ipse id aspernari officium videretur. Sed eum protinus admittant,vt suo solandi, hortandi, monendi, Christianisque Sacramentis affecti morbo animam,vt vsus illius fuerit, ritè procurandi munere fungi sine mora,aut impedimento vllo possit. Item si æger cum solo colloqui Parocho remotis arbitris,& cum eo de rebus suis agere voluerit, ne quis huic voluntati eius moram impedimentumve afferre audeat. Qui secus fecerint,ijs pœnas quas ipsi meritos iudicauerimus,indicimus. Quod si iusta aliqua causa subesset, quam ob causam, aut Parochus adire ad ægrum recusaret,aut æger adeuntem reijceret,de eo vtriq; certiores facere nos continuò debebunt; qui si rem probauerimus, Sacerdotem alium Parochi vicem subire statim iubebimus. His non parentibus parem arbitrio nostro pœnam statuimus.

*De Parochi studio erga Aegrotantes.* Cap. 157.

PAROCHI charitas vel maximè in ægrorum cura elucet. Quæ quidem eo intentior esse debet, quo & præsentius periculum,& in eo corporis pariter,& animæ salus,& incolumitas agitur: cum ergo incidisse in morbum, è suis aliquem Parochus acceperit,non expectet,vt accersatur,sed vltro iacentem adeat. Ac si,quod plerumque accidit,tantum de valetudine sollicitum, eorũ, quibus animæ periculosa peccatorum sue affectæ medeatur, prorsus incuriosum inuenerit;tum illum callidi dæmonis insidijs obsessum cùm intelligat, veras Pastoris partes amplectatur, animamque sæuissimi lupi fraudibus interceptam, strenuè ereptum eat; & tempore, ac sermone apto aggressus, ad cogitationem veræ salutis reuocare eum conetur; siue blanda,& amica cohortatione, siue, si res ita poscere videatur, etiam periculi denuntiatione. Quod si ne hoc quidem commoueri eum senserit,tum apertius damnationis admoneat, quæ illi ad Dei tribunal mox adituro impendet, & quæ damnatum supplicia apud inferos manent, si vitam in ipsis peccatis reliquerit. Sed hæc ita cum eo aget,vt nihil vnquam ab ira, aut indignatione, sed omnia à charitate, & studio salutis illius proficisci intelligat; quæ eo præsertim tempore,aptior certiorque persuadendi, & à terrenis rebus ad cœlestium amorem meditationemque traducendi animum,ratio esse videtur. Denique nunc rogando, nunc reprehendendo, nunc spe, nunc metu tractando, tamdiu instet, donec peruicerit, vt animæ suam medicinam adhiberi patiatur. Huic loco adijciendum id quoque duximus,vt in visendis fœminis morbo laborantibus eam Parochus modestiam, religionemque adhibeat,vt haud minus ab se verecundiam pudoremq; coli,quàm ipsis colatur

fœminis appareat. Quin eas peccata confitentes ita remotis arbitris assidens lecto audiat, vt conspici, tamen à domesticis si loci ratio tulerit, possit. Quo in omni cum mulieribus actione prima semper honestatis cura habeatur; omnisq; longè absit suspicio turpitudinis.

*De diligentia à Parocho adhibenda, vt æger in fidei constantia retineatur.*

*Cap. 158.*

QVEMADMODVM hostis noster eo potissimum tempore, cùm supremus nobis instat dies, varia nos arte infestus oppugnat, ita ad omnes impetus eius occurrere sedula Parochi cura debebit. Ac supremo quidem conatu in ipsam fidei arcem immanis illa bellua inuadit; quòd si inde nos deiecerit, nihil ei negotij ad integram de nobis victoriam superesse intelligit. Eo igitur studiosius Parochus, vt ægrum in veræ pietatis fide retineat, enitetur, & cùm alia, quæ in rem esse iudicauerit, differet, tum eum de singulis Catholicę fidei partibus, articulisque appellabit; dabitque operam vt singulorum confessionem ab eo eliciat; subinde quærens, an vera esse omnia sine vlla dubitatione persuasum, statutumque apud se habeat, & an velit in hac veræ sanctitatis parente Ecclesia vltimũ deponere spiritũ, in qua tot pro Christo Martires vitam fortissimè profuderunt, quam doctissimorum, atque innocentissimorum virorum celsissima ingenia æternis litterarum monumentis decorarunt, ac illustrarunt. Quod si ipse, vt Christianum decet, annuerit, tum eum commonefaciat Parochus, vt huius Ecclesiæ auctoritatem inimico Dæmoni, varias fortè illi ad fallendũ, dubitationes subijcienti, semper opponat; & sub eo veluti impenetrabili clipeo, conquiescat; idq; credere, & pro non dubio habere se profiteatur, quod eadem credit, & docet Ecclesia. Quin ex veteri more, adhortabitur ægrotum Parochus, vt palam testetur, edicatque se, si quid insidiosi Dæmonis fraude inductus, aut diceret posthac, aut opinaretur, quod ei fidei ac sententiæ quam professus esset, repugnaret, id pro non dicto, nonue credito haberi penitus velle.

*De nimia ægroti fiducia à Parocho cohibenda.*

*Cap. 159.*

A FIDEI labefactendæ spe, veluti ab arce salutis nostræ repulsus hostis, ad nouas scilicet se vertit artes, & cuius infirmare constantiam nequiuit, ei fiduciam addere, & veluti suis armis euertere ægrum molitur. Tum quę rectè, ac piè vnquam egit, cogitauitq;, omnia in mentem reuocat, eorumq; cogitatione fretum, deponere omnem metum, nec de salute quicquam dubitare eum debere, callidus ostendit. At Parochus contra, sanctum illum Dei timorem excitare, à quo salutaris, & grata Deo humilitas existit, qua nostra benefacta atterentes, nos ipsos diuinæ potestati submittimus, bonitatiq; omnia tribuimus, &

omnem

omnem inde in eius summam benignitatem, & misericordiam spem ponimus. Demonstrabitque hac semota misericordia, nostris actionibus non præmia, sed pœnam deberi: Denique eò traducere animum eius conabitur, vt cùm diuino illo vate Deum ita alloquatur: Domine ne intres in iudicium cum seruo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

*De ægroto desperatione fracto ad spem erigendo.*
*Cap. 160.*

FALSA sui ipsius fiducia, salubri Dei timore iniecto, ab ægroti animo eruta, rursus Dæmon in contrariã eũ propellere fraudem contendit; & quantis se obstrinxerit sceleribus, quoties diuina iussa contemptui habuerit, quàm sæpe, quàm turpibus flagitijs seque, & vitam contaminauerit, & cœlestem iram in se prouocauerit, in memoriam reducens, eò anxium, & instantis mortis perturbatione conflictatum adigit, vt omni spe abiecta, summa salutis desperatione occupari se patiatur. Hic Parochus vberes diuinæ misericordiæ fontes aperiet, & profusum pro nobis Iesu Christi sanguinem, & nullum esse tantum nefas, nullum tam nefarium facinus dicet, quod non ille abluat sanguis, si dum superest spiritus, concepto intimis animis dolore, veniam piè, atq; humiliter deprecemur. Atque per hæc, & similia, ægri animum, amissa spe, fractum, abiectumque erigere, & ad Dei benignitatem implorandam, eiusque fidendum misericordiæ traducere contendet. Sed prudenter tamen Parochus, & caute in hoc loco versabitur, atque ita rem aget, vt modum teneat, ne dum confidentiam reprimit, de ipsa quoque spe penitus deijciat, aut à desperatione dum reuocat, rursus in vanam fiduciam erigat.

*De Aegrotis, qui in morte magnis doloribus premuntur.*
*Cap. 161.*

SVNT qui cruciatus, quos natura morbi gignit, adeo non ferunt, adeo acerbitate dolorum satiscunt, vt inde omnia abrupta patientia, ad insaniam furoremq; adigantur, sic vt sæpe mortem in remedium poscant, & Dæmonem ipsum, cuius fraude ad iram tam impotentem impelluntur, in auxiliũ inuocent. Hos Parochus nunc monendo coerceat, nunc hortando soletur, blandis semper, & amantibus verbis. Et quas Dominus noster pro nostra salute acerbitates, quæ supplicia pertulerit, proponat. Eiusque benignitatis munus esse doceat, quod his illi doloribus ad breue tempus torqueantur, quo inde ab sæuioribus, & longioribus pœnis liberentur. Si enim vnius mortiferi peccati culpa æternis nos inferorum supplicijs damnat, quæ manere tormenta eos putemus, qui coöperti flagitijs, ad diuinam clementiam, in qua vna nobis veniæ spes est, confugere per summam contumaciam, atque amentiam recusant; & non diuturnii, nec maximi doloris sensu, ita franguntur, vt acerbissimorum illorum

crucia-

cruciatuum obliuiscantur, quibus damnati in Inferno sine spe, sine leuamento vllo æternum vruntur?

*De iuuenibus in mortis periculo versantibus.*
*Cap. 162.*

ALIOS flos ipse ætatis angit, etipique vitæ se in ipso prope vitæ aditu, vt iniuriam quæruntur; & cùm instantis necessitatis admonentur, in questus fletusq; eunt; viuendique cupidini ita fixi inhærent, vt omnem mortis mentionem, omnia monentium, consolantiumq; consilia respuentes, identidem singulorum opem ad vitam retinendam implorent. Cuius illecebras assiduè subijciens improbus Dœmon, deponere eos inutilem spem non patitur. His quoq; præsto sit oportet plena charitatis, & fidei Parochi prudentia, & sanctissimorum iuuenum exempla referens, quorum copiam martirum res gestæ suppeditabunt, ad vitę humanarumque rerum contemptum, quę breues semper & fluxæ sunt, eorum traducere animum conabitur. Corporis nullam fieri iacturam, quod omnino, aut morbi, aut anni consumpturi sunt; & satis videri diù vixisse, qui piè, sanctèq; morerentur; & spiritum à Deo acceptum, reposcenti Deo, non inuitè reddendum. Quid enim esse aliud diutius viuere, quã diutius periclitari, animamque nouis subinde peccatorum sarcinis onerare? Quò nos Deus maturius in patriam, vnde profecti sumus reuocat, eò agi nobiscum preclarius, qui nouis peccandi occasionibus opportune præripimur: proq; magno id diuinæ in nos benignitatis argumento esse accipiendum.

*De Morituris qui liberorum caritate plus æquo commouentur.*
*Cap. 163.*

POSTREMO (nam horum quoque mentes callidus agitat, atque implicat Dœmon) eorum animis medendum Parocho erit, qui aut amore in coniugem, aut charitate in paruos liberos, ita in morte perturbantur, vt anxij, afflictique mętore, & misericordia puerorum, quorum aut egestati, orbitatiq; timent, aut ipsas opes quas relinquunt, periculi causam ijs fore, ac direptas iri à tutoribus, propinquisq; suspicantur; & vxorem ipsam forma, atque ætate integra, adiecturam ad nouas nuptias animum, atque ita filios destitutos, omnium iniurię expositos fore. Et in hac cogitatione ita defigunt animos, vt inde curam proprię salutis, & relinquendi mox vitam, & cum vita hos humanarum rerum affectus, sensusque, nullam suscipiant. Hi abducendi scilicet erunt ab ea cogitatione, & ad curam sui ipsorum reuocandi. liberorum parentem futurum Deum, cui geniti sint, eum nec illis, nec vxori defuturum. Nec ipsos de terrenis iam opibus sollicitos esse debere, sed cœlestes spectare diuitias; quas si diuinę misericordię fiderent, eique humilem, & pium animum, & ab omni peccatorum labe per veram pœnitentiam expurgatum offerentes, se fortiter instanti morti

ti morti accommodarent, breui consecuturi, & nunquam inde amissuri essent. Atque his, similibusque monitis, vt cuique opus esse intellexerit, diligens atque religiosus Parochus, merientium saluti pro sua cura, atque officio consulet.

*De Testamento. Cap. 164.*

CVM ex Medicorum sententia ingrauescere morbum Parochus intelliget, haud ab re facturus videtur, si ægrum, dum mens integra est, de Testamento appellauerit, & vt domui suę disponat admonuerit, antequam sæuiat magis vis morbi, & inde aut mens illi auferatur, aut ita ipso mali æstu perturbetur, vt ægre spiritum recipere, & suprema mandata edere possit. Atque ipsi adeo ægroti interdum ea de re Parochi consilium vltro exposcunt. In quo Parochus primùm illud cauebit, ne cuiusquā, aut studio, aut maleuolentia ducatur, vt alium commendet, alium improbet: si de eleemosina eroganda agatur, multo minus vt rem ad suam ipsius vtilitatem trahere, atque impudentibus precibus sua proposita egestate, sibi vt aliquid leget pellicere ægrum conetur; sed ei tantùm Hospitalia, Monasteria, societatem Sanctissimi Sacramenti, Parochiæ suæ pauperes, piaq; alia loca in memoriam reuocabit, nulli priuatim studens, sed ex æquo omnia commendans, vt ille prorsus id modo agi spectariq;, vt animæ suæ saluti consulatur, intelligat.

*De Oleo Sacro cum Sanctissima Eucharistia afferendo si periculum instet. Cap. 165.*

SI quando Sanctissimam Eucharistiam ad Aegrum afferens Parochus, intellexerit grauius, & periculosius laborare eum, quàm vt tempus sibi futurum speret, ad repetendam Ecclesiam, extremamque vnctionem afferendam, tum id prouidens periculum, ne interiecta mora, aut mors ante vnctionem occupet ægrum, aut vis morbi obruat sensus, vnà cum ipsa Eucharistiā sacrum quoque oleum secum afferat, & post præbitam ægro diuinam Hostiam, extremam quoq; vnctionem, si res postulare visa fuerit, ministrabit.

*De Oleo Sacro apud Parochum interdum asseruando. Cap. 166.*

PAROCHVS cuius ędes longius ab Ecclesia remotæ fuerint, aut ægrotantis domui propiores, sic vt opportunius, commodiusque iudicetur, Sacrum oleum in eius haberi, atque asseruari domo, is quò oleum ipsum prò dignitate rei sacræ habeatur, fenestellam in ipsa domo, loco, qui visus fuerit aptissimus, ædificet, eum intrinsecus panno serico, aut alia materia vndique velet, valuulisque, & claui concludat. Nec tamen eo in loco semper custodiatur, sed cùm aut adsit, aut immineat vsus eius necessitas, ne quid Parochi

diligen-

diligentiam, si vrgeret Sacramenti ministrandi tempus, remorari possit. Apud ægrotum ipsum, aut omnino alia in domo incautè nunquam relinquatur.

*De petenda ab Episcopo benedictione.* *Cap.* 167.

NE vllum, quod afferri laborantibus, & suum diem obeuntibus possit, solatium omittatur, illud quoque Parochus ęgros monebit, vt è suis aliquem ad Episcopum, si in eadẽ vrbe, aut alio propinquo in loco fuerit, mittant, qui sibi Episcopalem benedictionem ab eo exposcat.

*De nomine Extremæ Vnctionis.* *Cap* 168.

VARIE appellatum id à Patribus Sacramentum accepimus, cùm quidam Vnctionem infirmorum, quidam Sacramentum exeuntium vocitarint. Sed tenuit Ecclesiæ consuetudo, vt extrema vnctio ex eo diceretur; quòd cum Saluatoris nostri institutione, vngendi mos in Ecclesia quater adhibeatur, cùm scilicet Cathecumini efficimur, cùm baptizamur, cùm Sacramentum Confirmationis suscipimus, postrema omnium vnctio sit, cùm ægri, & graui morbo affecti, Sacro hoc Oleo oblinimur. Quamquam inde quoq; hanc id Sacramentum appellationem fortè est nactum, quòd non nisi grauissimè, ac periculosè laborantibus, ac plerunque extrema iam in morte versantibus, ministratur.

*De institutione Sacramenti Vnctionis.*
*Cap.* 169.

SICVTI an verè hoc vnum sit è septem Ecclesię Sacramentis dubitare, hęreticum esset, & Conciliorum, & Patrum, & Ecclesiæ auctoritati aduersaretur; ita à Christo Domino institutum, & à Diuo Iacobo Apostolo promulgatum, pro non dubio statuere vnusquisque apud se debet, ex Tridentini Concilij decretis, sancientis Anathema esse, si quis de extrema Vnctione aliter sentiret. Apostoli autem Iacobi verba, quibus huius Sacramenti ratio constat, hęc sunt. Infirmatur quis in vobis; inducat præsbiteros Ecclesię, & orent super eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Quę quidem verba, & materiam Sacramenti, & formam, & ministrum, & effectum satis perspicuè significare, ac definire videntur.

*De Materia Extrema Vnctionis.* *Cap.* 170.

SACRAMENTI huius materia est oleum ab Episcopo consecratum. Neque id, quod quouis pingui liquore constet, sed ex olearum tantùm

baccis

baccis expressum; neque enim alio in oleo, neque alterius quàm Episcopi manu consecrato, Sacramentum efficeretur. Atque hæc quidem materia maximè vim, atque effectum ipsius Sacramenti significare, ac referre videtur; vt enim oleum liniendis, mitigandisq; corporis doloribus rectè adhiberi solet; ita Sacramenti huius vis maxima in eo est, vt animæ dolorem, tristitiamque soletur, ac leuet, & ad mortis necessitatem erecto, & constanti animo subeundam, Diaboliq́ue calcaneo nostro insidiantis, dolos eludendos, excitet, atque confirmet. Dari autem opera debet, vt maximè purum liquidumq́ue consecretur.

## *De Forma Extremæ Vnctionis.* Cap. 171.

SOLA ex omnibus Sacramentis Extremæ Vnctionis forma non significatione gratiæ, quā impartitur, sed precatione peragitur. Cuius rei videtur ea esse ratio, quod cùm duo Vnctionis huius vi ægrotantibus præstari Sacramenti institutio doceat, spiritualem scilicet gratiam, & morbi depulsionē; & tamen non semper fiat, vt morbus depellatur; rectè preces adhiberi videntur, vt quod interdum Sacramentum de reddenda valetudine non efficit, id à diuina benignitate supplici obsecratione impetretur; vel quia proximus morti sit, qui recipit, & aliud tribunal, aliud iudicium sit subiturus. Forma autem, quā catholica recepit Ecclesia illa ferè est. Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid oculorū vitio deliquisti, amē. Hæc eadem repetitur semper ad singula membra, quæ vnguntur. Nec quia forma his ipsis verbis apud Iacobum Apostolum, ex Domini auctoritate id nobis Sacramentum commendantem, planè expressa non sit, propterea minus ab ipso tradita censeri debet; nam etsi precationis formam Apostolus non præscripsit, precatione tamen concipi, ac peragi illud debere declarauit; illis scilicet verbis. Et orent super eum, & oratio fidei saluabit infirmum.

## *De partibus corporis vngendis.* Cap. 172.

NON vna pars corporis, sed plures, neq; omnes, sed illę tantū, in quibus maximè sensuum nostrorum sedes natura posuisse videtur, perungendę sunt. Videlicet oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, manus propter tactum, pedes propter incessum, renes denique propterea quòd in ijs voluptatis, ac libidinis sita vis existimetur. Sed Renum quidem vnctio, præsertim in fœminis, propter decorem, & honestatem omittere licet, item in viris, si grauitas morbi postulare videatur; quibus loco Renū, pectus ipsum circa correctè vngetur. Si quis aliquo horum membrorum captus fuerit, ei parti oleum adhibebitur, quæ amisso membro proxima erit. In manibus vngendis id discriminis seruetur, quòd cęteris quidem omnibus interior pars, vnis Sacerdotibus exterior obliniatur, quòd his cùm Sacerdotio initiantur, interior manus Oleo sacro inungitur.

*De Ministro Extremæ Vnctionis.* Cap. 173.

QVEMADMODVM Oleum ab alio quàm Episcopo consecratum, iusta Sacramenti materia non fuerit; ita Sacramenti ipsius Minister, nisi Sacerdos esse nemo potest, ne si summa quidem vrgeret, atque instaret eius ministrandi necessitas; ne si Cardinalis quidem Diaconus id obire muneris vellet. Ita enim proprium Sacerdotis id est officiũ, vt ab alio vsurpatum Sacramenti vim non obtineat. Sic enim Apostolus Sacramenti huius legem promulgás, pręcepit. Infirmatur quis in vobis, inducat Pręsbiteros Ecclesiæ. Ac pręsbiterorum nomine non seniores, vt hæretici interpretantur, sed Sacerdotes, ab Episcopo ordinatos, significari, cũ vetus Ecclesiæ vsus demonstrat, tum Tridentinæ Sinodi auctoritas ita sanxit, vt dubitandi locũ nullum reliquerit; quippe quæ aliter sentientes anathema esse iusserit. Sed quò res ritè, atque ordine suscipiatur, non Sacerdos solùm, sed etiam proprius Parochus adhiberi minister debet; neq; alius eo inuito, aut non permittente, alienum munus inuaserit; nisi fortè, & vrgens tempus absente Parocho cogeret, & Sacerdos, qui ministerium Parochi subiret, haud dubia spe niteretur, id Parochum ipsum approbaturum, ratumq; habiturum; neque enim ita proprium Parochi id est, vt si ille absit, ratio Sacramenti alterius Sacerdotis manu peracti, non constet.

*Quibus Extrma Vnctio non conferatur.* Cap. 174.

QVAMQVAM Extremæ vnctionis ea necessitas non sit, vt qui sine ea decedunt, cœli aditu cęlestibusque promissis excludantur, tamen curæ cuique esse debet, ne ante vltimum edat spiritum, quàm illa vnctione sanctè procuretur; cũ peccatorum reliquiæ Sacramenti huius religione deletę, ipsum nobis in cęlum cursum expeditiorem efficiant. Sed quemadmodum ad omnes sacrum hoc pertinere non dubitamus, ita quædam esse genera hominum, quibus impartiri non debeat, intelligimus. Nemini, cui valetudo integra sit, ministranda hęc vnctio est; siquidem & Apostolus non nisi de ægrotantibus loquitur, & ad corporis quoq; sanitatem recipiendã adhibetur. Ijs ergo tantùm tribuitur, qui in graui, ac periculoso morbo versantur; nam valentibus etiam si prælium inituri, aut nauigationẽ suscepturi, aut aliud quoduis discrimen vitæ adituri sint, penitus negatur; item capite dãnatis, cùm ad supplicium ducuntur; neutris enim horũ mors ex naturæ defectione, sed ab incertis fortunæ casibus imminet; & cũ ad corporis quoq; sanitatem hæc ægris adhibeatur vnctio, supplicium subituris nec inualetudo vlla est, à qua sanentur, nec seruandi corporis vlla spes relinquitur. Pari ratione à pueris quoq; licèt morbo affectis, hoc Sacramentum abstineatur, quibus nondum maturus rationis vsus cum sit, ne labe quidem vlla infici peccatorum potuerunt, quorum reliquiæ sanctitate vnctionis abluantur. Item ab amentibus, & furiosis, nisi recepta interdum mente, piũ Sacramenti huius desideriũ declarauerint; ijs verò minimè omnium, quos pręteritorum peccatorum nulla pęnitentia tangi constiterit.

*Quibus*

### *Quibus administrari extrema vnctio debeat.*
### *Cap 175.*

AEGROTANTIVM, & grauiter, & periculosè laborantium Sacramentum extrema hæc vnctio est, ad valentes, atque integros minimè pertinet. Vnicuique autem in graui morbo versanti, curæ esse debet, vt dũ vigent sensus, antequam vis maior ingruat, mentemq; eripiat, sponte id sibi adhiberi Sacramentum petat, quò vberiorem ex eo gratiam percipiat. Quamquam non petenti etiam est afferendum, hoc enim ipso quod Christianus sit æger, credibile est eum omnibus Christianis sacris procurari velle; & petiturum fuisse, si mens, & consilium integrum ei mansisset. Item danda quidem opera est, vt integris illud sensibus suscipiat, non tamen ei negandum erit, cuius mentem, sensusque vis morbi abstulerit, obrueritque, si dum compos sui fuit, signa cupientis id Sacramentum dederit, ac etiam si non dederit; dum aut vitæ eius manifesta turpitudo, aut peruicax in malo animus, & pœnitentiæ mentionem respuens, non aduersetur. At ne si inopinato quidem casu quis occupetur, eique sensus repente eripiantur, subsidij huius expers mittendus erit, dũ probatis vixisse moribus existimetur; aut quamquam minus probatæ vitæ fuerit, si quid fecerit, dixeritque, vnde affecti pœnitentia animi argumentum duci possit. Quorum vires ob confectam ætatem, seniumque deficere sensim, atq; abire intelliguntur, hi ne repente eos vita destituat, etiam si in nullo morbo sint, rectè tamen sacra procurari vnctione posse videntur. Sed ne saucijs quidẽ neganda erit, si modo expetierint, aut affecti Christiana pietate animi indicia dederint. Pueris quoq; ea ætate impartiri poterit, qua ad pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum admittuntur. Vngi autem quisq; semper potest, dum viuere creditur; cùm autem mortuum constat, etiam non perfecta vnctio omittenda erit.

### *De tempore administrandæ Extremæ Vnctionis. Cap. 176.*

EXCLVDVNTVR quidem ab hoc Sacramento omnes, qui integra sunt valetudine, & tantum ægrotantibus tribuitur, vt supra est traditum. Veruntamen non vt quisq; morbo corripitur, ita ei statim extremæ vnctionis subsidium afferendum erit; sed ne in grauibus quidem, & periculosis morbis plus æquo properandum esse videtur, cauendum quippe est, ne præpropero studio, æger in tristem aliquem & intempestiuum metum coniectus, deteriusque inde ex animi ægritudine, ac perturbatione, quã ex ipso morbo habere incipiat. Rursus eorum valdè reprehendendum consilium est, qui ne quam laboranti molestiã afferant, vnctionem hanc sacram in vltimum agentis iam supremam animam ægri, & ab omni spe destituti, tempus differunt. Tùm enim mente, sensibusq; perturbatis, ac sæpe penitus abalienatis, non quantum integri, & sentientes ex Sacramento beneficium capiunt, qui si animo vigeant, cum commodam

ad Sacramentum petendum suscipiendumque voluntatem induunt, tum Sacerdotis ministrantis verba precesque excipientes, pia & ipsi prece subsequuntur, animumque ad Deum erigunt, & morti componunt. Modus itaque teneatur, & cùm adeo ingrauescere malum ceperit, vt prudenti Medico anceps curatio, & non dubium discrimen impendere, speq; metus maior multo visus fuerit, tum ad Sacramenti medicinam opemq; confugiatur, quod ab sentiente qua dignũ est pietate, ac religione sumptum, ei multo vberiorem gratiam, fructumq; afferet.

*Quanta cum animi præparatione suscipienda hæc vnctio sit.* Cap. 177.

CVM omnia Sacramenta sanctè, ac piè suscipienda sunt, tum sanè in extrema vnctione negligentibus esse nobis non licet. Eoque intentius componere, & comparare animum conuenit, quo supremo occasui propiores, ad reddendam actæ vitæ rationem, nullo iam ad corrigendum concesso spatio mortali hoc exuti corpore, longè alio mentis habitu, repente Dei visuri tribunal, & quod cogitatione horribile, re atq; experimẽto horribilius est, iudicium de æterna seu felicitate, seu miseria subbituri sumus. Itaq; tam necessario tempore, tam salutare ministrandi Sacramenti officium, piæ Parochorum curæ ita commendamus, vt studiosius amantiusque commendare nihil possimus.

*Quæ antecedere extremam Vnctionem debent.* Cap. 178.

EXTREMÆ Vnctionis gratiæ fructibusq; consequendis, nihil æque impedimento fuerit, ac peccati alicuius mortiferi conscientia. Itaq; ex catholicę Ecclesiæ instituto, si ægroti status permiserit, præparari prius eius animus, atq; expiari sacra Confessione, & Communione debet. Nam sicuti Baptismi gratiam Confirmationis Sacramentum perficere, ac roborare creditur; ita fructus quos pœnitentia parit, extrema vnctione confirmari, ac stabiliri videntur; ac deinde purgata per hęc, strataque nouissimo Sacramento via, cùm tempus videbitur, ęgrum Parochus opportune de vnctione admonebit, & vt se ita prębeat vngendum hortabitur, vt primum, & maximum Sacramenti beneficium, animę salutem expetat, deinde etiam corporis, si modò id bono sibi, ad ęternam salutem futurum sit. Nec dubitet quin votum ab tali fiducia ac pietate profectũ, aut morbi depulsio sequatur, aut certè animus aduersus acres mali Dęmonis impressiones, & instantis mortis terrores, erigatur magnopere, & confirmetur.

*Extrema Vnctio quo pacto iteretur.* Cap. 179.

SEMEL laboranti adhibita vnctio, iterari eodem morbo non debet, sed si (quod sępe ex ipsius etiam Sacramenti vi, atq; gratia euenire credimus) ęger conualuerit, quoties inde in nouũ vitę discrimen inciderit, toties ei impertiẽdum huius Sacramenti subsidium erit. Ac eodẽ quoq; in morbo si diuturnus esset,

& æger

& ægter postquam ab eo recreatus fuerit, iterum in periculum reciderit, Sacramentum quoque repeti ritè poterit.

*De fructibus qui ex vnctione extrema capiuntur.*
*Cap.* 180.

MAGNOS sanè, atque vberes fructus ritè, ac religiosè sumentibus extrema vnctio affert. Primùm quidem peccata omnia, & maximè quæ venialia dicuntur, aufert, animisq; abluit; nam grauiora, atq; exitialia propriè pœnitentia, & baptismo curantur, ac remittuntur. Deinde languorem animi, morbumque ipsum peccatorum culpa contractum leuat, interdum etiam depellit, si ita saluti animæ conducere diuinæ bonitati visum fuerit, peccatorumq; ipsorum omnes reliquiàs delet. Præterea quod vel maximum huius Sacramenti beneficium censeri videtur debere, nobis ad pugnam cum sæuo, & tum summa ope, vt nos de fidei statu deijciat, nitente hoste, ineundam sustinendamq;, vires animumque suppeditat, atque arma subijcit, quibus vim, atque impetum eius frangamus, & repellamus. Postremò ne illud quidem non maximũ huius Sacramenti beneficium est, quod dum nobis diuinæ benignitatis fiduciam excitat, vt mortis expectatione minimè perturbemur, animumq; à metu, à mœrore, à tristitia, ad hilaritatem, ad constantiam reuocemus, efficit; nosque ita instruit, vt instantem discessum e vita, non solùm non perhorrescamus, sed diuinæ voluntati minimè repugnanter parentes, cupidè ad depositum nostrum aliquando reddendum, expediamur, nobisque persuadeamus beatos esse mortuos, qui in Domino moriuntur.

*De ratione administrandi Extremam Vnctionem.*
*Cap.* 181.

ADVERTERE Parochus debet in sacra hac ministranda vnctione, vt ritus à Romana Ecclesia præscriptos adhibeat, nec oleum aliud, quàm quod Episcopus consecrauerit; id enim est vera huius Sacramenti materia. Ipse in pura linea veste, stola à collo pendente, Olei vasculum deferat, quod non intra sinum, aut intra manicas vestis abdet, sed serico in sacculo, serico funiculo, collo item suspendet, vt si fortè ipse laberetur, vasculum ipso casu manu excussum ne effundatur. Comitem saltem vnum, si plures habere non poterit, è clericis ducat, qui rituum libellum, Vasculumque aliud cum aqua benedicta, ad ægrum aspergendum ferat; & Parocho inde sacrum peragenti, ministrantique necessariam operam præstet. Inter eundũ pœnitentiales psalmos recitet, alijsque pijs præcationibus Deum ægro propitiare studeat; & dum Sacramentum ipsum ministrat, idem facere circunstantes, humanæ infirmitatis admonitos, iubeat. In cubiculo ægrotantis, atque in lecti conspectu, paruã mensam, mappa stratam candida, præparari iubeat, in qua adueniens oleum ipsum

locet, quod ab vllo layco attingi vetabit. In mensa ferculum cum bombiee, aut stuppa, qua vnctiones abstergantur, itẽ vas cum aqua ad manus lauandas, & linteolum, & panis mica ad digitos ipsos tergendos, & cerea facula accensa, parentur. Ad singulas corporis partes, quas vngit, singulas precationes, quibus forma concipitur, adhibeat, eodemque tempore. Non enim materiam sine forma, aut formã sine materia adhiberi, sed vtranque simul conuenit; cùm oculi geminaque alia membra, gemina item vnctione oblinuntur, non repetita ad singulum, sed vnica precatione vtriusque vnctio comprehendatur. Vnctio verò ipsa pollice sacrato oleo imbuto, crucis figura in singulis effecta membris, peragatur; membra ipsa simul ac vncta fuerint, bombice abstergantur; bombix inde comburatur; & in sacrarium abijciatur. Si Sacramento operante Parocho æger animam efflaret, omittatur vnctio; sin dubia mors fuerit, conditionẽ eam addat, si viuus es, & reliqua persequatur. Patrata demum vnctione, Parochus moneat eos, qui ægroti curam habent, ne quid propterea prætermittant, quod cõducere corporis curationi existimetur; & ipsum redeuntem domum psalmos eosdem, aut alios recitare, Deoq; ægrum commendare non pigeat.

### *De Parocho minus diligente, & de Malachia Episcopo. Cap. 182.*

PAROCHVM non solũ declinare huius sancti officij laborem nolumus, verum ad id magno cum studio, atque charitate vigilare, nec solùm cum eius opera exquiritur prȩsto adesse, sed sua sponte opperiri, explorare, atque obire ægrotorum tempora iubemus. Quod si vel accersitum moram fecisse, vel rem negligentia omisisse, & ob id decessisse aliquem sine eo Sacramento compertũ fuerit, præterquam quòd Parochus illius culpæ reus apud Deum agetur, nos graues ab eo pœnas, pro illius merito, reposcemus; exemplumque in eum statuemus, ne quis in animarum cura, atque in Sacramentorum administratione, officij sui partes negligere, aut perperam obire audeat. Quo autem Parochorum omnium cura studiumque huius Sacramenti magis incitetur, ignorare eos nolumus Malachiæ viri, atque Episcopi sanctissimi memoratu sanè dignum miraculum. Is cùm, incuria sua, mulier quȩdam Sacramenti huius ope, atq; beneficio destituta, decessisset, tantùm ex ea re, ac tam vehementem animo dolorem cæpit, vt cùm noctem ipsam per gemitus, & lachrimas egisset, Deum assidue orans, vt & sibi eam ignosceret culpam, & mortuæ fraudi esse suam negligentiam, ne pateretur, & pro sacro Oleo, quod ei non ministrauerat, lachrimarum imbre corpus eius proluisset, factum diuinitus sit, vt mane illa reuixerit, & veluti e somno excita, lecto se se erigens, à Malachia sacram sibi vnctionem adhiberi postulauerit, eaque accepta e morbo inde conualuerit. Qua re magna huic Sacramento religio, atque sanctitas est addita.

*De anima commendatione. Cap. 183.*

MINISTRATO piè diligenterque, vt supra tradidimus, extremæ vnctionis Sacramento, deque eiusui, atque muneribus ægro edocto, si illum vltimum agere spiritum, ipsaque iam versari in morte Parochus intellexerit, tum eadem charitate ad finem vsque prosequetur; abeuntemque eius animam pari studio Deo commendabit. Ac siue ægro maneant adhuc integri sensus, blandis eum, atque amantibus verbis ad desiderium cœlestis vitæ accendet, mentemque ad ea quibus ipsius anima Deo commendatur, intendere iubebit; siue sentiendi vim prorsus amiserit, ipse positis in terra genibus, alios quicunque adsunt idem facere, & vnà secum adorare, & precari Deum iubebit, vt excedentem e corporis carceribus animam placatus propitiusque suscipiat. Et summa inde cum religione precationes omnes, quæ rituum libro à sancta Romana Ecclesia edito, continentur, peraget. Quod si præstitis omnibus iam, & peractis charitatis officijs, nondum tamen ille expirauerit, diutiusque in illa luctatione, atque discessu futurus videbitur, & Parochum aut necessitas ministrandi alijs idē Sacramentum, aut aliæ Parochiales occupationes auocabunt, tum pergendi in ijsdem precationibus negotio alteri Sacerdoti tradito, aut si Sacerdos defuerit, sodalibus societatis Corporis Christi commendato, ipsi ad alia officij sui munia discedere licebit.

## DE SACRAMENTO ORDINIS. CAP. 184.

QVI ordinis Sacramentum ex Ecclesia tollunt (quod impia hęreticorum factio est conata) ij & Sacerdotium, & sacrificium tollunt, sine quibus nec vllus diuinarum cerimoniarum cultui satis dignus honos haberi, nec ipsa religio consistere, ac suum tueri nomen posse videtur. Et reliqua Christianæ disciplinæ Sacramenta nobis ipsius ore Dei, & Domini nostri Iesu Christi commendata, aut omnino perfici sine ordine, aut debita cum dignitate ac decore tractari, ac ministrari non possunt. Qua enim, aut à quo Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema Vnctio, ac ipse denique Ordo conficiatur? Et ipsius Baptismi, & Matrimonij, quæ veneratio sit, qui cultus, ordine sublato? Quocirca magna semper huius Sacramenti sanctitas in Catholica Ecclesia iure est habita, habeturque.

*De dignitate, atque præstantia Ordinis. Cap. 185.*

HOC est illud Sacramentum, quo certi homines iusta religione ad Sacerdotium, sacrificij causà asciti, potestatem accipiunt, & alia conficiendi,

di, atque exequendi Sacramenta, & quod Sacramentorum omnium maximum est, cælestem illam Hostiam consecrandi, quæ placando ac propitiando Deo quotidie in Catholica Ecclesia immolatur; cui Dei ipsius inesse vis, atque numen creditur; qua denique cùm neque expetere homines, neque Deus dare maius quicquam possit, cedat omnis mortalitas, necesse est, nec vllius amplitudo cum eorum se dignitate conferre audeat, quibus hæc per ordinis Sacramentum facultas est tributa. Hi enim diuinarum rerum præcones, hi diuinæ nobis voluntatis interpretes, atque internuncij sunt; ab his populi diuina iussa accipere, atque ijs parere iubentur. Horum est munus præceptis imbuere, & vitæ disciplinam hominibus tradere. Hi Angeli Dei, hi Dij ipsi dicuntur; quod veri atque immortalis Dei vim, atque vicem inter homines teneant. His denique regali Sacerdotio præditis, cœlestis illa potestas est, non solùm conficiendi, atque offerendi corpus, & sanguinem Domini; sed etiam hominum peccata remittendi, atque retinendi. Cuius potestatis vis tanta est, vt eam capere humana intelligentia non possit, tantum abest, vt eius dignitatē, nisi per Ordinis Sacramentum, assequi vllæ humanæ opes valeant.

### *De institutione Ordinis.* Cap. 186.

HAVD dignitas huius Sacramenti, quàm origo, atque institutio sanctior celsiorue est. Ipse enim Deus cùm tempus deponendi, quod ad nos vindicandos à seruitute sumpserat, corpus, destinataque supplicia pro nostra salute subeundi, instaret, celebri illa cœna, quam discipulis suis postremam dedit, eos omnes, tradita consecrandi potestate, Sacerdotes creauit. Et quemadmodum à Patre Deo Deus Christus diuinum hoc Sacerdotij ius accepit, ita ipse in Apostolos transfudit, à quibus inde in omnes, qui Sacramenti huius vi asciscuntur, est propagatum, atque in æternum secundùm ordinem Melchisedech permansurum creditur; ita fit vt ab ipso Deo manasse, & ad nos peruenisse cęlestem hanc potestatem, dubitare nemo possit.

### *De graui quod Sacerdotes sustinent onus.* Cap. 187.

EX hac celsissima Sacerdotum dignitate quantū ijs onus Doctrinæ, religionis, charitatis, innocentiæ imponatur, facile intelligitur. Quid enim? quibus populi in Christianæ pietatis disciplina erudiendi mandantur, hos imperitos, indoctos, rudes, agrestes inueniri, & ipsa quoque fidei nostræ rudimenta ignorare? Et à Sacrorum magistris res sacras contemni, neglectuique haberi? Et quos neminem non beneuolentia, gratiaque complecti, & officijs, & obsequijs tueri decet, ab his crudelitatis, auaritiæ, fastidij exempla prodire? Denique quos ob fidei, integritatis, pudoris laudem populi colere, ac reuereri debent, horum odio propter vitæ turpitudinem populos ipsos agitari? lucere ergo

go in Sacerdotum vita, moribusq; omnes Christiano homine, & vero Sacrorum antistite dignas virtutes oportet, vt vnde vitæ ac salutis præcepta hauriuntur, inde etiam exempla petantur.

### De numero Ordinum. Cap. 188.

SVNT qui primam tonsuram, & Episcopatum reliquis adijciant ordinibus. Sed nos catholicæ Ecclesiæ morem auctoritatemque secuti septem tantùm esse ordinis gradus statuamus. Nam prima tonsura non ordo, sed aditus quidam ad ordines dici rectius potest. Item Episcopatum non tam per se ordinem quàm Præsbiteratus quandam diuisionem esse dicimus, vt Episcopus quemadmodũ in consecrandæ Eucharistiæ facultate, cuius causa ipse est ordo institutus, nihil ab alio Sacerdote differt, ita Sacerdote maior præstantiorque habeatur, cui multo plus iuris, atque potestatis est permissum, cuiusq; ditioni, atque imperio Sacerdotes ipsi subijciantur, ab eoque ordinentur. Verùm &, si variet apud scriptores ordinum numerus, res tamen ipsa inter omnes conuenit, vno scilicet Sacramento vniuersos contineri, idque in Sacerdotio demum, ad quod per alios ordines, veluti per gradus ascenditur, perfici, & consummari; gradus autem hi numerantur.

Ostiarius
Lector
Exorcista
Acolitus
Subdiaconus
Diaconus
Sacerdos.

Atque horum omnium munia eodem spectant, vt scilicet ab ijs diuinum Eucharistiæ sacrificium, aut conficiatur, aut conficienti ministretur.

### De Ordinum diuisione, & differentia. Cap. 189.

HI septem ordines in duas diuiduntur partes, quarum altera quatuor minores, altera tres maiores continet. In minoribus sunt Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolitus. In maioribus Subdiaconus, Diaconus, & Presbiter. Atq; hi etiam sacri appellantur, non quia sacri priores quoque dici non possint, sed quia his in sacrificij ministerio sacra attingere, & attrectare fas sit; quòd veterũ inferiori in gradu consistentibus est. Differunt præterea maiores à minoribus, quod ijs imbuti, voto castitatis obligantur, nuptijsque arcentur; & diuina officia, atque Canonicas horas quotidie recitandi lege ita tenentur, vt ea omitrere,

tere, quin se graui crimine obstringant, non possint. Differunt item quod non nisi sexies in anno certis statutisque temporibus, nec nisi à rem diuinã faciente, nec nisi sacra Confessione, & Communione procuratis conferuntur. Atq; illud quoque in ijs cauetur, ne quis ante iustam ætatem initietur, & qui secus fecerint, his tanquam vitio creatis ordinum ipsorum vsu interdicitur, & non parentes Irregularitatis noxam contrahunt. Quarum ferè legum, qui minores ineunt ordines, nulla astringuntur.

*De Ostiarijs.* *Cap.* 190.

QVI ad Ostia templi valuasque antiquitus custodias agebant, impurosq; limine arcebant, ij Ostiarij ab re atque munere, cui præerant, dicebantur. Idem & nomen, & munus à veteribus acceptum hodie quoque manet. Ostiarijs enim claues Ecclesiæ commendantur, atque aperire mane fores, & vesperi claudere, & si quis templo eijciendus, aut prohibendus aditu sit, noscere, & exequi iubentur; & cùm alia nonnulla obire, tum sacra faciente Sacerdote, circum altare versari, & ne quis propius quàm par sit accedat, curare. Item ne quid in Ecclesia vendatur ematurue, ne qui spatientur, neuè colloquantur, aut aliter diuinas cerimonias, officiaque perturbent, deniq; nihil fieri quod à religione loci alienum videatur pati. Eo fit vt ijs cùm initiantur ab Episcopo claues de manu tradantur, atque eas ita habere moneantur, vt se meminerint rationem Deo esse reddituros omnium rerum, quæ clauibus illis concluduntur.

*De Lectoribus.* *Cap.* 191.

PROXIMVM Ostiarijs est lectorum gradus. Horum est officium certa capita è diuinarum litterarum libris excerpta, quę lectiones vocantur, legere, ac recitare in Ecclesia, & ea in primis, quæ in nocturna precatione psalmis interijciuntur. Has ipsi lectiones dare operam debent, vt clara, & perspicua voce pronuncient, quò à populo exaudiantur, singulaque verba sic exprimant, vt omni vitata obscuritate, probè ab audientibus intelligantur. Ad lectores olim pertinuit etiam prima Christianæ religionis rudimenta fidelibus tradere. Quod hodie munus videtur ad alios esse translatum. Ex his, qua facultate, atque eruditione prędìtos esse oporteat, quibus id muneris mandandum erit, iudicari facile potest. Episcopus quidem cùm eos in lectorum ordinem legit, librum quo sacræ lectiones continentur tradens, sic eos affatur. Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri si fideliter, & vtiliter impleueritis officium vestrum, partem cum ijs, qui verbum Dei bene ministrarunt ab initio.

*De Exorcistis.* *Cap.* 192.

LECTORES sequuntur Exorcistæ, sic dicti, vocabulo à Græcis accepto, quod ad eos pertineat nefarios spiritus, quibus sæpe humana corpora cum magna mentis inquietatione obsidentur, certis carminibus, atque execrationibus abigere, atque expellere. Quæ carmina siue exorcismos etiam mandare memoriæ debent. Nam cùm instituuntur, Episcopus porrigens eis librum Exorcismorum, Accipite, inquit, & commendate memoriæ, & habere potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptizatos, siue cathecumenos. Ex ipsius ergo officij grauitate, ac potestate qua prædici sunt, pellendi è corporibus improbos dæmones, secum cogitare debent, quanta ipsi probitate, atque innocentia commendentur oportet, qui in Exorcistarum ordinem asciscí volũt. Quì enim scelestos, atque impuros ab alijs spiritus eijciant, quos paribus sceleribus contaminata conscientia redarguat?

*De Acolytis.* *Cap.* 193.

EXORCISTIS succedunt Acolyti, qui & ceroferarij dicuntur, à cereis faculis, quas cùm res postulat, manu ferunt. Hi enim luminum, quæ sacratis in Aris, dum res diuina agitur, ardent, curam habent, & tum maximè ea afferunt, atque bini vtrinque elata sustinent, cùm Euangelium recitatur. Quæ lumina in diuino sacrificio, alijsque sacris non ad pellendas tenebras adhibentur (quippe interdiù sole lucenti fiunt) sed ad illam significandam lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Illud quoque Acolytorum officij est, vrceolos cum vino, aquaque, ad vsum sacrificij, paratos habere, eosque, ad Subdiaconum ad Altare ministrantem afferre, atque huic & Diacono sacris operantibus, præsto semper adesse. Itaque cùm in ordinem cooptantur, Episcopus officij eos sui admonens, lumina ipsa singulis tradit, his verbis. Accipe Ceroferarium cum cereo, & scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini. Item Vrceolos quibus vinum aquaque in sacrificio ministratur, vacuos tradens: Accipe inquit Vrceolos ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Dñi.

*De Subdiaconis.* *Cap.* 194.

A Quatuor ordinibus qui minores, vt ostendimus, dicuntur, ad maiores, & sacros ascenditur. In quibus primus gradus est Subdiaconorũ. Hi Diaconis apud altare agentibus subseruiunt, sacra lintea, vasaque, & panem, & vinum ad vsum sacrificij parant, Episcopo, & sacerdoti inter sacrificandum manus lauantibus, aquam infundunt, Epistolam voce clara, & canora recitant, & Altari adsistentes, ne quis Sacerdotem rei diuinæ operantem interturbet, prohibent, & vasa ipsa, linteaque, quæ attingere gradu inferiori consistentibus non licet,

licet, cùm opus est lauant. His, vt iam sacra tractantes, & sacerdotio apropinquantes agnoscas, perpetua continentiæ lex indicitur, arcenturque, qui vltro hanc sibi legem imponi non patiuntur, atq; hi sanctiori etiam ceremonia consecrantur. De Episcopi manu vacuum Calicem sacrum patenamque accipiunt, item ab Archidiacono Vrceolos vino, aquaque plenos, & cum his lebetem, & linteolum, quo manus absterguntur. Quibus sic traditis, Episcopus, Videte inquit cuiusmodi ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, vt ita vos exhibeatis, vt Deo placere possitis. Postremò postquam eosdem Episcopus manu sua sacris vestibus solemni ritu ornauit, dat illis Epistolarum librum sic inquiés, Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro viuis, quàm pro defunctis.

*De Diaconis. Cap. 195.*

SVBDIACONOS gradu ac munere antecedunt Diaconi, quos olim leuitas, ab Tribu Leui, e qua sacrorum ministri petebantur, dictos accepimus. Hi Episcopũ perpetuò comitantur, seu concionatur custodiunt, seu sacra facit, ad sistant, seu Sacramenta ministrat, præsto adsunt. Iidem in sacrificio Euangelium elata voce, vt ab oĩbus audiantur, recitant. Et, si absit Episcopus, & sacerdos, etiã explanandi illud populo ius habent. Item oculi Episcopi ob id dicuntur, quòd eorum muneris sit, circunspicere, & peruestigare in vrbe qui piè, ac religiosè, qui secus viuant, qui sacrificio intersint, qui conciones celebrent, qui contra vtrunq; negligant; Atq; hæc ad Episcopum referre debent, quò ille pro cuiusq; merito alios collaudare, alios seorsum monere, hortari, corripere, alios etiam palam obiurgare, si ita saluti eorum conducat, possit. Nomina cathecumenorum recensere, & palam pronuntiare, si quando est vsus ad Diaconos pertinet. Et olim in quibus Ecclesijs Eucharistiam populo vtraque sub specie præberi mos erat, sanguinem demum Diaconi ministrabant, atque etiam interdum fideles monebant, vt sacris animum intenderent. Ad id vectigalia, quæ ex Ecclesiasticis bonis capiebantur, ipsi procurabant, & quæ cuiq; ad victum necessaria erant, partiebantur. Et Episcopus in his consecrandis magnam adhibet, & singularem ceremoniam, quippe etiam manus eis ritu ab Apostolis accepto imponit, & Euangeliorum volumen tradens, Accipite inquit potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro viuis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.

*De Præsbiteris. Cap. 196.*

POSTREMI numero, honore ac potestate longe Principes sunt Sacerdores, ad quorum munus non solùm inter homines maximum, sed ipsis cælitibus mirandum, venerandumque non nisi ordine per alios gradus peruenitur, neque transilire eos, aut omittere, aut vllo modo peruertere licet. Hos veteres appellarunt Presbiteros, græco vocabulo, quod seniores significat. Vt enim

senibus

ſenibus omnium prope gentium more, præcipuus honor ob grauitatē, & prudentiæ opinionem tribuitur: ita diuino hoc ſacerdotio præditis, quod antecellere omnes doctrina, vitæ integritate, & grauitate morum debent, nomen quoque cui ipſi veneratio quædam debetur, indiderunt. Et valuit vſus, tenetque, vt vulgo non alio quàm præsbiterorum nomine hodie quoque vocitentur. Hic igitur eſt ille ordo in quo Sacramenti huius ſita vis eſt, quod in eo perficitur, & conſummatur; cuius dignitas omne humanæ amplitudinis culmen longè eminet, cuius poteſtas cęlum ipſum attingit, vt ſupra diſſeruimus. Munus Sacerdotum proprium eſt rem diuinam facere, & Deo ſacrificare, & Sacramenta miniſtrare omnia, præter illa ſcilicet duo Ordinis, & Confirmationis, quæ ſoli poſſunt Epiſcopi exequi. In nullo autem ſuperiorum ordinum, tam multa, tam ſancta cerimonia quàm in Sacerdote inſtituendo adhibetur. Cui & Epiſcopus, & cum eo omnes quot adſunt Sacerdotes, manus imponunt. Et Epiſcopus ſtola humeros eius circundat, & ante pectus pendentem in crucis formam imponit. Poſtea manus eius ſacro Oleo perungit, & Calicem cum vino, & patenam cū Hoſtia tradens; Accipe inquit poteſtatem offerendi ſacrificium Deo, Miſſaſque celebrandi tam pro viuis, quam pro defunctis. Quorum verborum vi, ille interpres inter Deum & homines, atque internuntius conſtituitur. Poſtremò manibus iterum capiti eius impoſitis, Accipe inquit ſpiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata remittentur eis, & quorum retinueris retenta ſunt. & per hæc ei ſummum illud, atque omnem mortalem vim exſuperans, ius tribuitur.

### *De materia, & forma ordinis.* *Cap.* 197.

ET ſi ordines vnum ſunt omnes ſacramentum, non tamen vna omnium materia eſt; ſed id cuiuſque ordinis eſſe materia dicitur, quod cuique, cùm in ipſum ordinem ab Epiſcopo aſciſcitur, exhibetur. Sacerdoti Calix, & patena cum vino, & pane, ad conſecrandum corpus, & ſanguinem Domini, ſacrificiumque faciendum, porrigitur, atque ea omnia ordinis huius materiam eſſe dicuntur; quam inde ritè traditam, acceptamque ſtatim, & ius ſacerdotij, & gratia Sacramenti, & Sacerdotalis caracteris impreſſio ſequitur. Forma item non vna omnibus, ſed ſua cuique ordini eſt, conſtatque ijs verbis, quæ in tradenda materia cuiuſque ordinis propria ab Epiſcopo pronuntiantur.

### *De Miniſtro Ordinis.* *Cap.* 198.

MINISTRARE, & tribuere ordines vni propriè poſſunt Epiſcopi, vniſque hæc data facultas eſt, & ita vſus catholicæ Eccleſiæ tenet, vt

ab solis Episcopis petantur omnes tam minores, quàm maiores; quamquam Abbatibus quibus ius mitræ gestandæ sit, concedatur, vt Monacis suis primam tonsuram, & quatuor minores tradant. At maiores & sacros nemo alius quàm Episcopus dederit. Atque id adeo ad solos Episcopos ius, & potestas pertinet, vt ijs admi nisi morte non possit; non si Episcopatum deponant, successoriq́ue tradant; non si ausis capitale facinus, damnatisq́ue sacro illo, ac funesto ritu, honor munusque abrogetur, quod nouo vocabulo degradare, quasi de gradu deijcere dicitur; non si excommunicati, non si interdicti, non si suspensi, & vsu potestatis huius prohibiti, non denique si irregulares, ac ne si à catholica quidem fide desciscant, ius quod cum caractere acceperunt, & animæ ita hæret vt auferri abolerique nullo modo possit, amittant; quanquam nefario se scelere obstringerent, si eo tum vterentur.

## *De Ordinibus indicendis.*
## *Cap. 199.*

ATQVE his abunde, vt arbitramur, ordinis Sacramentum quale sit, à quo cæptum, quæque eius partes, quæque dignitas, quæque diuisio, quisuè minister exposuimus. Nunc de ratione eius administrandi recipiendique disserendum videtur. Appetente igitur ordinationum tempore, edictum proponatur, quo, & dies tradendis ordinibus statuatur, & omnes, & maximè qui initiari cupiunt, de his, quæ in rem erunt admoneantur. Cuius quidem edicti exemplum, vt nihil quod proposito conducat prætermittamus, hoc loco subscribere ab re non videtur fore.

## *Edictum de sacra Ordinatione.*
## *Cap. 200.*

MAGNVM, & haud scimus an maximum, ad sacrorum tuendam disciplinam, positum in eo momentum est, si in asciscendis ijs, quos inde sacris imbuamus, magna cautio magnusque delectus adhibeatur. Non solùm nequis vitio initietur, sed nequis omnino irrepat indignus, nosque Apostoli iussis obtemperemus monentis Episcopos, vt ne cui cito manus imponant. Quamobrem omnes quicumque initiari, sacrisq́ue affici ordinibus à nobis cupiunt, monitos volumus, primum quidem sacras ordinationes in Cathedrali Ecclesia ad diem .... Cal. ..... Solemni ritu, ac ceremonia nos esse habituros. Deinde vt ipsi, si incolæ Diœcesis nostræ sint, dies triginta ante diem ordinationibus præfinitum, nomina sua apud N. Episcopalis Curię nostræ Notarium edant, atq; inde ad RR. DD. NN. Sinodales examinatores adeant, statutaque ab illis die, hora, loco ad sui specimen dandum se sistant, necessariaque testimonia, facultates, dispensationes, aliaq; ex vulgata à nobis instru-

instructione documenta secum afferant, quibus cõstet nihil eis impedimento esse, quo minus sacris ritè initiari possint, eaque omnia Vicario nostro exhibeant. Regulares quoque intra Diœcesis nostræ fines habitantes, idem institutam ante diem ordinationum, nos examinatoresq́ adeundi teneant, proferantque litteras præpositorum, superiorumque suorum manu signoque consignatas, quibus, & factam illis potestatem suscipiendi ordines constet, & testimonium vitæ morumq; ac doctrinæ detur, vt ex eo intelligere possimus, in spectatos, probatosque homines, ac planè idoneos, ordines ipsos nos esse collaturos. Qui verò alienis ex Diœcesibus aduenerint, ij ordinationum diem triduo saltem anteuertant, eosdem examinatores adeant, dimissorias litteras à suis Episcopis Vicario nostro reddant, quarum restificatione, & de iusta cuiusque ætate, & de explorata ingenij, morumque facultate, & approbatione, necessarijsq; alijs rebus ex instituta Tridentini Concilij ratione doceamur. Nemo verò ad vllum ordinum gradum, ac ne ad ipsos quidem examinatores adire aliter quàm clericali in veste audeat, qui adierit inauditus reijciatur. Si qui autem, aut ad diem præstitutam à nobis non adfuerint, aut nomen ex instituto profiteri neglexerint, aut alia sicuti à nobis præscripta sunt non præstiterint, ij exclusos tam quidem ordinandi spe esse se omnes intelligant.

### *De Parochorum officio in sacris ordinationibus.*
### *Cap.* 201.

IN omni regendæ Ecclesiasticæ rei ratione maximè Parochorum sedula ope leuari Episcopi labores conuenit. Hi igitur in sacris ordinationibus tam in Vrbe quàm per diœcesim hanc nobis operam nauabunt. Cùm eas indictas acceperint vnusquisque quos in Parochia sua esse intellexerit, qui initiari velint, eorũ nomina ex ipso altari populo edita promulgabit, & quem quisque appetat ordinem indicabit, petetq; ab circumfusa multitudine, vt si quis labe vitioue siue animi siue corporis affectum esse eorum aliquem nouit, qua labe vitioque ex iure sacrorum Canonum initiari prohibeatur, de eo pro Christianæ caritatis studio. se faciat certiorem. Et ne vitia ipsa impedimentaq; à quoquã ignorentur, vt collecta, editaque à nobis sunt, omnibus coram recitabit explicabitque. At ipsos qui initiari postulant, pro sua caritate Parochus amanter diligenterq; instituendos suscipiet. Monebit primò ne tam sanctę rei Sacramento afficiendos se offerant commodi vllius cupiditate adducti, aut spe inde Ecclesiastici beneficij adipiscendi, aut ocium, ac inertem sibi, & omnis expertem laboris omnique solutam opere vitam comparandi; Verùm vt sacrorum munerum officijs operam piè studioseque impendant. Hortabitur præterea, vt quæ Romano Cathechismo, Pontificalibusque libris, & alijs auctoribus, quæque à nobis hac ipsa Synodo de hoc Sacramento tradita sunt diligenter legant; eaque Parochus ipse, si opus esse intellexerit, humaniter ac benignè exponat. Quod vbi officium præstite-

*De loco vbi maximè conferri ordines debeant.*
*Cap. 204.*

ACTIO rei longè grauiſſimæ, magniq́ue Sacramenti tractatio, etiam loci dignitate decoranda, celebrandaq́ue eſt. Non igitur alibi Epiſcopus, niſi neceſſaria cauſa intercesſerit, quàm in Cathedrali Eccleſia ſacros conferat ordines. His ritum apparatumq́ue ſolemnem adhibeat, adſtanteſq́; ſemper canonicos, & frequentem Eccleſiæ ſuæ clerum habeat; ac ſi fortè in aliquo Diœceſis oppido fuerit, tum quoque ad eam rem non niſi primariam Eccleſiam deligat, ad eamque, qui fuerit in oppido, clerum conuenire iubeat. Statuta autem tribuendis ordinibus tempora obire Epiſcopus ne prætermittat; extra illa non niſi iuſta ac neceſſaria de cauſa, & ijs, quibus id priuilegium ſedes Apoſtolica indulſerit, vlli ordines tribuat.

*De Ordinibus non dandis niſi ijs, qui ante Epiſcopum adierint.*
*Cap. 205.*

QVIA non omnibus, qui expetunt ordines, ſed merentibus probatiſque conferri debent, quò nos de ſingulorum vita, moribus, doctrina, ſtudio Eccleſiaſticæ diſciplinæ cognoſcere, & maturè ſtatuere poſſimus, ex Oecumenici Tridentini Concilij auctoritate mandamus omnibus, qui in ordines præſertim maiores cooptari cupient, vt triginta ſaltem dies ante diem celebrandis ordinibus ſtatutam, nos adeant, deque ſua voluntate, & conſilio doceant, expoſcentibuſque nobis animi, atque ingenij cuiuſque rationem reddant. Qui neglexerint, ſciant ſe tum quidem ordinum aditu excluſos, & in aliud tempus reiectos iri.

*De præparatione animi ad ordines ſacros ſuſcipiendos.*
*Cap. 206.*

CVM ſemel imbuto ſacris ordinibus à conſilio recedere amplius non liceat, æternaque illi continentiæ lex, & Eccleſiaſtici inſtituti retinendi neceſſitas imponatur, nemo niſi ſpontè, & re ante maturè ſecum perpenſa, ad Sacros adire ordines debet. Cùm autem hominum proborum ſententia ad deliberandum de re tali adhibenda, tum verò maximè Dei ipſius exploranda voluntas, opiſque imploranda eſt. Hortamur ergo omnes, qui in Subdiaconorum ordinem legi volunt, vt ante ſe animumque diligenter comparent. Quod commodiſſimè facturos arbitramur, ſi prius ſoli in abditum aliquem locum, procul hominum congreſſu, conſpectuq́ue ſeceſſerint, vbi ſine interpellatione vlla omnium aliarum rerum depoſita cura, totos ſe Deo permittant, recolenteſque inde ſecum præteritæ vitæ acta, peccataq́ue recognoſcentes, Sacerdoti probato, atque pio homini, & in pietatis ſtudijs exercitato ſingula ritè confiteantur, atque ita

animo ab omni labe, ſordeque per pœnitentiæ Sacramentum expurgato, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptione confirmato, cœleſtium ſe rerum contemplationi eodem moderatore, ac duce Sacerdote, plures per dies dedant. Sic enim fiet, vt ipſo lumen menti præferente Deo, nihil quiſquam de ſe, niſi quod cum ſua ſalute coniunctum ſit, ſtatuat.

*De Euchariſtia conuenientibus ad ordines impartienda.*
*Cap.* 207.

PRÆTER eam, quam quiſque ſibi priuatim componendo animo, & conſulendę diuinæ voluntati adhibebit prępararationem, nos omnibus ad ordines præſertim maiores conuenientibus edicimus, vt non niſi ſacra Confeſſione expiati adeant; ſingulis enim manu noſtra ſacratam Hoſtiam prębebimus, & ipſi non ſolùm meminiſſe debent iudicium ſibi manducare, qui indigne cœleſtẽ illum cibum manducat ſed ea religione geminum vno tempore Sacramentum ſubire, vt vtrumq; animæ vitæque ſalutare, experiatur.

*De educatione eorum, qui Clerici futuri ſunt.*
*Cap.* 208.

QVI ſeu ſponte ſua, ſeu parentum ſtudio, atque hortatu Eccleſiæ ſe diuinoque cultui dicant, horum primam quoque ętatem Eccleſiaſticis inſtitutis, moribuſque imbui, informarique conuenit. Curæ igitur Parochis eſſe iubemus, vt pueri iſti Eccleſiam frequenter adeant, Eccleſiaſticà officia obeuntes Clericos diligenter obſeruent, iiſque aſſueſcant. Sacerdotibus, quorum ſpectata probitas vitęque integritas erit, adhæreant, ab eorumque latere nunquam diſcedant. Quę religio, qui mores, quę diſciplina hominem Eccleſiaſticum deceat, perdiſcant, ex eoque de tota re deque ſe ipſis maturius conſultiuſque deliberent.

*De Ordinibus non aliter quàm ſponte ſuſcipiendis.*
*Cap.* 209.

PARENTES qui optimum quemque filiorum, & ſpe atque ingenio maximè probatum, Eccleſię in diſciplinam tradunt, atque in Eccleſiaſticę vitę ratione inſtitui cupiunt, curantque, piè quidem, & ſapienter faciunt. Verùm magnopere cauendũ illis eſt, ne quem inuitum vi, atque minis ad id compellant. Neque enim à coactis, ſed à libentibus impenſa diuino cultui opera, grata acceptaque Deo eſt, neque ab iis coli, ſanctamque haberi continentiam, & caſtitatẽ ſperes, qui eam non ſponte ſua, ſed alieno imperio, auctoritateque ſubacti ſuſceperunt.

*De Pueris cura Parochorum deligendis.* Cap. 210.

PAROCHI, vt quemque puerorum, & maximè pauperum, indole atque ingenio præstare, & ad modestiam, ac religionis studium proniorem esse perspexerint, ita eos ad clericalem disciplinam traducere, inque ea educare, atque instituere conabuntur. In qua si ita profecerint, vt ad ordines admoueri vtiliter posse videatur, & ipsi Parochi paterna eos caritate curaque suscipiant, & nos certiores faciant; qui dabimus operam, vt & egestati eorum, & spei quantum in Domino licebit, prospiciatur; & diuino cultui, si ita eorum voluntas tulerit, addicantur.

*De Testimonialibus litteris.* Cap. 211.

VNVSQVISQVE pro ordine ad quem adscribi cupit, à Magistro apud quem didicit, & à Parocho suo scriptum ad nos testimonium afferat, quo eum, & aliquem in litteris progressum habere, & honestè vixisse, & probè ac religiosè in Ecclesia, atque in illius ordinis exercitatione, si quem ante susceptum habet, versatum, ornatuque clericali vsum semper esse cognoscere possimus; neque enim ad superiorem ordinis gradum admitti videtur debere, qui inferioris munera obire, aut nesciuerit, aut neglexerit.

*De his quæ ante omnia de vnoquoque cognoscenda sunt.*
Cap. 212.

CVM ad præstitutum tempus, qui initiari cupiũt nos adierint, primò quidem nomen, cognomen, patriam, ætatem, ordines, si quos habent, beneficia, pensiones, patrimonium apud eũ, cui id negotij nos dederimus, edent; quæ omnia litteris consignata nos publicè proponi iubebimus, quo si quid vlli eorum, aut occulti in corpore vitij, aut labis in moribus esset, de eo priuatim admoneri possimus. Deinde ille idem, cui mandatum à nobis fuerit, de cuiusq; ætate, ortu, vita, moribus, studijsque à spectatæ probitatis viris inquiret, & ad nos referet. In quo eorum dicta, quos quisque vitæ suæ testes addúxerit, haud sanè magni faciet, sed omnia aliunde perquiret, ac sedulo explorabit.

*De his, quæ nisi quisque de se probarit, ordinibus excludetur.*
Cap. 213.

PRÆTER ea, quæ iussu nostro de ijs singulis exquirenda erunt, qui ad nos, vt in aliquem ordinem cooptentur, adibunt, quædam vnusquisque de se nobis testata facere debebit, sic vt certa, atque explorata habeamus, quæ si desint,

desint, ordinem cuius causa nos adijt, adepturum se minimè esse intelligat. Ac primùm quidem doceat iusto se matrimonio ortum, aut si non sit, Pontificis Maximi auctoritate solutum lege esse, quæ non iustis nuptiis natos, ordinibus arcet; deinde si aliquem è maioribus ordinibus petet, ætatem explesse, per quam capere eum ordinem liceat; tum siue ex patrimonio, siue ex beneficio, siue ex pensione tãtum habere annui vectigalis, quo susceptis ordinibus, vitam commodè sustentare possit, idque constet neque ambigui iuris esse, neque alieno ære impeditum, obstrictumque, sed certum planè, atque constitutum. Præterea Parochi, & ludi magistri, aut alterius, cuius auditor sit, manu consignatas litteras afferat, quæ de moribus eius, ac de disciplina testificationem habeant.

*De cuiusque ordinandi ætate. Cap. 214.*

QVAM singuli Sacramenti huius gradus ætatem requirant, ne quis ignorer, id quoque proprio statuendum decreto censuimus. Nemo igitur prima tonsura, aut vllo trium inferiorum ordinum, vt initietur ad nos adducatur, qui septimum saltem ætatis annum non excesserit. Nemo ante duodecimum, vt Acolitus fiat. At gradum Subdiaconatus ascendere qui appetit, vigesimum secundum, qui Diaconatus vigesimum tertium, qui Præsbiteratus vigesimum quintum annum attingat necesse est. Quod si quis adeo proiectę audaciæ fuerit, vt huic Sacrorum Canonum iuri fraudem facere non vereatur (quod tamen ne accidat omnis à nobis diligentia adhibebitur) is temeritatem quidem pœna, quam meritus videbitur luet. Verum (quod ignorare eum nolumus) etsi eo erit ordine initiatus, eiusque caractere insignitus; tamen ante illius obeundi exercendiq; potestate non potietur, quàm ad præfinitam legibus ætatem peruenerit.

*De titulo ad quem quisque ordinatus fuerit non dimittendo. Cap. 215.*

QVI Ecclesiastico beneficio carens, proprio ad se alendum patrimonio fultus fuerit, eoq; nomine ad ordines peruenerit, id postea patrimoniũ alienare ei non licebit, nisi beneficium aliquod adipiscatur, quod ad vitam sustentandam commodè sufficiat; ac ne sic quidẽ, nobis incõsultis. Idem de beneficio, deque pensione, cuius ope, ac titulo in ordines quis cooptatus fuerit, iniussu nostro non dimittendis, decernimus; cui aliquid huius rei causa donatum fuerit, is iureiurando interposito sanctè spondeat, neque redditurum se, neque alteri dono daturum, nisi consultis, & permittentibus nobis.

*De certis impedimentis, quæ si adsint, initiari prohibemur. Cap. 216.*

NE quis ignoret, quæ impedimenta omnes ordinibus arceant, ea proprio decreto complecti, ac omnium notitiæ exponere est visum; vt qui teneri se ijs sciunt, aditu ordinum absistant.

Non iusta ætas.
Non susceptum confirmationis Sacramentum.
Nouitas Baptismi.
Noxa & crimen.
Pœnitentia publicè acta.
Inscitia.
Ebrietas, & Gula.
Impudicitia.
Periurium.
Fęneratio.
Infamia.
Rationes non redditæ.
Seruitus.
Vitium, ac deformitas corporis.
Ortus non iusto matrimonio.
Ignoratio vnde quisque sit.
Simonia.
Homicidium.
Irregularitas omnis.
Suspensio.
Interdictum.
Excommunicatio.
Amentia.
Morbus comitialis.
Mens obsessa malis spiritibus.
Omissio examinis, aut reiectio.
Egestas.
Heresis.

*De Constitutionibus Pij secundi, & Sixti Quinti. Cap. 217.*

PRIDIE eius diei, quo Episcopus ordinationes est habiturus, edicto moneantur omnes, qui, vt initientur conuenere, vt Pij Secundi sextam, Sixti Quinti vigesimam nonam Constitutionem legant, & qui ijs senserint se teneri, ad suscipiendos ordines ne accedant.

*De regularibus ordinandis.* Cap. 218.

QVOD Pius Quintus Pontifex Max. lege sanciuit, nemo Regularis sacris ordinibus initietur, qui fidem non fecerit, editam ab se suæ disciplinæ ac Religionis professionem; quique iuratus suo chirographo non affirmarit, eam ab se professionem sponte susceptam, ratamq; habitã, quod chirographum inde in Archiuio nostro asseruari mandamus. Præter hęc ijdem regulares, qui nos ordinum causa adierint, litteras ab eorum superiore afferant, quæ de iusta ipsorum ętate, de natalibus, de morum, atque vitæ integritate, ac de litterarum scientia testimonium habeant.

*De Litteris Demissorijs.* Cap. 219.

EX Aliena Diœcesi ad ordines suscipiendos aduenientes, litteras ab Episcopo, in cuius ditione sunt, afferant, quibus de ordinum gradu, in quo constituti sunt, de ortu eorum ex iusto matrimonio, de ætate, de moribus, de doctrina, de beneficio, seu pensione, seu patrimonio vnde se alere ac sustentare possint, testimonium illis detur. Qui has litteras testimoniumque non attulerint, accessu ad ordines prohibeantur. Item si è nostris aliquis ordinem à nobis assecutus dimissorias litteras petierit, vt alios ab alio Episcopo ordines adipiscatur, litteræ ei non dentur, nisi constiterit illum in prioris ordinis exercitatione cum laude esse versatum; ac sic quoque & proximus ordo ad quem ascensurus est præscribatur, & tempus intra quod eum ordinem suscipiat, præfiniatur; quo transacto datæ litteræ nullo amplius vsui esse illi possint. Si quis autem nobis huiuscemodi litteras ab Episcopo siue superiore suo reddet, quæ nullum præstituant ei tẽpus, nos nisi recenter scriptas, aut tribus ad summum mensibus antiquiores, non accipiemus, nisi ille causam suam nobis planè probauerit.

*De Clericis Alienis in Diœcesi nostra habitantibus.*
Cap. 220.

QVI alibi quidem orti, sed in Diœcesi nostra domicilium per decem annos habuerunt, ijs petendi ordines idem ius esse decernimus, quod nostris, nostraque in Diœcesi natis. At familiaribus nostris, si extranei fuerint, non ante aditum ad ordines esse volumus, quàm tres saltem annos apud nos exegerint.

*De ordinibus non nisi per interualla temporis dandis.*
Cap. 221.

QVOD Concilij Tridentini decreto sancitum est, id vtique seruare in animo habemus, vt ne minores quidem ordines nisi certo tempore interiecto

interiecto vlli conferamus, quo vnicuique spatium sit sese ante in prioris ordinis muneribus exercendi, quàm posteriorem assequatur. Quod si aliquando iusta aliqua de causa ab hoc instituto discedere necessarium fuerit, eius rei rationem in ipso etiam diplomate reddi exponique mandamus.

*De Ordinatis alicui Ecclesiæ adscribendis.*
*Cap.* 222.

QVICVNQVE ordines à nobis susceperit, siue illi minores, siue maiores fuerint, hunc nos alicui Ecclesiæ adiungemus, in qua susceptorum ordinum muneribus exerceatur; neque inde ad superiores gradus admittemus, nisi eum in Ecclesiasticarum rerum studijs exercitationibusque profecisse, moresque in dies magis ad modestiam, & ad pietatem excoluisse intellexerimus. Si quis autem ab Ecclesia, cui à nobis attributus est, nobis inconsultis discesserit, is non solùm ascendendi ad alios ordines spe excludetur, sed ab eorum, quos ante adeptus est, vsu prohibebitur, & grauius etiam pro eius merito punietur.

*Ad maiores Ordines non esse properandum.*
*Cap.* 223.

QVO præproperum quorundam studium omnes ordinum gradus, nulla in vllo facta mora, scandendi, ac si possent, etiam transiliendi, cohibeatur, docere monereque eos volumus, plures fuisse e sanctis illis veteribus Patribus, qui nobis illustria pietatis, & Ecclesiasticæ disciplinæ exépla reliquere, qui non solùm in infimis ordinibus, eorumque functionibus, diu hæserunt, sed altiores ascendere, propter animi christianam demissionem, & humilitatem perpetuò recusarunt. Itaque studeat quisque in eo ordine, quo proximè initiatus est, non contemptim, neque elate, atque iactanter, sed religiosè, humiliter, atque etiam lente versari, eiusque muneribus, non rarò, sed crebro, non per negligentiá, sed sedulo, ac magna cum cura perfungi. Quod si quos secus se gessisse acceperimus, hos præmonitos volumus, haudquaquam facilem apud nos aditum ad altiorem inde ordinem habituros.

*De Ordinatis ab alieno Episcopo.*
*Cap.* 224.

QVI acceptis à nobis dimissorijs litteris, alio ab Episcopo in ordines maximè maiores cooptati fuerint, ij non vltra mensem adire nos differant, nobisque susceptorum ordinum diploma ostendere; aut si ipsi iusto impedimento detineantur, quo minus conuenire nos possint, idipsum per alium præstent, & nihilominus ipsi quoq; cùm primùm commodo eorum

rum fieri poterit, ad nos adire ne prætermiserint, quò nos nullius clerici nostri conditionem statumque ignotemus.

*De Demissorijs Litteris absentibus concedendis.*
*Cap. 225.*

QVI è nostra Diœcesi absens dimissorias litteras à nobis, vt ab alieno Episcopo maioribus ordinibus initietur, petet, is ad nos examinandi causa prius adeat, aut si ita remotus, aut impeditus fuerit, vt adesse non possit, tum nos Episcopo in cuius ille Diœcesi degit examinandi curam munusque delegabimus; nec ante illi dimissorias litteras dabimus, quàm de examine eius facti certiores erimus; magna enim cura prouidendum est, ne quis ad ordines non examinatus, probatusque irrepat.

*De Clericis peregrinis. Cap. 226.*

PEREGRINI atque ignoti clerici, & maximè Sacerdotes, munera, functionesque eius ordinis, quo initiatos se esse aiunt, obire non permittantur, multo minus ad altiorem gradum prouehantur, nisi & dimissorias litteras ostenderint, ea forma, quibus fides haberi tutò possit, & ordinum diploma protulerint item ea forma, quæ minimè dubiam fidem faciat; si quis verò eos contra decretum hoc nostrum in sacris ministrare permiserit, hunc ipso facto ab officio suo suspensum esse decernimus.

*De Clericis qui Ecclesiastici fori priuilegio excluduntur.*
*Cap. 227.*

NE quis, quod ad Ecclesiarum cultum, atque Ecclesiastici ordinis dignitatem tribuitur, ad dolum, fraudemque, & tantùm ad seculare forum declinandum vtatur, decernimus qui Clericorum, aut non Clericali ornatu indutus incedit, aut Clericalem tonsuram non fert, aut in Ecclesia cui adscriptus sit, clericalibus muneribus non fungitur, aut Ecclesiasticum beneficium non habet, aut iusso nostro in aliqua scola, aut vniuersitate discendi causa, quò superiores ordines adipisci possit, commoratur, eum Ecclesiastici fori priuilegio frui non debere.

*De Clericorum omnium statu ac numero ineundo.*
*Cap. 228.*

ARCHIDIACONO Cathedralis Ecclesiæ nostræ hanc potissimum curam mandamus, vt omnium Diœcesis nostræ Clericorum nomina, cognomina, patriam, ordines, titulos, beneficia, beneficiorum fructus in librum huius

huius rei causa confectum referat; item eorum qui in posterum initiabuntur, & ad aliquem ordinis gradum seu minorem, seu maiorem asciscentur, locumque, & tempus quo asciti fuerint, adijciat; ac si quis permissu nostro ab alio Episcopo ordinem aliquem susceperit, is intra mensem nomen suum in eundem librũ referendum apud Archidiaconum ipsum profiteatur; quod si facere neglexerit, arbitratu nostro mulctetur; librum Archidiaconus penes se diligenti custodia habeat, & ad nos singulis annis deferat, quem nos describi pariterque in nostro archiuio asseruari iubebimus.

*De Examine. Cap. 229.*

QVONIAM qui tantæ dignitatis Sacramento initiari appetunt, ab his æquum est, vt prius specimina ingenij, vitæque habeantur, magna in id cura diligentiaque adhibenda videtur; ne quis ad res sacras ministrandas, atq; adeo diuina mysteria tractanda, indignus obrepat. Quod ne fiat tam quibus ordines, quàm quibus Ecclesiastica beneficia danda erunt, ante quanti quisque sit cognoscendum, ac diligenti studio examinandum, expendendumq; erit, via maximè, ac ratione, quam infra trademus.

*De Examinatoribus eligendis. Cap. 230.*

EPISCOPVS Examinatores deligat ex omnibus spectatissimũ quemque. Quos delegerit, de ijs ad Sinodum referat, vt ei quoque probentur satisque faciant; Non pauciores sex, non plures octo creentur; clerici quidem omnes, seu seculares, seu regulares; omnesque, aut Canonici iuris, aut Theologiæ periti. Vt autem omnes ex ipso fonte hauriant Tridentinorum patrum voluntatem, de fide, doctrina, integritate eorũ, quibus de beneficiorum cõpetitoribus, deq; ijs qui sacris initiari cupiunt cognoscendum, statuendumque erit, ipsum recitari Tridentini Concilij decretum ex sessione 24. capit. 18. iubemus, ab illis verbis: Examinatores autem, vsque ad illa, Peracto deinde examine.

*De Iureiurando ab Examinatoribus exigendo. Cap. 231.*

QVO Iudicium de cuiusq; merito incorruptius in examine fiat, & examinatorũ fides, religione deuincta, nihil fallat; statuimus ex Tridentini Concilij auctoritate, vt vnusquisque eorum tactis Euangelijs Synodo coram iureiurando adigatur, mandatum se munus sanctè integreq; executurum, priuato studio, affectuque omni posthabito. Iurisiurandi autem hæc formula teneatur. Ego N. sanctè iuro, me mandatum mihi examinatoris munus fideliter, atq; integre omni priuato studio affectuq; posthabito, ex Tridentini Concilij præscripto executurum: ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

*Relatio Examinatorum.* *Cap.* 232.

VT igitur Concilij voluntati obtemperemus, quos grauissimo muneri obeundo sustinendoque in primis aptos, idoneosq; esse iudicamus, hos examinatores ad vos referimus, ac proponimus. Quorum si quem forte aliquis vestrum minus probat, is exurgat, & ad nos accedat, causamq; nobis quam eius reijciendi habet exponat.

Reueren. D. Ascanium Clementinum Vicarium nostrum.
Reueren. D. Veturium Venturellum Priorem.
Reueren. D. Bernardinum Geraldinum Archidiaconum.
Reueren. D. Marcellum Mendosium Præpositum.
Reueren. D. Anthiochum Archillegium Canonicum.
Reueren. D. Franciscum Venturellum Canonicum.
Reueren. P. Magistrum Thadeum ordinis sancti Augustini.
Reueren. P. Magistrum Angelum ordinis sancti Francisci.

*De officio Examinatorum.* *Cap.* 233.

TAM sanè graui, quàm vtili munere illi funguntur, quibus hæc examinandi, & de cuiusque disciplina, atque Ecclesiasticarum rerum scientia vsuq; perquirendi, & varia interrogatione cognoscendi, ac iudicandi prouincia mandatur; plurimum enim positum in ijs est ad ministros Ecclesiarum eo genere eligendos, qui res sacras purè, castè, aptè, periteque procurent. Qui igitur aliorum excutere, ac probare doctrinam vitamque debent, eos sanè innocentiæ, atq; prudentiæ laude excellere, & in optimarum artium studijs haud mediocrem habere exercitationem conuenit. Et cùm ad examinandum iudicandumque de aliquo conuenerint, iuxta amoris, atque odij expertes, tantùm publicæ vtilitatis, & fidei suæ rationem ducere, & cùm gratiæ nihil, tum plurimum veritati tribuere debent, vt neque dignum ob offensam reijciant, neque indignum ob gratiam approbent vnquam. Quod nos vt examinatores nostri assiduè cogitent, eos etiā atque etiam in Domino hortamur.

*De Examinatorum abstinentia.* *Cap.* 234.

CVM in suo munere obeundo, dicendaq; de vnoquoq; sententia integritatem, iustitiamq;, tum maximè abstinentiā præstare examinatores decet; sic vt neque ante examen, neque post, eius rei causa, accipere ab vllo ne minimū quidem quicquam possint. Quod adeo religiosè retinendum, obseruandumque illis est, vt si secus fecerint, tam ipsi, quā qui eis largiti aliquid fuerint, turpis corruptelæ, atque adeo nefariæ simonię crimen, ex auctoritate Concilij Tridentini, ea lege contrahant, vt neque ab eo absolui crimine nisi beneficijs, si qua habent, amissis, neque beneficia ipsa amplius recuperare, aut alia in posterum adipisci possint; & pręterea facti rationem in Synodo reddent, à qua pro eius merito punientur.

De

*De Examinatorum prudentia, & humanitate.*
*Cap. 235.*

QVIA plerumque Adolescentes Iuuenesuè ætate nondum confirmata examinis aleam subeunt, quos modestia, & pudor sæpius, quàm inscitia confundit, hos verum est obuiam habere comitatem, ac benignitatem examinatorum; quæ animos dubitantibus addat, & initio quæstionibus minimè difficilibus alliciat, & ad bene sperandum, audendumq; confirmet. Quin natu grandiores quoque, & exercitatiores, nullo seueriori aspectu, nullo vehementiori dicto deterrendi vnquam erunt, ne inde non tam doctrinæ suæ diffidentes, quàm iudicum asperitate debilitati, despondeant animum; & quod sæpe accidisse in petitione beneficiorum vsu compertum est, non indoctis, & probis, confidentes, & audaces præferantur; eaque non plus litterarum, sed plus oris habentibus, mandentur. Quin potius cunctantes, & timidè respondentes, humanitas examinatorum subleuet, sustentetque; & comi, ac blanda hortatione languentes excitet. Minimè verò, vel in legendo, vel in respondendo, vel in pronuntiando aliquid offendentes, minusq; satisfacientes, corripiendi acriusq; obiurgandi erunt, & tunc ne docendi quidem, nisi quæstionis ipsius ratio id necessariò postulauerit, sed expectandum quo ipsi euadant. Peracto demum examine, doceri, moneriq, poterunt, si quid docendi, monendique videbuntur. His adijcimus, in examinando non id modo quantum quisque sciat, spectandum esse; sed vel maximam cuiusq; ingenij, vsus, solertiæ rationem esse ducendam; sæpe enim in litteris minus versatus, docto, atque erudito aptior, & industria potior in mandatis muneribus obeundis reperietur.

*De quibusdam, quæ cauenda Examinatoribus sunt.*
*Cap. 236.*

NEMO Examinatorum quemquam, qui periculum sui facturus sit, vlli Collegarum commendet: Nemo amicitiæ causa, aut alteri vt gratificetur; Atque adeo nemo omnino, nisi qui nominatim à nobis, aut Vicario nostro fuerit accersitus, ad examen veniat; ac si venerit, ei ius dicendæ sententiæ, aut ferendi suffragij nullum sit. Nemo quenquam eorum, qui examen subituri sunt, præmoneat instruatuè de quibus eum interrogaturus sit. Qui secus fecerit, tum quidem Examinatorum cætu excludatur, aliusque in eius locum nostro, aut Vicarij nostri arbitrio, aduocetur. Postmodum verò officij parum sincera fide administrati causam in Sinodo dicat, & vt meritus videbitur, mulctetur.

*De numero Examinatorum adhibendo.*
*Cap. 237.*

EXAMINATORES in Sinodo creati, vt supra tradidimus, ex eo genere, eaque lege quam Oecumenicum Tridentinum Concilium statuit, ad examinandos probandosque, quibus aut ordines maiores conferendi, aut Parochialis Ecclesiæ, curaque animarum mandanda erit, haud pauciores tribus adhibeantur; quorum sententiæ si pares, aut singulares fuerint, Episcopus, aut Vicarius quibus voluerit accedet, quod institutum teneri etiam volumus, cùm aut ad concionatorem, aut ad confessorem probandum conueniendum erit.

*De precatione initio examinis adhibenda.*
*Cap. 238.*

EXAMINATORES vbi in locum eorum cætui statutum conuenerint, non ante initium examinandi facient, quàm qui alijs præsidet, ex scripto precationem peregerit; qua oretur Deus, vt nihil dicatur, agaturuè ab vllo eorum, quod cum eius voluntate, atque numine non consentiat. Quam quidem precationem etiam huic decreto subscribere ab re fore non videtur.

*Oratio. Cap. 239.*

DEVS à quo profusus Spiritus sanctus repleuit orbem terrarum, cuius numine omnia continentur, qui sub tuo nomine, ad tui cultum congregatis, nunquam te non adfuturum es pollicitus, illabere quæsumus animis nostris, nosq; ita rege, vt in asciscendis, qui inde sacris Altaribus tuis ministri admoueantur, non gratia, non odio ducamur, sed id modo spectemus, id statuamus, quod cum tui nominis gloria, cum sanctæ Ecclesiæ dignitate, cum eorum ipsorum salute, qui se tibi hodie obtulerint, coniunctum esse, illustrante te mentes nostras, intellexerimus. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

*De cuiusque habitu corporis ante examen spectando.*
*Cap. 240.*

ANTEQVAM examinandi, interrogandique initium fiat; qua quisq; specie sit, quoque incessu, spectetur; reijci enim debebit, si quis distorto, ac deformi ore, aut fœdè, atque insigniter claudus fuerit; item si quis tonsuram, & clericalem ornatum, vestemque non ferret; aut eam sordidam nimis, laceramque, & malè hærentem haberet. Rarò enim culto animo sit, quem indignatum corporis sordium non pudeat; & ingenuos quidem omnes, sed maximè clericos honestæ, minimeque exquisitæ munditiæ decent.

De

*De ratione in examine ipso tenenda. Cap. 241.*

NE ordine sublato, alter alterum interrogando, quæstionesque proponendo, interpellet, quo & ipsi Examinatores mutuò sibi impedimento essent, & animus eius, cui ad ea quæ proponuntur respondendum est, varia multiplicíq; interrogatione distraheretur, conturbareturq;, decernimus, vt ab eo examen inchoetur, cui nos si præsentes erimus, aut Vicarius noster, mandauerit; atq; hunc deinceps sequatur, qui ei proximus lateri dextro assidebit. Non tamen ante secundus examinator nouam quæstionem incipiat, quàm primus desierit; nisi aliter nobis, aut ei qui pro nobis examini præsidebit, videbitur. Vni enim præsidi totius negotij moderandi sicuti è re iudicauerit, ius & potestatem esse volumus. Omnes autem dum peragitur examen, tam interrogantibus, quàm disserentibus silentium, atq; audientiam præstent; neu colloquia inter se, neu quæstiones, ne de propositis quidem rebus serant, sed eius responsionibus animum aduertant, de cuius ingenio, atq; doctrina experimentum capitur.

*De Libris vnde Examinatores quæstiones haurire maximè debent. Cap. 242.*

CVM eruditio, doctrinaq; eorum exploratur, qui aut ordines, aut beneficia petunt, aut concionandi, sacrasuè Confessiones audiendi munus sunt suscepturi, quæstionum argumenta, quæ ijs proponentur, non ex profanis auctoribus haurienda, sed maximè è sacris petenda libris erunt, Biblijs, Canonibus, Concilijs Oecumenicis, Pontificum Maximorum consultis, præcipuè tamen Tridentino Concilio, & Romano Cathechismo, quibus Ecclesiasticæ disciplinæ ratio omnis abundè videtur contineri.

*De cuiusque moribus, doctrinaque ad singulos ordines probandis. Cap. 243.*

NON propterea quòd quis semel in vno, aut ordine, aut beneficio adipiscendo id sui specimen dedit, quo se suamque doctrinam examinatoribus probauit; cùm editiorem gradum est conscensurus, minus excuti, examinariq; debet; fit enim persæpe, vt cuius in vno ordine probata vita, studiaque fuerint, is vel lubrico ætatis, vel improborum consuetudine à seipso desciscens, ad vitia prolabatur; interdum etiam, quòd minus exploratum de eo fuerat, id postmodum palam fiat; volumus vt ad singulos gradus, quos quisque parat ascendere, eodem studio de moribus, de eruditione, de ordinum ipsorum, quibus præditus erat, vsu atq; exercitatione, diligenter inquiratur; nec quia semel satisfecit, propterea speret quisquam idem de se iudicium factum iri.

*De Examine coram Episcopo habendo.*
*Cap.* 244.

QVANQVAM multæ ac variæ Episcopalis curæ, atque officij occupationes sint; tamen quia in præcipuo negotio habemus delectum eorum, qui ad diuinum cultum, cerimoniasq; tractandas, asciscuntur, nos quidem operam dabimus, vt cùm de vniuscuiusque doctrina, vsuque rerum Ecclesiasticarum, periculum fiet, præsentes adsimus, neq; enim parum ad rem pertinet, nos ipsos quanti quisque sit, quamque de vnoquoq; spem capere possimus, coram experimento cognoscere. Quod eos scire, qui id iudicium subituri sunt, haud fore inutile arbitramur.

*De Examinis primordijs quibusdam. Cap.* 245.

QVO sensim, atque ordine in vnius cuiusque scientia exploranda, expendendaq; procedatur, initiumque à notioribus, & facilibus sumatur, primò quidem, maximè si ordinum causa examen erit, aperto libro legere, qui examinatur, iubebitur, donec experiundo an rectè, & explicatè legere, & pronunciare sciat, intelligatur; deinde grammaticorum more coniungere verba, eaque reddere vulgaria, aut sensum eorum exponere; in quo cutandum erit, vt quod legerit sit huiusmodi, quo integra sententia comprehendatur. nec ille quamuis aberrare, nec satis grammaticè verba componere videretur, tamen propterea interpellandus erit, sed sinendus, donec intelligi possit, an sensum verborum sit assecutus. Atque hæc veluti primordia quædam examinis sint, à quibus ad alia grauiora doctrinæ, ac disciplinæ experimenta, pro rei de qua agitur ratione, Examinatores transibunt.

*De modo adhibendo ne longius in examine procedatur.*
*Cap.* 246.

NE tempus in Examinando longis, atque inutilibus quæstionibus, disputationibusq; teratur, quod aut contentiones parum dignas pareret, aut inanem ingenij ostentationem haberet, hęc videtur cautio esse statuenda; vt cùm quis primis statim responsionibus ad vsum, atque disciplinam illius muneris, cuius ab illo documentum exigitur, litteratè peritus esse perspicitur; ab eo vltra quicquam percunctari supersedeatur, cùm satis haberi debeat, quod idoneus ad rem sit repertus. Rursus cùm quis ipso se initio rudem, atq; ignarum, & communium quoq; ac scitu facilium rerum adeo expertem se ostendit, vt prorsus imperitus, & hebes esse videatur, cũ eo superuacuum fuerit pluribus agere; sed iussus intentiorem studijs operam dare, missus fieri debebit, & alius introduci.

*De quibus initio interrogandus vnusquisque erit.*
*Cap.* 147.

ANTEQVAM vlterius in examine procedatur, quædam vniuersè de vnoquoque quærenda, cognoscendaq; esse videntur; videlicet.
De patria, & domicilio.
De statu, ac genere vitæ.
De impedimentis, si quo tenetur. In quo monendus erit, ne id occulte habeat, sed Episcopo saltem patefaciat, ne commodi alicuius cupiditate prouectus, vel vitio initietur, vel beneficium munusq́ue aliquod assequatur, quod habere, exercereque inde iure non possit; vtraque enim fraus, magnis eum criminibus inuolueret.
De pia precandi, diuinasq; res meditandi consuetudine, si quam habet.
De fructu quem ex ea petit.
Tum ad pietatis studia hortandus, incitandusque, pro cuiusque instituto, ingenioque, erit.

*De primam Tonsuram petentibus.* *Cap.* 148.

TRADITIS, quæ tenenda examinatoribus, quæq; ratio examinis instituenda sit, sequitur, vt quæ eos scire, qui examinantur, ordinesq́ue aut beneficia petunt, oporteat, demonstremus; aut certè de quibus maximè interrogandus vnusquisque sit, exequamur. In re enim longe grauissima, & qua diuini cultus sacrarumq; cerimoniarum procuratio, administratioq́ue nititur, nulla nimia diligentia videri potest. In his igitur, qui primam Tonsuram postulant hæc ne desiderentur.
Sacro sint Chrismate confirmati.
Ecclesiam frequentare consueuerint.
Id sui specimen dederint, vt perseueraturi in Ecclesiasticæ vitæ ratione credantur.
Pluries in anno sacra se Confessione, & Communione expiare consueuerint.
Legere, & scribere aptè sciant.
Quid ipsa tonsura sit ne ignorent.
Item norint, qui fidei Articuli.
Quæ præcepta decalogi.
Quæ Iussa Ecclesiæ.
Quæ Sacramenta.
Quæ virtutes Theologicæ.
Quæ Cardinales.
Quæ Opera Misericordiæ.
Quæ dona Spiritus sancti.
Quæ capitalia vitia.

De alijs præterea, quæ libello Christianæ doctrinæ, ad Puerorum institutionem continentur, interrogati scienter respondeant.

### *De petentibus Ordines minores.* Cap. 249.

QVI minoribus ordinibus insigniri, atque initiari cupient, præter superiora, quæ petentibus primam Tonsuram cognoscenda, proposuimus, his quoque instructi esse debebunt.

Susceptæ Tonsuræ litteras proferre.

Eius munera in Ecclesia obijsse.

In ordine inferiori, si quem habent, certum tempus egisse.

Vestitu, qui Clericum deceat, vsos esse.

Frequenter peccata confessos constare, atque eius rei scriptum testimonium ab suo Confessore habere.

Latinæ linguæ, & gramaticæ non planè rudes esse.

Quot, & qui ordinum gradus.

Quæ eorum diuisio.

Quæ cuiusque officia sint, scire.

Denique eam de se spem facere, vt fore aliquando idonei videantur, qui maioribus quoque ordinibus initientur.

### *De appetentibus ordines maiores.* Cap. 250.

ATQVI maiorum ordinum gradus conscendere parant, tanto superiores doctrinæ, ac religionis laudibus anteire debent, quanto sanctiora, ac præstantiora munera sunt, ad quæ asciscì postulant.

His ergo primùm omnium ea sit ætas, per quam ex Tridentini Concilij lege, eum quem appetunt ordinem, capere liceat: scilicet Subdiaconum viginti duos, Diaconum viginti tres, Sacerdotem viginti quinque annos natum constet.

Eo sint censu, qui sustendandæ eorum vitæ sufficiat, isque explicatus, & minimè ambigui iuris sit.

Morum atque vitæ testimonium, vt superius tradidimus, habeant.

Litterarum scientia in ijs minimè desideretur.

Quæ interrogati fuerint de Sacramentorum omnium ratione peritè edisserant, scilicet.

Quibus rebus constent.

Quos fructus afferant.

Quis Auctor eorum.

Quæ iterari non possint.

Quæ caracterem imprimant.

Quorum necessitate tenemur.

Quæ cuiusque definitio.

Quæ materia.
Quæ forma.
Qui ministri.
Quibus initiatos legibus deuinciant.
Quibus Eucharistia negari, quibus impartiri debet.
Quę eius conseruandæ ratio.
Quando, & quibus pro viatico exhibeatur.
Sacrificium Missæ quid.
Aqua ad sacrificium cur adhibeatur.
Quæ, & quanta.
Quæ si desint, sacrificij ratio non constet.
Qui eius effectus.
Quæ partes.
Quæ mysteria.
Quam quæq; Sacerdotalis vestis significationem habeat.
Canonicas horas recitandi regulas norint.
Psallendi, & canendi in Ecclesia modos artemque calleant.
Iubeantur præterea hosce maximè habere, ac lectitare libros.
Breuiarium.
Biblia.
Sanctorum patrum volumina.
Concilium Tridentinum.
Sinodum hanc nostram.
Rationale diuinorum Officiorum.
Libros alios, quibus piè, ac religiosè viuendi precepta traduntur.

*De ijs examinandis, qui animarum curæ præficiendi sunt.*
*Cap. 251.*

QVAMQVAM qui in Sacerdotum ordinem leguntur, propter muneris dignitatem, sanctitatemque, quod accipiunt, in ijs neque vitæ, neque doctrinæ ornamenta desiderati vlla debeant, quæ ad multiplicem officij sui vsum necessaria videantur; tamen proprio decreto quædam attingenda esse duximus, quæ cùm de mandanda alicuius curæ Parochiali Ecclesia agitur, ab ijs exigantur, qui se ad id muneris sponte obtulerint. Igitur examinatores experiri debent.
An non solùm ex sacrorum voluminum lectione res percipiant, quas verba significant, sed etiam quæ rebus ipsis mysteria abduntur, quæq; inde vitæ præcepta elici possint, aliqua ex parte assequantur.
An cum alloquendus populus est, texere per se orationem, habereque possint; & si quam habuerunt aliquando, vnde potissimum eius argumenta, sententiasque sumpserunt; ac si eam scriptam habent, proferre iubeantur.

An aliquam ex tempore dicendi exercitationem, facultatemq; teneant, & quantum in eo genere valeant, breui proposito argumento periculum fiat.
An aliàs animarum curam gesserint, & vbi, & cur ab ea discesserint.
An quantum onus sit animarum intelligant; & quibus ipsi freti adiumentis, aut qua spe adducti ad illud subeundum, animum appulerint; & quibus virtutibus præditum esse oporteat eum, qui tam graui negotio præponitur.
An impedimenta, quæ nos à suscipiendis, ministrandisque Sacramentis prohibent, norint.
An Sacramentorum omnium vim, naturamque intelligant, de ijsque singilatim interrogentur.
An eorum ritus, & cerimonias teneant.
An in audiendis sacris Confessionibus sint exercitati.
Quos huius rei causa auctores, aut summas legant.
Proponantur plures casus conscientiæ, vt an periti satis in ijs sint, cognoscatur.
An delicta, casúsque Pontifici Maximo, & Episcopis reseruatos norint, ac de ijs interrogentur.
In hoc genere eas quoque quæstiones examinatores persequentur, quas infra in probandis Confessoribus trademus.
Quibus adijcient hortationem, vt quæ Tridentinum Conciliũ de pręcipuis christianæ fidei partibus, ad prauas hęreticorum opiniones refellendas, decreuit, item quæ de residentia, quæ de Parochis, Parochialibusque Ecclesijs, deq; diuinis officijs, ac de honestate Clericorum, alijsque ad cleri, ac populi disciplinam pertinentibus, statuit, & præterea quæ hac ipsa Sinodo præcipiuntur, studiose ac magna cum cura cognoscere, ac nota perceptaque habere conentur.

*De Examine eorum quibus beneficia non curata dantur.*
*Cap. 252.*

HACTENVS quæ eos scire conueniat, qui Parochialis Ecclesiæ curam suscepturi sunt, exposuimus; nunc consequens videtur, vt eorum quoq; ingenium doctrinaq; non nihil excutiatur, quibus beneficia curæ animarum expertia danda erunt; nam ne hi quidem muneris sui imprudentes, negligentesq; esse debent. Ab his igitur hęc quærantur.
An Canonicas horas ad Breuiarij rationem dirigere, ac recitare ritè sciant.
An ijs instructi sint, quæ ordinis gradus postulat, quo ipsi initiari, pro beneficij iure, quod habituri sunt, debent.
An etiam illa teneant, quæ ex beneficij, aut ordinis ratione peragenda illis pręstandaque sunt.

*De Confessoribus Examinandis. Cap. 253.*

AVDIENDIS sacris Cõfessionibus præter Parochos nemo se audeat exponere, ne regularis quidem, de cuius eruditione, fide, integritate, ante diligenti examine exploratum, cognitumque non fuerit; à nobisque approbatæ eius industriæ scriptas litteras non acceperit, sicuti superius alio loco docuimus. Volumus autem, vt nobis, aut Vicario nostro coram examinetur, non à paucioribus tribus examinantibus, ex eorum numero quos in Synodo designauimus. Quos quidem confessores ea omnia scire oportet, quæ supra asciscendis in Sacerdotum ordinem, item quæ Parochis noscenda præscripsimus; deque ijs primò interrogandi erunt, deinde ad ea traseundum, quæ confessorum propria videntur, scilicet.

De Sacramenti Pœnitentiæ necessitate.
De auctore eius.
De causa cur institutum sit.
De Materia.
De Forma.
De effectibus, qui ex eo existunt.
De Ministro.
De Conditionibus, quibus præditum esse eum oportet.
De Peccatis.
De regulis dignoscendi, ac distinguendi mortale à veniali.
De partibus pœnitentiæ, deque earum ratione.

*Contritio. Cap. 254.*

QVIA pœnitentiæ tres esse partes constat, Contritionem, Confessionem, Satisfactionem, de singulis diligenter ab eo erit quærendum, quẽ omnium peritum esse necesse est. Ac de prima primum.
Quid contritio sit.
Quæ ad veram contritionem necessaria existimentur.
Qui contritionis fructus, quæuè vtilitas.
Qua ratione exercere se quis ad contritionem possit.
Quibus argumentis vera contritio cognoscatur.

*Confessio. Cap. 255.*

DE Confessione, quæ altera pars est pœnitentiæ, quæri hæc poterunt.
Quæ vis ac natura Confessionis.
Quæ peccatorum species, & differentiæ.
Quæ circunstantiæ.
De non iustè possessis reddendis.

De contractibus, qui vſurę ſuſpicionem habent.
De criminibus, quæ ſequuntur cenſuræ.
De ipſis cenſuris.
De Irregularitatibus.
De rebus dubijs conſultandis.
De Confeſſione quando iteranda.

*Satisfactio.* *Cap.* 256.

QVÆ partes ſatisfactionis.
Qui finis.
Quæ vtilitas.
Quæ veram ſatisfactionem efficiant.
Quæ ratio imponendæ pœnitentiæ.
Quæ remedia adhibenda pœnitentibus.
Quam pœnitentialium canonum notitiam habeant.

*Abſolutio.* *Cap.* 257.

QVÆRENDA præterea pauca erunt de abſolutione, ſi eius rationem rectè teneant.
Quibus ea verbis concipitur.
Quæ in ea preces adhibentur.
Qui ordo ſeruandus in abſoluendo à peccatis.
Qui ab excommunicatione.
Qui à ſuſpenſione.

*Sigillum.* *Cap.* 258.

NE qua pars huius Sacramenti prętermittatur, de qua Confeſſor inſtructus non ſit, de ſigillo quoque erit agendum, quod maximè tenere eum oporret: quęrendum ergo erit, cur ſigillum dicatur, quæ vis illius ſit, quæ illo comprehendantur.

*De Romano Cathechiſmo.* *Cap.* 259.

QVI aut ad ordines, aut ad beneficia curata petenda ad nos adibunt, parati quidem adeant de quæſtionibus omnibus, quæ ſupra attigimus commoſtrauimuſq; differere, ſed eos monitos in primis volumus, vt pręter ceteros auctores maximè Romanum Cathechiſmum in manibus habeant, aſſidueque terant. Eo enim libro ſumma grauitate, pari doctrina, admirabili eloquentia, quæ ſcire Sacerdotem, atq; Eccleſiaſticum hominem decent, omnia copioſe,

copiosè, plenè, absoluteque tradita, ac disputata sunt. Nobis certe satis ab eo fiet, quem & lectitasse eum librum, & eius sententias, doctrinamque tenere ex interrogationibus responsionibusque intellexerimus.

*De vnoquoque examine in acta referendo.*
*Cap. 260.*

NOTARIVS noster librum huius rei gratia comparatum habeat, in quē acta examinum, tam quæ de ijs habebuntur, qui initiandi, quàm quæ de ijs, qui beneficiorum, aut confessionum causa examinandi erunt, referat, eo ordine, vt primò diem qua edictum de curato beneficio propositum fuerit, perscribat, deinde addat eam ad quam fortè producetur, tum Beneficium ipsum, de quo edictum erit, post nomina Examinatorum, qui vocatu Episcopi examini adfuerint, Nomina eorum, qui se examinandos obtulerint, diem quoque quo quisque examen subierit, Præterea quod singuli Examinatores de vnoquoque iudicium tulerint, postremò nomen illius quem ex omnibus examinatis Episcopus prætulerit, magisq; idoneum renunciauerit, cuique demum beneficium, aut conferet, aut conferri ab eo ad quem spectabit, iusserit.

*Quæ præstanda ijs, qui minores ordines adepti fuerint.*
*Cap. 261.*

QVI dato demum de se iusto animi, atque ingenij specimine minores ordines adepti fuerint, etiam vitæ rationem suscipiendam sibi esse existimabunt, quam Sacramenti disciplina, quo initiati sunt, postulat. Ac primùm quidem clericalem vestem cultumque semel assumptum nunquam deponent, nec sine eo in publicum prodibunt. Sacra se Confessione multo quàm antea frequentius procurabunt. In Ecclesia cui adscripti erunt, nullum quod susceptorum ordinum proprium sit officiū, præstare grauabuntur, nec quia humilia quædam videantur, pudore deterreri ab ijs debebunt; nam in Domo Dei tanto quisque magis excellit, quanto se ipse magis demittit. Saltem octauo quoque die Ecclesiam verrent, singulaque Altaria excutient. Amentes, furiososque, item publicè excommunicatos, atque interdictos abire Ecclesia iubebunt. Eadem canes quoque eijcient. Egentes mendicare in Ecclesia, & stipem ab singulis quiritare (quod sæpe inter ipsa sacra importunè admodum fit) ne patientur, ac ne hastas quidem, & sclopos, armaque præter suetos gladios, inferri. Nec spatiari, nec dormire, ac stertere; nec cubitis, aut tergo Altaribus, vel Baptismi fonte, vel vase Aquæ benedictæ inniti quemquam sinent. Si quos dum diuina res peragitur, aut stare, aut capite tecto esse, conspexerint, eos modestè admonere vt caput aperiant, ac genua ponant, præterquam cùm Euangelium recitatur, non verebuntur. Item silere si quos garrientes obstrepentesque aduerterint,

iubebunt; Sacerdotibus sacra facientibus ex disciplina, quæ infra suo loco à nobis tradetur, studiosè inseruient. Candelabra deferent, Turribula ministrabunt aliaque in diuinis officijs munera, vt iussi fuerint, apte scienterque obire studebunt, & maximè cerimoniarum Magistro ad omnia præsto erunt, illiusque imperijs minimè cunctanter obtemperabunt.

*Quædam maiores ordines adeptis præstanda.*
*Cap.* 262.

AT sacros assecuti ordines, ad omnem religionis cultum tanto se studiosius incitare debebunt, quanto altiorem gradum in diuino hoc Sacramento conscenderunt; ni indigni, qui ad sacra tractanda, conficiendaque ascilcerentur, videri volunt. Ergo Diaconi ac Subdiaconi rectè, atq; ordine facient, si quoties solemnibus sacris Dominicis maximè ac festis diebus ministrant, percepta diuina Hostia religiosè communicabunt, aut certè singulis mensibus semel eo salutari animæ pabulo reficere, atque alere spirituales vires non prætermittent. Epistolam atque Euangelium sonora voce distinctè, atque explicatè recitare studebunt, atque alia officia præstare, quæ cuiusque ordinis propria esse supra à nobis est demonstratum. Ac præterea Theologo in Cathedrali Ecclesia sacras litteras, quique conscientiæ casus dicuntur, interpretanti exponentique operam dabunt. Supplicationes quoties habebuntur linea Cocta induti obibunt. Sacerdotes verò, qui animarum curæ præsunt, muneri suo, de quo infra pluribus disseremus, satis vt faciant, curæ habebunt; Cæteri itèm non solùm in sua quisque Ecclesia statutis illis diebus rem diuinam facient, quibus facere siue ex beneficij ratione, quod obtinent, siue ex Ecclesię ipsius instituto cui addicti sunt, siue ex decretis nostris debent, sed alia præstabunt, quæ sancita præceptaque Sacerdotibus hac ipsa Sinodo sunt.

## DE MATRIMONIO.

CAP. 263.

ANTIQVISSIMVM rerum, & cum ipso conditum orbe matrimonium est; humano generi propagando, humanæq; societati tuendæ hominibus à Deo commendatum; Vt dum quisq; ex se satos agnoscit, ad eos pręcipua caritate complectendos, educandosque naturæ impulsu commoueatur. Quo enim vinculo hęc hoīum inter se communitas contineatur, indiscreta prole, & ferarum ritu promiscua libidine, & natura, primorum parentum peccato labefactata, viuentium? Quin tantā Deus esse vim necessitudinis huius voluit, vt matrimonio deuinctos tāquam vnū ex duobus fieri, & duos esse in carne vna iusserit.

Ergo

Ergo hanc coniugii legem nobis a primordio nostri inditam, non aucta in immensum, fusaq; per terras soboles, non sæculorum infinita series aboleuit, non ullæ, ne barbaræ quidem, atq; incultæ nationes aspernatæ sunt. Atq; omnibus idem propositum, procreare liberos, & sæuientis, furentisq; libidinis impetum frenare, & intra rationis claustra, usumq; coercere.

## De Matrimonij Sacramento.

### Cap. 264.

QVO quidem matrimonii fœdere tamdiu propagata mortalium vita stetit, donec aduentu Dei, & Domini Nostri Iesu Christi, maritalis hæc maris fœminæq; coniunctio, & naturam mutaret, & finem, ac præstantiorem vtrumq; nancisceretur. Nam quæ antea non aliò scilicet spectabat, quàm vt stirpem ex se gigneret, in æuumq; proferret, iam à Christo Domino Sacramenti dignitate aucta, & cœlestibus ditata muneribus, non tã procreare ex se sobolem gaudet, quàm illam Deo educare, & diuinæ religionis, & ueri numinis cultores propagare, augereq; studet. Atq; hæc præcipua est Sacramenti instituendi, & colendi ratio.

## De indissolubili matrimonij vinculo.

### Cap. 265.

QVAMQVAM ab ipsa eius origine ita institutum a Deo matrimonium credibile sit, vt semel initum dirimi amplius non possit, tamen acceptâ demum a Christo Sacramenti sanctitate, ita constrictum hac lege, sancitumque esse dubitare non possumus, vt ipsemet pronunciauerit Dominus, Quos Deus coniunxit, homo non separet. Atque adeo non solùm ab hac semel constituta voluntatum consensione discedi vnquam vetuit, & connubio nexis æternam vitæ societatem, & indissolubilem necessitudinis nodum indidit, qui exolui, nisi morte non potest; sed ipsam erga parentes pietatem, nobis ipsius ore Dei tantopere commadatã, cedere huic coniugum inter se caritati, voluerit. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ. Quo vinculo nullum est inter homines arctius inuentum.

## De Sacramenti huius vi, & vtilitatibus.

### Cap. 266.

SACRAMENTVM hoc, inquit Apostolus, magnum est, Ego autem dico in Chisto & Ecclesia. Quæ verba ad matrimonium referri, pro non dubio habetur, sicut ne de eo quidem dubitatur, matrimonii hac coniunctione, perpetuam, ac summam Christi Domini cum Ecclesia coniunctionem significari,

gnificari; immensique eius erga sponsam suam amoris Sacramentum, id est Sacrum signum, arctissimam hanc viri vxorisque societatem esse, constans sanctorum Patrum sententia est. Iam bona vtilitatesque, quæ a Sacramenti huius gratia profluunt, nec vnæ, nec paruæ sunt. Quarum illa prima est, quod coniugum inter se amorem non fouet solùm, sed quadam christianæ caritatis sanctitate temperat, & perficit. Deinde præstat, vt mutuam sibi operam, mutuam opem assiduè ita præbeant, vt alter in alterius fide, & beneuolentia conquiescat. Præterea vt neuter alienis amoribus sollicitetur, neuter alieno concubitu, aliena libidine se polluat; sed vtrique honorabile connubium, & immaculatus torus, maneat. Postremò vt communes liberos concorditer educent, & Christiana fide imbutos sanctis, ac salutaribus præceptis ad veræ pietatis cultum instituant.

*De quodam maximè admirando Sacramenti huius effectu. Cap. 267.*

AD superiores vtilitates, quas matrimonium habet, vnus omnino maximè admirandus eius effectus non solùm non præteriri, sed distingui, secerniq; videtur debere; quando eum, ipsa prope aduersante natura, naturapotentius Sacramentum præstat. Quid parentum caritate hominibus sanctius? Quid secundù Deum tam colendum? Quid ab ipso Deo tam commendatum? Quid ab ipsa natura tam propriè ingeneratum nobis est? Quæ denique vlla coniunctio parentum necessitudine constrictior? At propter hoc Sacramentum relinquet homo patrem, & matrem; & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Mirabile dictu, sed mirabilius est, quod vsu euenire id quidem quotidie videmus. A quibus ergo geniti, a quibus educati, quorum laboribus, quorum studio, quorum cura, atque assiduitate instituti sumus, eos deserere, ijs ignotum ac ne visum quidem antea, interdum ne in eadem quidem terra natum, moribus etiam, & lingua diuersum anteponere sustinemus? & quod haud minus mirandum videri potest, id cum facimus tantum abest vt se parentes deseri, atque posthaberi ægre ferant, vt filiorum cum coniugibus suis gratia, & consensione mirifice lætentur? Quod qua nam alia ope, quàm Sacramenti vi fieri existimemus, cuius mysterio Christi Domini perpetua, atq; indissolubilis cum Ecclesia coniunctio significatur? Quod nos eo attigimus, vt intelligant coniuges, quàm sancto vinculo contineantur, quantaque religione, & ineundum matrimonium sit, & tractandum.

*De Materia, & forma Sacramenti Matrimonij.*
*Cap. 268.*

VARIE materia, formaq; huius Sacramenti traditur, sed illi verius magisque apposite differere de his videntur, qui materiam quidem diuidunt, atque ipsos sponsos, nulla ad id re præpeditos, remotiorem quandam matrimonij materiam esse, disputant; propiorem verò verioremque, illum consensum statuunt, quem alter eorum primus pronuntiat. Formam autem, qua, vt quidque sit, efficitur, consensum esse aiunt, qui mox ab altero effertur; hac enim edita mutuæ consensionis professione, continuo matrimonium existit. Nam quę à Sacerdote ex Concilij Tridentini auctoritate, in coniugibus benedicendis, verba adhibentur, Ego vos coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ea nullam vim ad matrimonium efficiendum habent; ita ne forma quidem ijs constare potest, sed instituta ob id videntur, vt Sacramentum illud ritè, ac religiosè peragatur.

*De Ministro Matrimonij. Cap. 269.*

MATRIMONII Ministri veri, & necessarij, & sine quibus constare Sacramenti ratio non potest, sunt ipsi sponsi, ritè coniugij fœdus inter se ineuntes. Quamquam præter hos dicitur quoque Minister Sacerdos, qui benedicendo, beneq; precando sponsis adhibetur. Cuius etsi non tam opera, quàm auctoritas, præsentiaq; requiritur, tamen Tridentini Concilij decreto, matrimonium aliter, quàm Sacerdote, & testibus coram pactum, vim Sacramenti non assequitur, nec vinculo vllo astringitur. Nam sicuti Sacerdos neque verè administer, aut transactor rei est, neque omnino vllæ ad Sacramentum patrandum perficiendumque partes illius sunt; ita necessariò est adhibendus, vsque adeo vt si abfuerit, rata res non sit; & contra dummodo consentientibus inuicem intersit, vel nihil agens, ac silens satis officio fecerit, matrimonijq; coniunctio, vera iustaque erit.

*De consensu quo matrimonium perficitur.*
*Cap. 270.*

MATRIMONII iungendi, & efficiendi vis omnis, in consensu vtriusque sponsi sita est. Qui consensus neque si adsit, & nullum iustum impedimentum intercedat, irritum fieri matrimonium potest, neq; si desit, constare. Illud quoque necesse est, vt idem consensus non vi, metuuè extortus, sed à voluntate profectus, verbis exprimatur, verbaque præsens tempus complectantur; nam quæ futurum respiciunt, nequaquam matrimonij nomen, aut vim habent; sed promissum id, aut sponsio dicitur, quam alterutrius mutatio voluntatis resoluit. Quamquam etiam nutus, sine verbis, consensui testando sufficiunt,

dum rem ipsam significent, assentientemq; coniugio animum indicent, ac patefaciant. Nam si puella, exquirente voluntatem eius Sacerdote, virginali verecunda sileat, vel pro ea pater respondeat, ipso dicitur assensa silentio. Quamquam Parochus dare operam debet, vt vocem eorum consensumque planè eliciat, vtiq; si quam suspicionem parum propensi ad id eius animi perceperit. Itaque gratia Sacramenti non in benedictione Sacerdotis, non in ipso concubitu, sed in mutua voluntatum consensione percipitur. Nam benedicendi ritus est ille quidem adhibendus, cùm coniugum animos ad piè, sanctèq; ineundum indissolubilis vinculi fœdus excitet, sed minimè necessarius. Item cubando vnà, coeundoq; non efficitur matrimonium, sed consummatur. Quippe animorum coniunctione, non corporum id Sacramentum peragitur; neque minus matrimonij nexu illi attinentur, qui coniugio assensi concubitu abstinent, quàm qui iam concubuerunt. Sicuti intemeratam Dei genitricem Sancto Iosepho vero matrimonio iunctam Sancti Patres disserunt, cùm de purissima eius integritate, ac virginitate dubitare scelus inexpiabile sit.

### *De differentia rati, & consummati matrimonij.* *Cap. 271.*

SED ratum, & consensu perfectum matrimonium, ab eo quod concubitu consummatum sit, ea re differt; quod ante coitionem vtrique coniugi ab consilio discedere, si se religionis, & virginitatis amore, alicui sacræ disciplinæ addicere velint, integrum sit, etiam renuente, ac repugnante altero; eoque facto coniugij vinculum dissoluitur, & ei qui desertus fuerit, liberum nouarum nuptiarum ius relinquitur. Quæ libertas, facultasque, vbi corpora miscuerint, penitus amittitur; nec amplius vlli eorum, ne religionis quidem causa matrimonium deserere licet, nisi fortè pari studio cœlebis vitæ, vterq; consensu sacris astringeretur; nam sic quidem non matrimonium rescissum, cuius nodus coniunctione corporum semel reuinctus, aliter quàm morte non exoluitur, sed matrimonij vsus diremptus diceretur.

### *Matrimonium non nisi inter volentes iungi.* *Cap. 272.*

CVM igitur consensione mutua constare matrimonium demonstratum sit, videndum etiam, atq; etiam erit, vt ipsa consensio à liberis animis, liberisque voluntatibus prodeat, neque enim verus consensus ille fuerit, quià non volente expressus arguetur. Nam matrimonij fœdus, quando copulandis animis, non iungendis corporibus, constringitur, comprehendere, ac tenere non videtur, qui etsi verbis assentitur, re tamen, atque animo longe dissidet. Quæ quidem tanti libertas est, vt si quis, vel respectu parentum, vel metu adductus, palam quęuis assentientis verba proloquatur, interiore autem mente, atq; voluntate

tate dissentiat, is nullo matrimonij vinculo obligatur, etiam si in amplexum; etiam si in concubitum venerit. Ex quo perspici potest, quam grauem sustineat culpam, qui filios (quod sæpe fit) auctoritate, aut minis, aut adeo etiam vi, iungi ijs compellunt à quibus eorum animi longissimè sunt remoti, & quantam parentes prudentiam, cautionemque adhibere debeant, vt filias ita collocent, vt iusto cum sponso, casto, pudicoq; in toro, pudorem deponant, non vt alieno comprimendæ, ac stupro, flagitioq; fœde polluendæ falso connubij nomine, à quo eorum animus penitus abhorret, tantùm abest vt assentiatur, tradantur.

*De libertate matrimonij, ac statutis illud impedientibus.*
*Cap. 273.*

IN omni matrimoniorum tractatione, maximè libertati est consulendum, cùm enim consensione mutua concilietur, quæ consensio esse potest, vbi dissentiendi adeptum arbitrium sit? aut alicuius legis vinculo ita impeditum, vt quò velit ferri non possit? Si qua igitur municipalis lex, statutumque in Diœcesi nostra sit, quod vllam matrimonijs iungendis, & iustę Sacramenti libertati impedimentum afferat, & sacrorum canonũ placitis, conciliorumq; decretis, officiat, eas leges, statutaque omnia abrogamus, abrogataque, & irrita esse decernimus, omnibusque Ciuitatis, Dięcesisque nostræ magistratibus, vlla in posterum condere statuta, decretaque facere, quibus hæc libertas minuatur, penitus interdictũ esse statuimus; ita enim hæc de se statuendi libertas necessaria ad decernendum matrimonium ducitur, vt si qua vel tenuis suspicio Episcopi animum incesserit, puellæ voluntatem, cuius de matrimonio agitur, ab illo alienam esse, cui eam collocare parentes, aut propinqui parant, non solùm vestigare, ac perquirere rem diligentissimè debebit, sed si opus esse intellexerit, puellam ipsam è suorum potestate exemptam, tutoque in loco statuam, audacter, verè, ac liberè suum promere animum iubebit, operamque dabit, vt ei libertas fraudi ne sit.

*Filios parentum voluntati plurimum tribuere debere.*
*Cap. 274.*

QVEMADMODVM graui se crimine parentes obstringunt, qui filios tam duro imperio habent, vt inuitos ad matrimonij iugum cogant, aut eis iungant, à quibus ipsi maximè alieno sunt animo; ita parum obsequenter, parumque ex filiorum in parentes pietate, atque officio faciunt, qui eam rem totam ad arbitrium suum ita reuocant, nihil vt parentum auctoritati voluntatique tributum velint; nam etsi matrimonium etiam aduersantibus parentibus, ritè initum, firmum, constansque fuerit; nec infirmari ab ijs, rescindiuè vllo modo poterit; tamen decet filios ea reuerentia, obseruantiaque erga parentes agere, vt neque secundum Deum sanctius quicquam habeant, & in coniugij deli-

deliberatione, non consilio solùm eorum, sed etiam voluntati morem gerant, & auctoritatem nunquam detrectent.

*Matrimonia clam inita inania esse.*

*Cap. 275.*

QVAMQVAM matrimonia libero iuncta consensu, Sacramenti vim assequuntur, & eo vinculo constringuntur, quod solui inde amplius non possit, tamen ignorari à nemine debet, id ita verum esse, si quæ Oecumenici Concilij Tridentini decretis sancita sunt, ijs obtemperetur. Nam sapientissimi illi Patres, diuini numinis instinctu acti, fraudibus aditum obsepiendum, & ijs maximè cauendum censentes, qui propter ætatis imbecillitatem sæpius incauti labebantur, clam inita matrimonia penitus vetuerunt. Pleriq; enim nuptiarum spe, promissisque falsi, cùm data, acceptaq; fide, furtim coiuissent, expletaque inde libidine, satiatos consilij, pactique tædere cæpisset, deserto matrimonio, quod iustum cum vna clam pepigerant, palam aliam ducebant; cumque ea non in coniugio, sed in perpetuo adulterio vitam agebant. Huic igitur pesti, vt occurreretur, suaque matrimonijs sanctitas maneret, legem Patres tulerunt de ijs palam, & certo ritu ineundis, omniaque irrita fecerunt, vanaque & inania esse decreuerunt, quæ aliter iuncta pactaque fuissent, eisque, qui huic legi fraudem fecissent, iure matrimonij inter se iungendi in perpetuum interdixerunt. Nam ne quis ad matrimonium, aut cupidine prouectus temerè rueret, aut calliditate illecebrisque illectus, improuidè irretiri se pateretur, rata connubia esse in posterum vetuere, quæ aliter quàm Parocho, vel Parochi Episcopiuè concessu altero Sacerdote præsente, & duobus, aut tribus rei testibus, inita fuerint; ita enim forè sperarunt, vt ea raro, nisi consultò, & de parentum voluntate transigerentur, aut certè vanis promissis nulla in fraudem induceretur.

*De Parochorum in Matrimonijs cura.*

*Cap. 276.*

SAPIENTISSIME prouisum à Concilio Tridentino cùm sit, ne fraus vlla fieri matrimonijs possit, eorum abrogato iure, quæ clam inita fuerint, æquum est summam à Parochis diligentiam adhiberi, vt & populus ritum legemque à Concilio iussam probè teneat, & ne quid secus ab vllo fiat, sed cuncta, vt ex eius præscripto exigantur, sedulo curare. Quod nos Parochis Diœcesis nostræ ita iniunctum volumus, vt si quid peccatum prætermissumuè eorum culpa negligentiauè esse ad nos deferetur, graues ab ijs pœnas repetituri simus.

*De clandestini matrimonij decreto publicando.*

*Cap. 277.*

ID Sacri Tridentini Concilij decretum de matrimonijs clandestinis, etsi arbitramur ab omnibus iam Parochis populo promulgatum esse, tamen quia frequens, & cotidianus eius incidit vsus, & omnium propè interest nihil eorum ignorare, quæ illo decreto continentur, volumus & iubemus, vt ab singulis Diœcesis nostræ Parochis iterum promulgetur, promulgationemq; scripto nobis testatam faciant; quæ nos scripta in Archiuium Episcopale referri mandamus; sed ne eius decreti memoria, iusque apud vllos vnquam obsolescat, volumus vt Parochi quotannis festo die, cùm maior celebritas fuerit, illud populo recitent, & vulgari lingua, quo ab omnibus intelligatur, exponant. Expedit enim vt ipsæ maximè adolescentulæ Virgines id perceptum habeant, ne in fraudem induci, & occultis, & vim nullam habituris nuptiarum promissis, se ad vllam pellici turpitudinem patiantur.

*De matrimonijs antequam iungantur denunciandis.*

*Cap. 278.*

CVM ratio paciscendi matrimonij inter aliquos initur, antequam ad illud iungendum veniatur, ex Concilij Tridentini præscripto denunciari publicè sponsi debent. Id Parochi dent operam vt ritè ab se fiat, & ne quid quod concilium statuerit prætermittatur, diligentissime caueant. Ter eadem denuntiatio in Ecclesia repetatur, tribus ordine festis diebus, dum maximè frequenti populo sacrificium Missæ peragitur. Idq; denunciandi munus ipse per se sponsorum Parochus obeat; si quid autem vel ante, vel inter ipsas denunciationes, vel ijs etiam peractis, atque adeo, si post iunctum matrimonium, impedimenti detexerit, aut delatū ad eum vel falsò fuerit, non vltra progrediatur, sed nos aut Vicarium nostrum certiorem faciat; & quid ipsi ea de re statuerimus expectet. Sponsos autem, aut coniuges, si iam peracto matrimonio coiuerunt, moneat, & grauibus pœnis propositis etiam præcipiat, vt separent lectum, secubentque, & omni prorsus consuetudine abstineant, donec soluti lege, Apostolicæ sedis auctoritate, impedimento liberentur.

*Quædam Parochis ante denunciationes de ipsis sponsis cognoscenda.*

*Cap. 279.*

FACIENT probè ac pro sui muneris officio Parochi, si antequam futurū inter aliquos matrimonium promulgent, nonnulla de ipsis sponsis diligenti percunctatione cognouerint. Primò an de voluntate parentū nuptiæ ineantur. Deinde an iusta vtriq; sponso sit ætas. An aduenæ, incolæue sint. An prima Christianæ fidei rudimenta teneant. An eo anno in Pascha ritè confessi communicaue-

municauerint. Si qua absentem virum sibi decessisse ait, absque de illius morte certum nuntium acceperit. An sponsa in Monialium septis educetur; nam nisi prius inde egressa domum suam redierit, eius promulgari nuptias sine auctoritate nostra vetamus. Item si ante promulgationem ex vulgi sermonibus intercedere aliquod impedimentum cognosceret, nos consulendi erimus.

*De denuntiationibus de voluntate sponsorum faciendis.*
*Cap.* 280.

QVIA maximè matrimoniorum libertati est consulendũ, monemus omnes Diœcesis nostræ Parochos, atque adeo ijs præcipimus, vt etsi de futuris inter aliquos nuptijs certiores facti fuerint; non tamen eas in Ecclesia, ex Concilij Tridentini formula ante denuntient; quàm id ab ijs ipsimet sponsi petierint, aut Parochus an denuntiari se velint, ipsos rogauerit. In quo tamen magna Parocho adhibenda cautio erit, ne quid erret, neue dum quærit an denunciari sua nomina velint, etiam consensum iungendi matrimonij ab ijs eliciat; sed disertè, explicatèque de solis denuntiationibus agat. Sponsam autem in conspectu quidem parentum, aut propinquorum, sed seorsum tamen, ne alij audiant, percunctetur, quò si fortè alienior ab ea re esset, animi sui voluntatem liberius, & nullius obstricta verecundia, promere audeat; ab his autem verbis, quibus voluntas matrimonio consentiens significatur, etiam dum de matrimonio ipso inter se agunt sponsi abstineant, ne ante rem transigant, quàm Ecclesiæ intercedat auctoritas.

*Item de denuntiationibus. Cap.* 281.

QVO die postremum denuntiata sponsorum in Ecclesia nomina erunt, eo matrimonium non coniungatur, nisi facultate à nobis impetrata, quam nos nemini facile concedemus, nisi fortè, aut postridie Quadragesima, vel Aduentus ineatur, aut alia iusta subsit causa, quam ob rem concedendum id esse censeamus. Ac tum quidem Parochum volumus, vt in ipsa denunciatione populum moneat, eadem die iunctum iri matrimonium. Quanquam ne ipsa quidem instantis Quadragesimæ, & Aduentus satis digna causa anticipandi matrimonij videatur, cum ea sacri illius temporis sanctitas sit, vt etiam qui matrimonio iuncti sunt, abstinere ab illius vsu deceat, ne dum noui sponsi tum potissimum coniungi, & coniugali toro operam dare, atque indulgere debere videantur. Sed nos re cognita id statuemus, quod conducere saluti eorum, & matrimonio nullum periculum afferre posse iudicauerimus.

*De denuntiationibus interdum omittendis.*
*Cap.* 282.

ACCIDERE aliquando poteſt, vt ſi matrimonium ante palam fiat, quà vllo conſtrictum vinculo ſit, callida alicuius improbitate interpellecur, impediaturque. Huius rei cùm iuſta eſſe ſuſpicio videbitur, licebit ſemel tantùm rem in Eccleſia denunciare, aut ne ſemel quidem, ſi ita negotij ratio poſtulabit. Et ſat fuerit Parocho coram, & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium præſenti pactione tranſigi. Quo facto promulgari nihilominus debebit, antequam vnà concumbant ſponſi; vt ſi qua fortè affinitas, aut aliud impedimentum ab ipſis ignoratum intercedet, admoneri de eo poſſint, niſi fortè nobis conducere rei videbitur, vt denunciationes penitus tranſmittantur. Quod tamen ne à nobis quidem, niſi iuſta grauiſque cauſa intercesserit, fiet. Quo minus Parocho ipſi eas remittere licebit, niſi certa ratione coactò, quam inde probare nobis debebit. Qui quidem Parochus, ſi vel in differendis, vel in mutandis denunciationibus, vel omnino in toto matrimonij negotio, doloſè quid egiſſe conuincetur, pœnas arbitrio noſtro graues dabit.

*De nuptijs poſt denuntiationes non differendis.*
*Cap.* 283.

SPONSORVM nominibus ter, vt præceptum eſt, euulgatis, ſi nihil nunciatum impedimenti fuerit, coniungi matrimonium continuo debebit. Atque Parocho ipſi curæ erit, vt omnes præcidantur moræ. Quin tanti hæc eſſe rei maturatio videtur, vt nos Parochum iubeamus tamdiu denunciationes differre, donec à ſponſis, ſponſorumuè parentibus cognouerit, reliqua eos omnia parata inſtructaque ad tranſigendum matrimonium habere, ſi enim aut ob ſolutionem dotis, aut aliam ob cauſam producturi longius diem viderentur, ne Parochus quidem denuntiationes anticipet, ſed eorum tempus expectet; magnopereque cuſtodiri interea ſponſos, & ab omni conſuetudine arceri iubeat. Quod ſi denunciatis ijs, tamen ſtabilire matrimonij iura illi vltra menſem diſtulerint, tum Parochus nos certiores faciat, neque eos ſine ſcitu, & auctoritate noſtra amplius coniungat; magnopere enim huic odioſæ procraſtinationi, atque tarditati, pœnis etiam, & caſtigationibus occurrendum videtur. Cùm enim ſponſos à conſuetudine, & coitione diu prohibere difficilè ſit, magnorum ſæpe incommodorum periculum, quod vſu compertum eſt, ex ea re impendet. Nam interdum leuitate ingenij, interdum ſatietate libidinis, interdum detecto aliquo corporis vitio, interdum etiam diſſimilitudine morum, quam ipſe ſtatim intimus aperit vſus, quidam ſpreta promiſſi fide, à pactis ſponſalibus recedunt; ex quo non ſolùm ſponſæ deſtitutio, qua, pudore amiſſo, & adempta virginitate, infelicius dici nihil poteſt; ſed grauiſſimæ

ſimæ inter ipſas familias inimicitiæ, atque adeo etiam cædes oriuntur; quod periculum non tam diligentia continendi ſponſos, quàm præuertendis accelerandiſque nuptijs, vitatur.

*De Matrimonio non cupidè, ſed conſulto, ac ſanctè ineundo.* *Cap.* 284.

PECCATVR ſanè non leuiter à pleriſque, qui dum matrimonij rationẽ, ſanctitatemque parum intelligunt, non ita affectum, vt oportet, animum ad eam rem afferunt. Alios quippe pecuniæ ſtudium, alios formæ cupido, alios libidinis æſtus impellit, cuius agitati ſtimulis nihil de Sacramento, nihil de myſterijs, quæ illo abduntur, cogitant. His veniat in mentem verborum, quibus eos Diuus Hieronymus compellat. Sapiens, inquit, vir iudicio debet amare coniugem, non affectu, regat impetus voluptatis, nec præceps feratur ad coitum. Nihil eſt fœdius, quàm vxorem amare quaſi adulteram: hæc Hieronymus. Itaq; ergo qui ad nuptias animum appulit, ex ijs, non formam, non diuitias, non voluptatem; ſed gratiam Sacramenti petat. Antę omnia ad Deum adeat, cũ conſulat, cum eo pijs precibus agat, vt propitius, placatuſque deliberanti adſit. Poſt deliberationem, poſt alia ritè peracta, non ante tamen nouam nuptam attingat, quàm ſacra ſe Confeſſione, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptione piè procurarit. Tum ſibi veram cum coniuge animorum conſenſionem, veroſque ex matrimonio fructus, & ſanctam vitæ ſocietatem Dei conceſſu, atq; munere, polliceatur.

*De Matrimonio non alibi quàm in Eccleſia iungendo.*
*Cap.* 285.

FACTIS igitur ritè denuntiationibus, matrimonium in facie Eccleſiæ coniungatur. Quod nos nunquam in priuati vllius ædibus, nec omnino alibi; quàm in Eccleſia ipſa fieri volumus, niſi id à nobis, aut Vicario noſtro iuſta aliqua de cauſa permiſſum fuerit; nec alio tempore quàm mane poſt diluculum, & peracto ſacro, quod de ſponſis proprium in libro Miſſarum eſt; cui quidem ſacro non ſolùm vt interſint ſponſi ipſi volumus, ſed etiam vt ſe Sacroſanctæ Euchariſtiæ perceptione procurent, & coniugium non aliter, quàm rem ſanctam ſanctè ineant, magnopere eos in domino hortamur. Ipſe autem Parochus veſte linea ſeu ſuperpelliciea atq; ſtola indutus, duobus, aut tribus teſtibus adhibitis ſingulos ſponſos ante ſe conſtitutos de eorum voluntate interrogabit, & vbi conſenſum diſertè ab vnoquoque elicuerit, ijs benedicet, beneque precabitur, & apto ſermone cùm ſponſos, tum alios qui aderunt ad matrimonium pro dignitate Sacramenti, quo nobilitatur, purè caſteque habendum, excitarę conetur; maximè autem tria illa loca ex Romano Cathechiſmo tractabit, ſcilicet quanta fide matrimonium ſit colendum, quanto ſtudio, quantaq; religionę

filij

filij in Christiana disciplina sint instituendi, & quanta vis coniunctionis huius, & quàm arctè constrictus nodus sit.

*De Sponsorum benedictione.* Cap. 286.

SI sponsi aliam ante benedictionem alterius matrimonij causa acceperunt, aut alter eorum accepit, nihil erit cur iterum benedicantur, sed alijs peractis dimittentur. Benedicendi autem hic maxime ritus obseruetur. Parochus vbi editum ab singulis consensum acceperit, dexteras eos iungere iubebit, & cōfestim subijciet, ego vos in matrimonium coniungo, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, Amen; atque his dictis aqua benedicta leuiter vtrumq; asperget. Quod si quando ex auctoritate nostra matrimoniū priuata in domo, denuntiationibus etiam omissis, aut dilatis, Parocho, & testibus coram coniunctum fuerit, cùm sponsi benedictionem accipiendi gratia ad Ecclesiam adibunt, eam quidem illis Parochus impartiatur, sed illud non commiserit, vt iterum ab eis consensum matrimonij exigat. Sponsi siue ad coniungendum matrimonium, siue ad accipiendam benedictionem ad Ecclesiam cum adibunt, eos nulla musica instrumenta secum afferre, nullos comitari cantus, Parochus patietur; quòd si illi de eo admoniti non paruerint, tam diu Parochus ab ijs seu iungendis, seu benedicendis abstineat, donec res sanctas sanctè tractare discant.

*De Annulo imponendo.* Cap. 287.

BENEDICTIONE ritè peracta, sponsus de Parochi manu acceptum annulum sponsæ digito induet; idque dum facit benedictionis illa verba in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, non sponsus, sed Parochus ipse, cuius benedicendi munus est, repetet. Erit autem sponsæ non dexteræ, sed sinistræ manus digitus minimò proximus, annulo inserendus.

*De mutuis viri vxorisque officijs.* Cap. 288.

TAM sancta igitur necessitudine coniuncti, certare officijs virq; vxorque inter se debent, & alter humanitate, altera obsequio mutuam beneuolentiam prouocare, demererique; vt ex prisca sanctorum Patrum disciplina, vir vxorem in omnium bonarum, aduersarumq; rerum societatem datā sibi cogitet; sic enim ait Adamus de Eua loquens: Mulier quam dedisti mihi sociam; contra vxor viro, vt Principi, ac moderatori communis domus in omnibus rebus, quæ christianæ religioni non aduersentur, hilare minimeque inuita parere, ac morem gerere discat. Mulieres, inquit Diuus Petrus, subditæ sint viris suis. Vir foris iustis, vtilibusque negocijs occupetur, necessaria suppeditet, & familiari rei honestas per artes consulat; vxor domesticarum rerum curam gerat, filios educet, in timore domini, in pietatis officijs, studijsque studiat, rarò in pu-

blicum, nisi rei diuinæ causa prodeat; contra viri voluntatem pedem domo ne efferat; Denique quod caput est, & si hoc adsit, facile cætera sequuntur, vir vxorem vera beneuolentia gratiaque complectatur, virum vxor non summe solùm amet, sed etiam revereatur, & colat.

*De ætate qua quis inire matrimonium potest.*
*Cap. 289.*

AD Parochi curam pertinet cauere, ne quos matrimonio, verbis præsens tẽpus constituentibus, coniungat, quorum nondum matura ad id ætas sit; maturam autem ætatem mares habere dicuntur, cùm quartumdecimum excessero annum, fœminæ autem cùm duodecimum.

*De Impuberum sponsalibus.* *Cap. 290.*

CVM inter impuberes, nec dum matura matrimonio ætate, pacta sponsalia erunt, diligentiæ erit Parochi, monere Parentes, vt illi, præsertim si grandiores sint, secreti habeantur; & vbi iam adoleuisse, legitimosque impleuisse annos videbuntur, non magnopere differat Parochus percunctari eos, quid animi habeant, & in conuentis sponsalibus perseuerare an velint. Quod si in sententia perstare intellexerit, dabit operam, vt primoquoque tempore veris certisque nuptijs copulentur, ne si res diutius extrahatur, aditus aliquis dissidio, litibusque aperiatur.

*De sponsalibus futuri Matrimonij.* *Cap. 291.*

CVM inter aliquos sponsalia fiunt; Parochus si ijs adhibeatur, diligenter monebit contrahentes, quam ea vim habeant, ne quid ab ijs per inscitiam peccetur, neuè licere sibi ex his coire, aut vlla matrimonij licentia vti, existiment; parentesque eorum aduertere iubebit, vt illi remotis arbitris congredi, colloqui, versari vnà ne possint, at multo magis eadem in domo ne habitent; ipse autem cauebit ne sponsalia verbis præsens tempus significantibus, sed futurum respicientibus peragantur; idque ita dilucide exprimi curabit, vt nulla inde quæstio, dubitatioque oriri possit.

*De eorum pœna qui ex sponsalibus coeunt.*
*Cap. 292.*

TANTA sæpe est hominum incontinentia, vt ea pœnis frenari necessariò debeat. Si qui ergo Parocho, & testibus coram, interposito etiam iureiurando, matrimonium mutua sponsione, futurum tamen tẽpus cõtinente, pacti fuerint, ac inde prius quàm certo illud, ac præsenti fœdere, verbisq; præsens tẽpus

consti-

constituentibus, confirment, riteque coniungant, vna concubuerint, inter hos matrimonium nullum esse Episcopus decernat, idque præterea statuat in eos pœnæ exemplum, quod cæteros in posterum ab simili facinore deterreat. Non tamen ijs matrimonio, si illud ex disciplina à Tridentino Concilio decreta iungere voluerint, interdicatur. At Parochus hæc accidere ne possint, sæpe populum de veris, & à Concilio præscriptis ineundi coniugij legibus, edoceat; & parentum in id magnopere excubet cura, vt non solùm ab omni familiari vsu, vt supra monuimus, sed congressu etiam, & colloquio prohibeatur.

### *De his qui matrimonium clam inire conantur.*

### *Cap. 293.*

SI quos contra quàm sancita à Patribus in Tridentino Concilio lex iubet, matrimonium furtim inire conatos Parochus deprehenderit, eorum nomina ad nos statim deferat, nec eos inde sine auctoritate nostrà iungere audeat. Qui, re cognita, statuemus quibus illi pœnis ex Concilij ipsius decreto afficiendi sint; magnopere enim eorum coercenda audacia videtur, qui Ecclesiæ iussa, aut nefariè spernunt, aut malitiosè eludere moliuntur.

### *De his qui sine Parochi auctoritate contrahunt.*

### *Cap. 294.*

SI quorum tam stolidum, aut contumax ingenium fuerit, vt omisso Parocho, aut alio Sacerdote, qui nostro, aut illius concessu, Parochi vices obeat, testibus modo adhibitis, matrimonium contrahant, ij non solùm coniugij vinculo nullo prorsus astringuntur, sed ne sponsionis quidem iure vllo attinentur. Proinde neque ad renouanda solemni ritu, quæ omiserunt, iungendumque iterum inter se matrimonium semel non ritè iunctum cogendi erunt, cui ex Concilij decreto iam inhabiles facti sunt, neque prohibendi quo minus vnusquisq; eorum alteri, cui libuerit iungatur; quin ne eorum quidem matrimonium ratum Episcopus habere debebit, qui Parocho posthabito, cuius curæ subsunt, eius loci Parochum adhibuerunt, vbi ipsi matrimonium inierunt. Nam præscripta à Concilio formula, non seruata; neque coniunctio, neque coitio vlla matrimonij vim adipiscitur. At nos tam sponsis ipsis, quàm ijs qui testes absente Parocho, aut alio Sacerdote, adfuerint, pœnam indicimus, quam inde ab illis, vt meriti videbuntur, exigemus.

*De Sacerdote vices Parochi in matrimonijs obeunte.*
*Cap. 295.*

SI quis alius Sacerdos, quàm Parochus, ad matrimonium ritè procurandum Parochi ipsius, aut nostro permissu, adhibebitur (nam aliter huius rei nullam facultatem habuerit; ac si eam vsurpauerit ipso iure suspensus erit, donec à nobis absoluatur) is eadem illa seruabit, præstabitque omnia, quæ Parocho ipsi seruanda, præstandaque præscribuntur. Et præterea simul ac mandato munere fuerit perfunctus, rem ordine de accepta à nobis facultate, de denuntiationibus factis, de benedictione impartita, diem præterea, locum, nomina cognominaque sponsorum, testiumque scripto comprehensa, ad proprium Parochum mittet, à quo ea omnia in librum matrimoniorum referentur, addito eius nomine Sacerdotis, qui negotium peregerit.

*De matrimonij impedimentis. Cap. 296.*

IMPEDIRE matrimonium multa possunt, nec singula enumerare necesse est; sed omnium duo sunt genera: Alterum est eorum, quæ inire matrimonium prohibent, initum non rescindunt. Alterum eorum, quæ & ineundi facultatem adimunt, & ab inito diuellunt. Veluti grauis, ac mortiferi peccati labe inquinatus, à tractando iungendoque matrimonio, quòd Sacramentum est, abstinere iubetur; si tamen ritè iungat, rata res erit; item cum vna quis nuptias pepigit, verbis futurum tempus respicientibus, lege ad eam ducendam, fidemq; suam liberandam tenetur; verùm si is lege, fideque neglecta, aliæ se ritè coniūxerit, infirmari coniunctio non poterit. Et qui nunquàm se ducturum vxorem iurauit, & peierat, ab ritè ducta non deducitur, & alia huiusmodi multa. At si quis disciplinæ Religionis Regularis addictus, edita professione ritè se castitatis voto obligauerit, & coniugij inde fœdus quantumuis solemni ritu ineat, aut etiam concubitu consummet, matrimonij ius, nomenq; nullum assequitur; nec alio astringitur vinculo, quàm nefarij facinoris, cuius grauissimæ ab eo pœnæ reposcendæ erunt. Alia item multa sunt huius quoque generis impedimenta, quę ab his petere licet, quibus curę fuit ea literis commendare.

*De his qui falsa matrimonio impedimenta inijciunt.*
*Cap. 297.*

DENVNCIATVR publicè, antequam iungatur, inter quos iungendum sit matrimonium, cùm ob alia, tum vt impedimenta, si qua intercedunt, cuiuscunque generis ea sint, emanent, efferanturque. Et quemadmodum à beneuolentia, & charitate profectum officium de veris, cognitisque impedimentis Parochum, nosuè docentium fuerit; ita si quis dolosè malitioseque falsa pro veris detulerit, quo moram inijciat, atque inde si possit

si possit etiam rem ipsam peruertat, is præter inflictas à legibus pœnas, à nobis quoque excommunicationis telo configetur; nulla enim animaduersione tam improbus Sacramenti calumniator, illusorq; non dignus videtur.

*De his qui matrimonium impedire veneficijs conantur.*

*Cap. 298.*

VBI diuini timoris frenum excussit, eo audacia, atq; improbitas hominum sæpe effertur, vt vnde eos ius, & fas summouet, illò per nefas, atque iniuriam contendant; & sanctis Dei legibus repulsi, malorum dæmonum ope, quam execrandas per artes conciliant, nitantur. Et matrimonijs, quæ interpellare aliter nequiuerunt, moras impedimentaque cantionibus, & veneficijs iniicere pugnant. Ac tam acribus sæpe sceleris stimulis, ab ipso, cui se addixere Dæmone agitantur, vt quorum detinere, atq; obstringere corpora moliuntur, ne coire, & rem habere possint, eorum etiam mentes perturbent, atque alienent, & interdum ad extremam reductos maciem conficiant etiam, atque enecent. Aduersus hos nullum excogitari, statuique pœnæ exemplum potest, quod non ipsorum meritum, & atrocitas tam nefariæ fraudis superare videatur. Nos vt scelestos homines, quibus possumus pœnis persequamur, coerceamusque, decernimus fascinantes, & veneficos istos, quique eos vel re, vel consilio iuuerint, statim in ipso patrando flagitio, excommunicationis latę sententiæ vincula incurrisse, iisq; comprehensos, atque irretitos teneri.

*De his, qui veneficijs medentur. Cap. 299.*

CVM de veneficijs, & fascinationibus mentionem fecerimus, pœnasq; in eius sceleris auctores statuerimus, ne illud quidem hoc loco præterire est visum. Qui sic affectis fascinatisque mederi voluerint, eos ad id neq; verbis, neque rebus vti vllis volumus, quæ ante nobis cognitæ probatæq; non sint; nec omnino sine scitu, & permissu nostro, aut Vicarij nostri, manus illis admouere. Magnopere verò caueant, ne scelus scelere cumulent, & ab iisdem artibus, cantionibusque remedia petant, quibus contracta ægritudo, atq; morbus fuerit; superstitiosaque verba, quæ iidem illi inueniunt, & subijciunt nefarij dæmones, ne adhibeant; nam & si verborum ipsorum aliquando non improbanda sententia videatur, tamen quia eò spectant, vt animi à vera, atq; salubri curatione, quæ à Deo salutis datore expectanda est, ad pestiferas, atq; inanes spes abducantur, abijcienda penitus auersandaque sunt; cùm vera pietas, veraque diuini cultus religio, nulla re magis, quàm vana, & praua superstitione violetur. Itaq; qui secus fecerint, incantationumque remedia ab incantamentis petierint, cùm eodem se crimine contaminarint, eadem quoque pęna excommunicationis latæ sententiæ teneri decernimus.

*De incesto quorundam flagitio seuerè vindicando.*
*Cap.* 300.

QVIDAM naturæ tanta sunt peruersitate, vt neq; Dei metu, neque hominum verecundia teneantur, nec omnino quid fas nefasq; sit, præ suis cupiditatibus, pensi habent; in hos nulla durior animaduersio videri potest, qui impotentia libidinis humana, diuinaq; iura confundentes, cum propinquis suis vbi se flagitiosissimè miscuerunt, incestum flagitium incestis nuptijs velare conantur; matrimoniumque, quod illicitum esse ne ipsi quidem ignorant, inter se iungunt, vana spe legibus se inde solutos iri. At Episcopus de horum scelere certior factus, quod officij sui erit, statim digredi iussos, deductosque eodem sub tecto ne degant, excommunicationis securi percutiat, publiceque proponat, vt eorum nominibus digna turpitudinis, atque ignominiæ nota inuratur; in ijsque damnationis, & infamiæ sordibus tam diu esse patiatur, donec illi ita resipiscant, facinusque, & erratum suum agnoscant, vt vero animi dolore, veraque pœnitentia absolui, reddique Ecclesiæ communioni, mereantur.

*De coniunctis intra quartum gradum.*
*Cap.* 301.

MAGNO Parochus studio erudiat populum, ne in iungendis matrimonijs, propinquitatem vllam negligant, caueantque summopere ne suas ipsi spes perditum eant, seque vltro in eam fraudem induant, qua inde veluti fabricato nexoque ab se laqueo, implicentur. Nam qui intra quartum siue consanguinitatis siue affinitatis gradum continentur, ij si hoc sciuerint, prudentesque siluerint, & matrimonium protinus inierint, continuo duplicem, & grauissimã in se pœnam contrahunt; primum enim excommunicationis latæ sententiæ telo figuntur, deinde ex concilij ipsius iussu, spes illis omnis abijcienda est veniæ ad matrimonium inter se iungendum impetrandæ; atque ijs maximè quorum impotens libido ad concubitum iam progressa fuerit; at etiam si suam ipsi coniunctionem ignorauerint, & per contemptum, & negligentiam, statutas solemnitates omiserint, ijsdem teneri pœnis patres iussere. Quamobrem Parochus id non solùm sæpe, vt dictum est, apud populum prædicet, sed ipsos maximè sponsos, parentesque eorum, cùm ad matrimonium peragendum conueniunt, de vtroque periculo admoneat.

*De quarto, & quinto gradu.* *Cap.* 302.

QVARTO, & quinto siue consanguinitatis, siue affinitatis gradu distantes, Parochus non moretur, quo minus si libeat, matrimonium inter se ineant, dum regulas à Concilio Tridentino præscriptas teneant;

cùm enim hæc coniunctio laxior sit, quàm vt vllo iure à coniugio prohibeatur nihil opus est, vt qui ea attinentur, legibus soluantur.

*De ignorantibus se vlla propinquitate attineri.*
*Cap. 303.*

QVAMQVAM nec facilè accidere videatur posse, vt quis ita coniunctos, & propinquos suos ignoret, vt eos pro alienis habeat, & mos euulgandi sponsorum nomina à Concilio Tridentino statutus, eò maximè spectet, vt ne quid in eo genere erretur, tamen si qui per imprudentiã, ignorantiamque matrimonio se ritè sociauerint, & postea, solemnitatibus adhibitis, ignorata inter eos coniunctio, indicabitur, tum ijs veniam legis, & dispensationem gratis impetrare facilius fuerit.

*De dispensationibus gratis exequendis.*
*Cap. 304.*

VT omnis auaritiæ, atque sordium suspitio non solùm à nobis, sed a ministris quoque nostris repellatur, statuimus, vt cùm quis Apostolicã matrimonij dispensationem obtulerit, quam nos, re cognita, exequi debeamus, nõ solùm nobis, si quid muneris, eius rei causa, deferretur, prorsus reijci debet, sed mercedem omnem etiam labori debitam quamuis vltro delatam à Vicario nostro, seu quocunque alio ministro remitti. Et tantùm Notario quod pro examine testium æquum suetumque fuerit persolui. In omnibus autem dispensationibus videant, quibus illæ mandatæ sunt, vt omnia ex earũ præscripto peragantur.

*De dispensatione dotis causa impetrata.*
*Cap. 305.*

SI qua mulier, cui dos ea non sit, quam dignitas seu conditio ipsius postulare videretur, ex eoque vt propinquo nubere possit, quia æqualẽ altum inuentura non esset, a quo duceretur, veniam à Pontifice Maximo dispensationemque impetrarit, sat fuerit, si ipso in loco, vnde ipsa est mulier, hac virorũ, quibus collocari digne posset, inopia laborari constiterit, vt Episcopus dispensationẽ exequi iubeat, quamuis vicinis in locis non defuturus esset, qui eam nec vlla propinquitate attingeret, & exigua cum dote appeteret.

*De sponsis diuersæ Paræciæ, aut Diœcesis.*
*Cap. 306.*

SI sponsi diuersa Paręcia, atque ad eo diuersa Diœcesi sint, diuersis quoque à Parochis denunciari eorum nomina debebunt, in quo vterque Parochus id obser-

obſeruabit, vt non ante denuntiandi initium faciat, quàm ab altero certior factus fuerit de ſponſi voluntate, petentis, aut conſentientis denunciationes de ſe fieri. Item qui ſponſis benedicturus erit Parochus, non ante hoc obeat officium, quã denunciationes ritè ab altero quoque Parocho factas ex eius litteris ſchedauè cognouerit, quas inde litteras penes ſe diligenter conſeruabit, eorumque mentionem in libro matrimoniorum faciet.

*De Aduenarum, & Peregrinorum matrimonio.*
*Cap.* 307.

NON deſunt interdum nefarij, atque audaciſſimi homines, qui nulla certa ſede vagantes, ſæpe deſerta, quam vno in loco ſibi iunxerant, vxore, aliam inde in alio cum animæ ſuæ pernicie ducant. Id ne accidat Parochi aduenas, & peregrinos matrimonio ne iungant, niſi prius vnde, & qui ſint, & qui ſtatus eorum didicerint, & rem totam ad nos detulerint, qui re perſpecta quid faciendũ Parocho ſit ſtatuemus. Ad hunc locum etiam illud ſpectat, ſi quis peregrinus ignotus in alicuius Parochiam ad habitandum commigrauerit, mulieremq; ſecum æque ignotam habeat, quam coniugem dicat, eaque tamen ita viuat, vt ſuſpicionem falſi coniugij præbeat; curent Parochi, vt ille infra definitum ab illis tempus teſtatum faciat, mulierem iuſto ſibi matrimonio coniunctam eſſe. Quod ſi parum probarit, pro concubinario habeatur, noſque de eo Parochi certiores faciant.

*De Raptis. Cap.* 308.

NEFARIVM facinus audet, qui fœminam præſertim virginem, imbellẽ, & iniuriæ expoſitum ſexum, & ob id gentium iure maximè tectum, raptam vi abducere non veretur, tametſi non ſtupri inferendi, ſed iuſto coniugio ſibi ſociandi cauſam audaciæ, atq; improbitati ſuę prætexat. Huius igitur prima illa pœna ſit, vt initum inter ipſum & raptam matrimonium irritum prorſus, & ſine effectu ſit, quàmdiu illa in eius poteſtate fuerit; ſin verò libertati reddita, tutumque in locum repoſita, nubere tamen illi elegerit; tum eam vxorem quidem ducat licebit, ſed tam ipſe, quàm qui ei auxilium, conſiliumuè attulerint, ipſo iure erunt excommunicati, perpetua infamiæ macula notati, perpetuoq; ab omnibus capiendis honoribus excluſi; ac ſi in ijs clericus fuerit, etiam gradu ſuo deijcietur; & præter hæc raptor ſiue ſequatur matrimonium, ſiue reijciatur, raptæ dotem, quam decere eam Iudex ſtatuerit, dare tenebitur.

De

*De diuturna coniugum absentia.* *Cap.* 309.

SI coniugum alter domo profectus diutius absit, quamquam relicti expectatio plures per annos ducatur, ac ne constet quidem satis vbi gentium ille sit, qui foris degit, tamen neutri eorum nouum inire coniugium licebit, nisi nō dubia alterius mors nunciata fuerit, & nobis probata. Secus autem iunctæ nouæ nuptiæ, innuptæ, disiunctæque sint.

*De excludendis à matrimonio primæ fidei rudimenta ignorantibus.* *Cap.* 310.

ADEO negligentes quosdam rerum spiritualium esse compertum est, vt prius ad maturam coniugio ætatem perueniant, quàm vel prima christianæ disciplinæ rudimenta, & ea, quæ pueros quoque ignorare pudeat, didicerint; nec per omnem vitā tantum temporis impartiri animæ suæ sinr, vt ea perceperint, memoriæq; mandarint, quæ scire ad ipsius salutem animæ magnopere pertinet. Huic tam irreligiosæ socordiæ, inertiæque vt hi quoque stimuli admoueantur, mandamus Parochis, vt si quos esse sponsos adeo rudes religionis intellexerint, quod percunctando experientur, vt ne prima quidem Christianæ fidei elementa norint, eos non ante matrimonio coniungant, quàm Decem præcepta Decalogi, Dominicam orationem, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum edidicerint, deque ea re curent Parochi, vt præmonitum populū habeant.

*De coniugibus toro domoque separandis.* *Cap.* 311.

MATRIMONIVM ritè initum, concubituq; demum firmatum, dirimi humana ope non potest; nec omnino, nisi morte resolui. Non diuturna, & studio dilata absentia, non odium atque dissidium, non violata adulterio fides, non ipsa denique hæresis, & desertus catholicæ pietatis cultus infringat; quod ipsius ore Dei, & Domini nostri Iesu Christi pronuntiata sententia, æterno atque indissolubili nexu constrinxit. Sic enim ipse decreuit. Quos Deus coniunxit, homo non separet; Sed quemadmodum ea coniunctio ita rescindi, vt vlli coniugum reddatur libertas alterius matrimonij ineundi, non potest; ita seponi vtrique, seiungique, ne eodem cubare lecto, neuè eodem sub tecto habitare cogantur, si iusta causa subsit, aliquando possunt. Quod tamen fieri nisi nos, cognita causa, permiserimus, prorsus vetamus.

*De temporibus quibus solennia nuptiarum prohibentur.* *Cap.* 312.

AB Aduentu Domini vsque ad Epiphaniam, & ab ineunte Quadragesima ipsoque cinerum die ad octauam Paschæ, nuptiarum solennia ex Ec-

clesiæ sanctione penitus intermittantur, nec ea adhibere vlli omnino liceat. Vt enim nullum sit tempus, quo ritè iungi matrimonium, si regulæ, disciplinaque à concilio præscripta teneatur, non liceat tamen ea videtur sanctitas esse eorum dierum, quibus Aduentus Domini colitur, atque eorum, quibus vniuersæ Ecclesiæ indicta ieiunia sunt, vt tum quidem veri quoq; coniuges continentiam præstare videantur debere, tantum abest vt sponsam traducere domum, solemnes epulas conuiuiaque agitare, & alia quæ per risus, lasciuiam, & hilaritatem fieri consueuere, sacris illis temporibus permittantur. Quòd si quis intra hæc tempora, hac neglecta sanctione, vxorem domũ traducere, conuiuia celebrare, aliaque eius generis facere ausus fuerit, huic & omnibus, quos temerarij ausi participes habuerit; Ecclesiæ aditu interdictum esse facto ipso iubemus. Qua quidem in pœna tam diu erunt, donec separati sponsi nobis incontinentiam, contumaciamque suam satis luisse videbuntur.

### *De Libro Matrimoniorum.* Cap. 313.

NE Matrimoniorum, quæ ritè inita iunctaque fuerint, vllo vnquam tempore memoria intercidat, mandamus Parochis omnibus, vt vnusquisque eorum librum, aptè, ac diligenti opere compactum habeat, in quem singula matrimonia ab se coniuncta referat, eo ordine, vt primum nomina, & cognomina vtriusque sponsi, & parentum eorum, deinde denuntiationes ter in Ecclesia, ex præscripto Concilij factæ, & dies, quibus factæ, & impedimenta si qua indicata fuerint, & dispensatio eorum impetrata, & dies item, & mensis, & annus, & locus vbi matrimonium fuerit peractum, ac præterea nomina, & cognomina eorum, qui rei testes adhibiti erunt, perscribantur. Postremò suum ipsius nomen Parochus addet, aut alterius Sacerdotis, si fortè alter pro se sponsos coniungendi munus, suo aut nostro permissu, obierit, aut adeo ipsemet Sacerdos, sua manu rem actam ordine superius tradito perscribet; librũ autem ipsum ad nos singulis annis afferent, qui descriptum, in archiuiumque Episcopale relatum, ijs reddi iubebimus. Ipsi verò apud suas quisque Ecclesias diligenter cõseruabunt.

### *Sacramentorum omnium complexio.* Cap. 314.

EXPOSITIS, quæ de Sacramentorum natura, effectibus, cultu, administratione Parochos, populosq; curæ nostræ traditos scire, curare, seruareque necesse duximus, nunc, vt paucis omnia complectamur, concludamusque, hæc adijcimus. Baptismo nos renouari, & veluti de integro ad spiritualem vitam gigni. Confirmatione genitis robur viresque ad instans certamen dari. Eucharistia cuius species panis, & vinum sunt, ipsas nobis vires ali, nutririque. Pœnitentia vulnera, quæ in pugna succumbentes peccatis accipimus, curari, nosque lapsos, stratosque releuari, ac refici. Vltima vnctione in ipsa iam morte cum ho-

ste æterno nostro luctantes, supremamque cientes pugnam, animari confirmarique. Ordine, interpretes, ac ministros diuinarum rerum, ac ipsorum Sacramentorum Ecclesiæ suppeditat: Matrimonio demum humanum genus ad fidem Deumque colendum propagari.

## DE SACRIFICIO MISSÆ. CAP. 315.

IMMENSA Dei in homines benignitas. Non versari solùm inter nos nostra indutus natura sustinuit, sed sæuos etiam cruciatus, mortemque pro nostra salute perpeti non recusauit. At ne in cęlum quidem rediens, numinis sui præsentia nos destitutos voluit, cùm in corporis, & sanguinis sui Sacramento nobiscum perpetuò commoretur. Neque hoc eximio tutissimoque spiritualis vitæ præsidio nos muniuisse contentus; maximum munus maximo beneficio cumulauit; idemque illud sacrificium, quod ipse semel in cruce, profuso sanguine peregit, & humanum genus in æternum seruitium ob noxam delapsum, per soluto pretio redemit, in libertatemq; vindicauit, non sua finiri, ac desinere morte est passus. Sed quemadmodum æternum se Sacerdotem secundum ordinem Melchisedec prædicauit, ita suum cùm sacerdotium, tum sacrificium manere nobis, & quotidie vsque ad consummationem seculi in Catholica Ecclesia fieri renouarique, memoriæ illius colendæ, & diuinæ nobis mentis propitiandæ gratia, præcepit. Sic ille ipse Dei filius, qui in ara crucis summis est supplicijs mactatus, pari sacrificij ratione à nobis quoque singulis diebus immolatur; nō alio inter vtrumque discrimine, nisi quòd in primo illo ab ipso semel oblato, effusus ex vulneribus, & laceratione corporis, atque cæde Domini cruor est; nostrum hoc incruentum, & sine sanguine peragitur.

## *De Sacramenti, & sacrificij differentia.* *Cap. 316.*

SACRIFICIVM à Sacramento non re sed munere, & actione differt. Idem enim corpus, idem sanguis, idē Deus, & Dominus noster Iesus Christus in Eucharistia percipitur, & in altari Deo immolatur. Sed alterum consecratione conficitur, alterum oblatione peragitur. Et eo quoque differunt, quod Sacramentum meriti causam sumentibus affert, diuinamque gratiam conciliat; & alia tribuit bona, quæ supra, cùm de Eucharistia ageremus, memorauimus; sacrificio eam Dominus vim efficientiamque adiunxit, vt etiam læsi, & peccatis violato Deo satisfaciat. Vt enim ipse Dominus noster seipsum sacrificans Patri, omnia, quæ nos debebamus, cumulatè pro nobis exoluit, ita qui nunc idem sacrificium ritè facimus, eandem victimam, ijsdem passionis eius imbutam meritis offerentes, eandem quoque pro peccatis satisfaciendi rationem, atque vim assequi existimamur; cùm non ipsi vile figmentum, sed idem ille æternus Sacer-

dos

dos Christus, suum instaurare, ac perficere sacrum, nostræ in eo non aliæ quàm Ministri partes esse videantur. Neque enim consecrantes hostiam, corpus illud esse, aut fieri Christi, iubemus, aut pronuntiamus, sed ipsius vicem personamque gerentes, hoc, inquimus, est corpus meum. Quorum vi verborum, veluti ipsius ore Christi nuncupatorum, panis, vinumque in verum eius corpus, & verum eius sanguinem continuò vertuntur; illiusque inde immolatione, atque oblatione hostiæ ita Deus placatur, & ad lenitatem, & misericordiam flectitur, vt non solùm quæ in eum, vel atrociter peccauimus, nobis remittat; sed etiam pœnitentiæ donum, quę constitutam nihil in posterum delinquendi voluntatem continet, largiatur.

## *De Ministris Sacrificij. Cap. 317.*

HVIC tam sancto, ac tam salutari sacrificio, quo ea victima immolatur, cui placandi, merendi, satisfaciendi, vis inest, quippe vero Deo verus Deus sacrificatur; ne Ministri deessent, qui illud ritè casteq; perficerent, ordinis est Sacramentum eodem auctore Deo institutum, quo Sacramento, qui initiati sunt, & ad summum eius gradum prouecti, sacerdotij honore insigniuntur; his & consecrandi, & offerendi diuinam hostiam vnis ius est; & mortalium præterea nulli, quarumvis opum magnitudine, quouis dignitatis fastigio emineat, quibuscumque animi, ingenijque ornamentis præstet, quauis sapientiæ gloria excellat, nisi sacerdotio præditus sit, admouere sacrificio manus fas est, quod si nefario ausu admoueat, & se inexpiabili sacrilegij scelere obstringet, nec rem ipsam assequetur, tanta sacerdotij amplitudo, tanta maiestas est.

## *De Sacerdotum integritate. Cap. 318.*

QVORVM igitur ita eminet dignitas, vt quod nulli Regum, nulli mortalium conceditur, vnis attrectare sacra, vnis diuinam consecrare hostiam, vnis tam sanctum perficere sacrificium ius fasque sit, hos profectò curas omnes, oēs conatus, oīa studia, omnés cogitationes, omnē denique in eo defixam habere mentem conuenit, vt tantæ amplitudini cęlestique potestati, qua præditi sunt, cùm parem doctrinæ, ac sapientiæ laudem afferant, tum certè, quod in ipsis est, fide, religione, morum sanctitate, totius vitæ innocentia, respondeant. Nihil elatum in ijs, nihil vanum, nihil impotens, nihil durū, nihil verò flagitiosum, nihil sordidum. In omni actione pietas, grauitas, integritas, caritas, humanitas eluceat; vt & ipsi tanto digni munere, decoreque iudicentur, & populi religio eorum exemplo commoueatur atque incitetur, non segnitie ac dedecore remittatur, atque languescat; ne inde aliorum salutis curatores constituti, sibi ipsis perniciem, atque exitium conflent; & quibus ob muneris præstantiam, cui præsunt, honor veneratioq; debetur, ij ob vitæ maculas contemptui, odioque habeantur.

*Quid probitas, improbitasuè Sacerdotis sacrificij intersit.*
*Cap. 319.*

QVANQVAM diuini huius sacrificij sanctitati, maiestatique nihil Sacerdotis, vel virtute, atque innocentia adiungitur, vel nequitia atq; indignitate detrahitur; tamen est quædam inter vtrunque differentia. Duplici enim in eo Sacerdos actione, duplici munere fungitur. Alterũ quo cęlestem victimam ritè offert, atque sacrificat Deo; alterum quo preces ad eundem Deum mittit; ac prius quidem omnes quicunque Sacerdotio prædíti sunt æque præstiterint; neque enim suam sacrum efficientiam à Ministro accipit, sed omnem à seipso vim sumit; id est, vt Theologi loquuntur, sacrificij ratio nõ ab opere operante, sed ab opere operato existit. Posterius autem precandi officium credi potest perinde fore, atque ipsius Sacerdotis dignitas meritumque fuerit; neque enim dubitandum videtur, si vir pius, & piè animo affectus sit, quin inde, &c. ipse apud Deum plus gratia valeat, & obsecrationes eius, precesque multo, quàm impuri, atque improbi, gratiores acceptioresque sint; ita sacrificium à bono ac religioso Sacerdote factum, præstabilius fructuosiusque erit, quã quod nequam aliquis, ac perditus exegerit. Quamquam & illud credi pie potest, cũ eas Sacerdos non suo, sed Ecclesię nomine preces faciat, nihil illis quo minus à Deo exaudiantur, ipsius indignitatem officere, sed vni ipsi in perniciem vertere, qui tantæ sanctitatis munus inquinatus, & turpis non vereatur obire.

*De Missis Sanctorum. Cap. 320.*

NEMO cùm sacrificium Missamque in sancti alicuius honorem fieri audit, propterea, vel sancto ipsi sacrificari, vel cultus, qui vni Deo debetur, sanctis haberi, vel Deo ipsi ob id quicquam detrahi, existimet. Hæreticorum istæ sunt opinationes Catholicæ Ecclesiæ sensum impiè semper criminantium, distorquentiumque, qui sanè non tam verbis reuinci, quàm vinculis pęnisque castigari coercerique debent. Sed ita statuat sacrificium vni fieri Deo, vni immolari, vni offerri, vni gratias agi, pro eo etiam ac sanctos ipsos, beatitudine, atque immortalitate dignetur. Sic enim Sacerdos diuinæ rei mysteria inchoãs profatur. Suscipe sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo viuo, & vero. Et, Offerimus tibi Domine calicem salutaris. Nulla hic mentio sancti, cui sacrificij victima immoletur, & offeratur, quippe non Petro, non Paulo, non vlli alteri quàm vni Deo viuo, & vero hic cultus honorque tribuitur. Sanctorum, qui cum Chisto regnant, opem in id modo imploramus, vt suas pro nobis apud Deum preces interponant, nostramque indignitatem sua deprecatione iuuent, & pro nobis intercedere dignẽtur in cęlis, quorum memoriam facimus in terris.

*De Missa Beatæ Mariæ Virginis.* Cap. 321.

VT suus in sacrificijs honos Beatissimę Virgini Dei Matri habeatur, volum' vt omnibus Sabbati diebus de sanctissima illa humani generis aduocata missa celebretur, in omnibus nostræ diœcesis Ecclesijs, nisi in eam diem statum aliquod ac solemne sacrificium, aut commune omnium, aut Ecclesiæ illius proprium incideret, quod omitti aut differri non deberet; ac tum quoque eius cōmemorationem fieri iubemus, nisi aliquod obstet iustum Ecclesiæ institutum: vehemēter enim cupimus Ecclesiæ nostræ populis benignissimā matrē in præci puo cultu haberi, & oībus illam maximē patronam, deprecatricemq; adoptari.

*De Missis Mortuorum.* Cap. 322.

EX illo a Iesu Christo Domino in cruce peracto sacrificio cruoris ac vulnerū pleno, ex eiusque indignis, im manibusq; cruciatibus, quēis salutis rationem humano generi peperit, tantum fructus meritique in hoc sanguinis expers sacrificium manat; vt satis non pro immolantium solum, atque adeo fidelium omnium peccatis facere possit, sed ijs etiam prodesse, qui hinc ad aliam vitā in Domino demigrarunt; quorum nondum abstersæ maculæ, atq; expiatæ animæ purgatorio igne sint. Qui igitur Ecclesiasticum beneficium obtinet, cui adiunctā lex onusque sit, totum per annum certis diebus sacrificium faciendi, is saltem mensibus singulis, nisi frequentius ex lege ipsā debeat, Missam quæ mortuorū dicitur, celebret, Deumque pro ijs adoret, qui aut constituerunt illud beneficium, aut ei legarunt aliquid, donaruntque; vt diuini sacrificij vi Deo illis propitiato, eorum animæ non nihil purgatorij ignis pęna incendioque leuentur.

*De sanctorum cultu, quorum reliquiæ in Ecclesia habentur.* Cap. 323.

IN qua Ecclesia, aut corpus, aut caput, aut magna pars reliquiarum sancti alicuius debita cum veneratione, atque cultu habetur, quo maior illi sancto honor pro eius merito tribuatur, & eum populus deprecatorem sibi patronumq; apud Deum adoptet, volumus, vt ea in Ecclesia vbi ipsæ asseruantur reliquiæ, nō autem in alijs, officium duplex ex Romani Breuiarij ratione, quotannis recurrente sancti illius mortis die celebretur; si tamen nos ante ipsas reliquias recognouerimus, atque ita fieri iusserimus.

*Sacerdos vt se ad piè sacrificandum comparare debet.* Cap. 324.

IN cuiusque Ecclesiæ sactario, seu sacristia, remoto, atque abdito loco, cellulā ædificari placet, in qua ligneum scabellum collocetur, ita aptum, vt & genua in inferiori gradu eius cōmodè ponantur, & in superiori qui adorādi causa genibus stat, cubitis item cōmodè niti possit. Supra scabellum, aut picta, aut

formis

formis expressa imago Iesu Christi cruci affixi appendatur, aut glutino parieti applicetur, & circum eam variæ precationes, maximè omnes piæ, & ad commouendos ad religionem animos, & ad cœlum erigendos, veniamque à Deo poscendã compositæ, habeantur. Huc singuli Sacerdotes, postquam Confessione, si quid residebat in conscientia sordium, abluerint, cùm sacra facturi sunt, prius secedant, atque ibi Deum piè venerari, pijsque fusis precibus, paulum in contemplatione ipsius sacrificij, quod mox oblaturi sunt, immorentur, vt ita, composito ad religionem animo, & diuino numine propitiato, diuinam inde rem maiori suo, aliorumque fructu peragant.

### *Non nulla, quæ sacerdoti sacrificaturo meditanda videntur.*

### *Cap. 325.*

ET si sua cuique pietas quò attollenda cogitatio, quę agitanda animo sint rem diuinam facturo facile subijciet, tamen nos pauca excerpta e multis in hũc locum conferre haud inutile fore tam sanctum munus pie recteq; obire cupienti duximus. Ac primò secum reputet Sacerdos, quanto eum honore Deus dignetur, quem ad illam Hostiam contrectandam sacrificandamque elegit, qua ipse Deus continetur. Deinde ab Ecclesia interpretem se inter Deum & homines, atque internuncium constitutum cogitet; vt suis eum precibus placatum, propitiumque hominibus reddat; non viuis tantùm, sed etiam his, qui functi iam vita sunt. Atque hanc veluti legationem pro vniuersa ab se Ecclesia susceptam, quàm studioso, quàm puro, quanta pietate ac religione perstricto animo exequi debeat, ex ipsius muneris magnitudine facile intelliget. Si enim cùm priuatim ad Deum precandum adimus, animum ante componere admonemur, ne illudere illi, illumuè tentare videamur; certè tum multo maiori religione affectos esse nos decet, cùm publicè adoraturi eum, & pro ipsa ei supplicaturi Ecclesia sumus. Cuius Ecclesiæ in eo pręterea ministrũ se esse Sacerdos meminerit, vt Deo mundi, ac rerum omnium conditori, bonorumque omnium datori, eum seruitutis, & obsequij, & vt Theologi loquuntur, latriæ cultum exhibeat, qui vni illi ac præterea nemini, debetur. Cuius quidem cultus duplex ratio est. Altera, qua intimis animis ei summam tribuimus fidem, in eo summam spẽ ponimus, eum summa pietate diligimus, eidem laudes gratesque ferimus, ei deniq; nos nostraque humiliter subijcimus; altera qua externo ritu, ac cæremonia, & quibusdam corporis quoque gestibus, actioneque eum veneramur, atque adoramus. Quod persæpe inter sacrificandum Sacerdos facit, modò genua summittens, modò pectus pulsans, modò manus tendens, modò oculos tollens, modò demittens. Quæ quidem externi cultus disciplina, non solùm intimum sacerdotis animum religione incensum indicat; sed alios etiam ad similem pietatis affectum commouet, atque incitat. At in eo vel maximè Sacerdotis cogitatio versetur, suis manibus, suo ministerio idèm ipsum perfici sacrificium, idem tractari mysterium, quod summus Sacerdos Christus Dñs in cruce, tanta ignominia,

tot contumelijs, tot plagis, tot cruciatibus pro nostra salute affectus, peregit. Et quod ne supernis quidem spiritibus Angelisque concessum est, id sibi tributum esse, vt panem & vinum in corpus, & sanguinem Christi mutet. Quod cum facit, ipsos ad rem celebrandam, & cum admiratione, ac veneratione spectandam adesse Angelos, veteres patres litteris prodidere. Quarum ab se rerum memoriam non mente solùm recoli, sed & vestitu, & actione referri. Nullus enim in illo sacrificio actus, nullus cultus, nullus ritus, nulla externa cærimonia adhibetur, quæ non aliquam Passionis Christi significationem habeat. Postremò illud quoque meditetur, eam ipsam hostiam, quam Deo Christi Domini vicem sustinens immolauit, ab se esse per os in stomacum demittendam, suumque corpus Dei mox receptaculum futurum. Quas res, atque alias, quas ipsa meditatio suppeditabit, mente reuoluens sacerdos, facere non poterit, quin iusto Dei timore concutiatur, magnaque animus religione repleatur, ac vberrimos inde fructus percipiat.

*De sacerdotis sacrificaturi habitu, & curatione corporis.* Cap. 326.

POSTQVAM Sacerdos sacra se confessione expiauerit, & in Sacristiæ secessu quem diximus, sancta meditatione animum ab terrenis rebus auocatam, ad cœlestium cogitationem erexerit, corporis quoque curam habebit, vt animi integritati, ac religioni, cultu, ac munditia respondeat. Vestes habeat nullis maculis respersas, nullis sordibus fœdas, non scissas, non detritas, obsoletasque, sed integras, excussas, ac detersas, ne puluis eas, neve aliud inquinet. Ad talos dimittantur, eaque sint forma, quæ maxime sacerdotem deceat. Manibus sit bene lotis, sectis vnguibus, aut certe ab omni sorde purgatis; calceos ne lutulentos ferat, ac si forte cœnosa incessit via, aut ijs depositis induat crepidas, quarum aliquam semper esse in sacristia copiam volumus, aut calceos bene tergat; dedecet enim sacris operantem pedibus cœno illitis conspici; quo magis damnandus quorundam irreligiosus mos est, qui ocreati ac ne calcaribus quidem depositis, statim aduenientes, non detersis vestibus, non lotis manibus, non composito animo, sacra vestimenta arripiunt, & ab equo ad altare conscendunt. Ab tam indecora festinatione, atque ab hac sacrorum rituum quasi contemptione, magnopere cauere sacerdotes nostros iubemus. Vnusquisque tonsuram in medio capite, rotundo ambitu, iusta magnitudine abrasam gerat, quam saltem quinto decimo quoque die renouet; Barbam, aut radat penitus, aut vndique tondeat, & maxime superioris labri pilos præcidat, & ab ore remoueat. A quorundam adolescentium leuitate ac more, qui abrasis genis reliquam promittunt barbam, longe sacerdotis grauitas absit: crines quoque mane pectat, fricet, abstergatque diligenter, ne sacrificanti furfuris, aut excrementi aliquid e capite in altare, atque adeo in linteum corporale decidat.

De

*De pœnitentiæ Sacramento à Sacerdote ante sacrificium suscipiendo.*

*Cap.* 327.

ET Concilium Tridentinum præcepit, & rei ipsius sanctitas postulat, vt Sacerdos, si alicuius mortiferi peccati conscius sibi fuerit, ad diuinum sacrificium faciendum admouere manus ne audeat, nisi priùs se sacræ Confessionis, & pœnitentiæ Sacramento ritè procurauerit, vt cæleste illud munus aliter quàm manibus puris, & animo ab omni peccati labe purgato, ne tractetur. Neque verò quantumuis contritus sibi videatur, hoc confitendi institutum præceptumque omittat, nam neque contritio illi suffecerit, si Confessionem sponte relinquat, & præterquam quod iudiciũ inde sibi manducabit, ac bibet, quod horrere sanè omnes debent, à nobis quoq; perinde ac meritus erit punietur, nisi fortè illi Sacerdotis, cui confiteretur, facultas deesset, & agendæ rei tempus necessitasq; vrgeret, vt differri nullo modo posset. Nam sic quidẽ sat fuerit contritionem animo concepisse, & constitutam confitendi voluntatem induisse; quam inde simul ac data copia Confessoris erit, exequi protinus debebit. Sed nos Sacerdotes oẽs, & maximè Parochos magnopere hortamur, eam sibi consuetudinẽ faciant, vt saltem sęptimo quoq; die Confessoris aures adeant, aiumq; culpæ omnis cõscientia liberẽt.

*De Matutinis precibus ante sacrificium recitandis.*

*Cap.* 328.

ATQVE ea quidem, quæ sacrificaturo Sacerdoti meditanda breuiter attigimus, nos pro salubri, atq; vtili, & magnum spiritualem fructum, si rectè vtatur, habituro consilio illi attulimus, illud etiam necessariò tenendum præcipitur; ne ante sacrificij faciendi causa ad altare Sacerdos adeat, quàm matutinarum horarum preces peroràuerit, quibus Primam quoq; vt adijciat eum hortamur, sapientissimè enim id est ab Ecclesia institutum, ne vnquam Sacerdos diuinæ rei faciendæ admoueat manus, quin prius Deum iusta aliqua precatione placauerit, animumq; aliqua religiosa actione composuerit, præparaueritque.

*De Sacrificio non nisi à ieiunis faciendo.*

*Cap.* 329.

NEMINEM quidem arbitramur Sacerdotem, tam irreligiosum, ac tam profligatæ audaciæ esse, qui aliter quàm ieiunus ad Sacrificandum accedat; sanctoque ea de re Ecclesiæ præcepto non pareat; nam præter graue mortiferi delicti culpam, quã sustineret, cuius Deo reddenda illi ratio esset, à nobis quoque tam contumax facinus seuera animaduersione vindicaretur. Ieiunus autem is dicitur, qui à media nocte eius, qui antecessit, diei, nihil penitus edit, aut bibit, ne medicinæ quidem, ac valetudinis causa. Quod propterea monuimus, vt Sacerdotes nocturna conuiuia, & cõmessationes vitent, quas quidẽ sæpe

magna intemperantia in multam noctem producunt. Nam præter periculum, ne dimidia noctis pars, non aduertentibus elabatur, ieiunijq; inde lex violetur, etiam animum illa conuiuiorum in risum, iocosque, & vinum effusa hilaritas, immodicaq; licentia, plus æquo remittit, ac dissoluit. Quod à Sacerdotis moderatione, ac modestia longe debet abesse. Quod si fortè quis aliquando has cœnas obierit, postera sanè die à faciendo sacrificio prorsus abstinebit, spatiumque ad nimium cibi viníque onus concoquendum, animumque ab illa remissione, ac dissolutione, recipiendum, colligendumque sibi sumet.

*De quibusdam sacrificij impedimentis, ad quæ aduertere Sacerdos debet. Cap. 330.*

ADVERTERE Sacerdos animum debebit antequã sacrificium ineat, ne quod ei rei obiectum impedimentũ sit, siue Canonum iure, siue Pontificum Maximorum iussis, siue Concilij consultis; videlicet ne Sacerdotum ordini, ne loco, ne sibimet ipsi interdictum sacrificio sit; ne ædes ipsa poluta, violataque, siue in qua sacrificari nisi de nostra, aut Vicarij nostri volũtate non liceat, item ne non consecrata sit, ne oratorium non visum à nobis, & in quo sacrificari non permiserimus, ne nisi concessu nostro, in altari in quo nos ipsi, ea die sacrum fecerimus; Postremò ne in æde in qua sacrificaturus est, atque adeo ipsi sacrificio aliquis publicè ac nominatim excommunicatus presens intersit, qui propter hominis contumaciam, violentiã, potentiam, expelli inde non queat.

*De Libro inspiciendo. Cap. 331.*

OMNIBVS igitur sacris ornatibus conuestitus Sacerdos, cultusque, librũ Missarum adibit, eoq; aperto, quæ ad altare recitaturus erit, inspiciet prius perlegetque omnia; & patua lora, quæ serica Missarum libri ferè habẽt, signaculaque dicuntur, paginis ex suo vsu interijciet, locaque signabit, vt ea cum rei diuinæ operabitur, conquirere necesse non habeat, sed prouisa illi promptaque omnia sint.

*De Calice preparando. Cap. 332.*

CALICEM Sacerdos antequam ad sacrum exeat viset, eumque purificatorio intrinsecus diligenter exterget. Post purificatorium ipsum demore complicatum ita Calicis ori superiaceit, vt vtrinque apte, & æqualiter dependeat. Huic imponet Patenam, in Patena hostiam locabit, lectam prius inspectamque, & summis digitis pollice, atque indice vndique leuiter defricatam, vt si qua fortè minuta aliarum Hostiarum fragmenta ei adhæsissent, ea detergantur. Hostiam Palla teget, superque Velum explicabit quo latè vndique fluente totus

Calix

Calix contegatur. Tum velo sacculum sericum seu Bursam imponet, qua corporale custoditur, & postremò purum plicatumq; sudariolum, quo lotas in altari manus siccet, transuersum superinijciet.

*De Sacris vestimentis induendis.*

*Cap.* 333.

SACERDOS vbi animum, vt ostendimus, ad tam sanctum sacrificium in Sacristiæ secessu ritè composuerit, exurgat, lauet, ac linteo siccet manus, nam & linteum, & aqua in vase rei accomodato in sacrario mane semper habebitur. Atque hoc facto sacras induat vestes, statutam ad singulas precantiunculam religiosè pronuncians. Vestes quàm maximè congruenter decoreque corpori aptet. Albam si longior fuerit ita circum à cingulo colliget, contrahetque, vt nihil inæquale vllam in partem propendeat, sed eius ora vndiq; æqualiter demissa fluat, terramque rádat, non tangat, nullum denique vestimentum nō concinne, ac decenter componatur, corporique eleganter accōmodetur. Hæc enim externi, & sacrificantis proprij ornàtus disciplina studiose obseruata, non solùm intimam Sacerdotis religionem indicat, sed spectantibus quoque, & diuinæ rei operam dantibus quandam eius venerationem incutit, & eos ad similem pietatis affectum incitat.

*De Sacerdote sacris vestimentis induto.*

*Cap.* 334.

OMNIBVS vt ostensum est comparatis, si quid fortè Sacerdotis egressum moretur, quod accidere interdum solet, illud omne tempus precando, meditandoque absumet; ac super mensam cubitis nixus, manus oculis apponet, ne cuius rei aspectus eum ab intima diuinarum rerum contemplatione auertat. Neque verò tum illum quisquam affari, aut omnino re, vel verbo interpellare audeat. At verò si quis adeo contemptor omnis disciplinæ, adeoque irreligiosus fuerit, vt in sacro illo ornatu non solùm defixam cogitationem diuini sacrificij mysterijs non habeat, sed ne profanis quidem eo tempore sermonibus, iocisq; temperet, atque adeo etiam Sacristia, & ipsa interdum Ecclesia exire, ac vel cū Puero moram faciente iurgare, vel alias tractare res non vereatur, is à nobis ea seueritate punietur, quam tanta deprauatio omnis Ecclesiastici moris, & animus religionis, & sacrarum cerimoniarum tam parum colens, cōmeritus videbitur.

*De Sacerdote ad celebrandum exeunte.*

*Cap.* 335.

EGRESSVRVS demum è Sacristia ad sacrificandum Sacerdos, Calicem vt supra docuimus compositum, sinistra manu ad nodum, qui medius inter

cum sacrificare instituit, sacerdotalemque ornatum induit, aut cùm Sacristia exiit, aut cùm ad Altare adijt, aut omnino postquam celebrandi consilium cæpit, eo animo cępisse, vt suetam iustamque consecrationem adhiberet; licèt postea id ei exciderit, ac tum quoque cum consecrat, animus ab ea cogitatione aberrarit. Sed nos Sacerdotes nostros magnopere in Domino hortamur, vt tum maximè ad id adijciant animum, cùm patraturi consecrationem sunt, tumque maximè se colligant, maximeq; cogitationem ab omnibus alijs rebus abductam, huc intendant.

### De Missæ initio. Cap. 338.

CVM Altare Sacerdos attigerit, & Calicem posuerit, & librum, vt tradidimus inspexerit, opperiendi causa quemquam cuiusuis dignitatis ille sit, moram vllam exordiendo sacrificio sibi ne faciet. Capto autem exordio, nec alloquatur quemquam, nec audiat, sed vni negotio, quod agit, animo corporeque intentus, ne oculos quidem vsquã aliò auertat, ne venerandi quidem gratia diuinam Hostiam, quam alius Sacerdos proximo ab altari tolleret; multo minus cæpti sacrificij cursum cuiusquam interuentu, rogatuque interrumpet, sed protinus sine vlla interpellatione rem peraget. Quod si, quæ hominum arrogantia est, audeat quisquam sacrificantem imperio minisvè adigere, vt ad altare consistens sacri incipiendi tempus differat, aut cęptum abrumpat, aliquem opperiendi causa; is si Clericus fuerit, Ecclesiastico beneficio, si quod habet, priuetur, si non habet ne habere quidem per quinquennium possit; si laicus, eum statim re ipsa excommunicatum esse decernimus. Sacerdoti id quoque curæ sit, quod ipsum Tridentinum Concilium monuit, ne ante initium Missę capiat, quàm circumstantes aduerterit se ita composuisse, vt adesse animis ac diuinæ rei intendere, credi possint.

### De concludendæ Missæ ratione. Cap. 339.

IN tota sacrificij actione secundum Religionem, nulla sacerdotem laus magis commendauerit, quàm actionis ipsius grauitas, & penitus rei intentus animus. Itaque cauere magnopere debebit, ne in prauum quorundam morem incidat, qui peracto sacrificio, ac data populo benedictione, quasi tædio tam sancti negotij ita intempestiuo properandi, atq; temporis anticipandi studio aguntur, vt dum Ioannis initium Euangelij recitant, vasa colligere, lintea complicare, aliaque prævertere contendant, quæ eo demum recitato agenda essent; Quæ incondita festinatio, cùm valde a sacerdotali decore, ac maiestate diuinæ rei, cui operantur abhorreat, eam magnopere vitari a Sacerdotibus nostris iubemus, nec agere quicquam, aut admouere vlli rei manus, dum Euangelij verba, quibus & attentio, & reuerentia summa debetur, pronuntiant, vt quàm in sacrificio inci-

 piendo

piendo pietatem protulerunt, eandem etiam in finiendo retinere videantur.

*De clericis sacrificio ministrantibus.* Cap. 340.

IN Ecclesiastica reordinanda haud postrema cura Adolescentium illorum esse debet, qui sacerdotibus sacra facientibus ministrant; tum quia ad diuinum cultum ritè, probeque habendum plurimum in eorum disciplina esse situm videtur, tum quia qualis horum institutio fuerit, tales ipsi fere expectandi sacerdotes erunt; cùm isti per omnes ordinum gradus succrescentes, ad ipsum vsq; sacerdotium efferri, si mereantur, & soleant, & debeant. Verùm nos de educandis ijs, eaque disciplina instruendis, quæ Ecclesiæ decere alumnos videtur, suo loco, vt speramus, adiuuante Domino tradenus. Nunc quidem quæ sacrificanti sacerdoti præstare officia debent, quàm breuissime expediemus.

*De dignitate clericorum diuino sacrificio ministrantium,* Cap. 341.

NOLVMVS ipsos Adolescentes sacerdotibus sacra procurantibus ministros additos, existimare humili se ac ignobili addictos muneri esse, quòd eorum nullæ in diuino sacrificio, nisi alterius operi subseruiendi, partes sint. Nam præter quam quod ætatis illius præcipua in seniorum iussis obedienter exequendis commendatio est, an eius ministerij pudeat quemquàm, cuius socios Angelos habeat, quos huic sacrificio cum summa admiratione, ac veneratione adsistere doctissimi ac sanctissimi viri memoriæ prodiderunt? Et cuius virtutis specimine eorum spectati indolem malint, quàm his pietatis ac religionis officijs pie ac religiose obeundis? Quæ vitæ quæ dignitatis fundamenta sibi firmiora, stabilioraque statuant, quàm ex ea disciplina primæ ætatis approbationem petere, cuius cum laude nulla conferri humana laus potest? Itaque tam ipsi, quàm parentes eorum adniti omni studio debent, vt tam pio muneri cum morum ac religionis indole, tum operæ assiduitate, atque diligentia satisfaciant.

*De clericorum ordine atque habitu.* Cap. 342.

QVO Adolescentes in diuino sacrificio sacerdoti ministrantes, rite fungi eo, aliisque in Ecclesia muneribus possint, initiati Acolitorum esse gradu debent, aut certe in aditu eius adipiscendi, primaque tonsura. Neque vero altari ministret, cuius in capite tonsura non conspiciatur; quam quisque quintodecimo quoque die renouabit. Clericali quoque bireto caput extra Ecclesiam tegant, & clericali ornatu omnes vestiantur. Vestis saltem infra suras demittatur, nec alio quàm nigro colore. Supra tunicam non pallio amiciantur, sed longiore toga, cuius manichę vestem longitudine æquent, & vtrinque decenter dependeant. Toga ipsa paruis vncis aptè collo reuinciatur. Huic cum

in

in Ecclesia versantur, superinduant Cottam, hæc linea sit laxa manicataque, vt est vsus, non scissa, non lacera, obsoletave, non verò sordibus vllis inquinata, sed pura, mundaque; ac proinde sæpe lotura purgetur. Induti Cotta pedem Ecclesiæ ianua ne efferant, lineæ interioris tunicæ seu Camiciæ pars, quæ circa collum eminet, & ex eo collare dicitur, superiorem circum vestem decenter reclinetur. Minime autem rugata crispataque sit, vt eo quoque clericus a seculari discernatur.

*De Clericorum munditia.* Cap. 343.

NIHIL Clericum sacrorumque ministrum, & cui altari ac diuino sacrificio nauare operam conceditur, dedecet magis, quàm sordes, siue illæ vestium, siue corporis sint. Proinde non ipsos solum pueros, sed parentes eorum monemus, magnæ vt hanc rem curæ habeant. Tondeant sæpe crines, ne longo atque impexo capillo in Ecclesia versentur; manus a turpium, ac sordidarum rerum tractatione, operibusque suo ordine alienis abstineant; eas cotidie sæpe lauent; etiam eminentes digitis vngues secent; Ne cottam induant vnquam, quin manus prius in sacristia aqua diligenter confricatas terserint. Quis enim illotis, ac turpibus manibus, scabris, & nigrantibus vnguibus, attrectantem sacras vestes, & sacrificanti sacerdoti ministrantem clericum ferat? Calceos quoque mundos, & pedibus aptè hærentes, & suo vinculo rectè constrictos, habeant. Quorum enim oculos ministrantis altari lutulenti, soluti, fractique calcei, & e quibus interdum resiliant fracta tibialia, caligævè, non offendant? Nos autem tanti hanc esse clericorum munditiam arbitramur, vt nō ipsorum modò ignauiam plecti, sed Sacristam, qui tulerit, & sacerdotem ipsum qui sordidatum clericum sacrificij ministrum adhibuerit, castigari arbitrio nostro velimus. Denique Clerici diuino addicti cultui, non animi solùm integritati, sed etiam corporis decenti munditiæ studeant. Raro enim puro elegantique animo sit, quem sua illuuies, & squalor non pudore confundat.

*De quibusdam Clerico magnopere tenendis magnopereque vitandis.* Cap. 344.

CLERICVS per Ecclesiam non nisi modeste, ac suo negotio intentus incedat, inconditam festinationem, quæ leuitatem arguit, vitet; sine necessaria causa ne vagetur. Minime verò nunc huc, nunc illuc elato capite discurrat, volitetque, modò hunc alloquens, modo illum appellans, quod non leuitatem solùm, sed etiam impudentiam atque petulantiam habet: quæ quidem adeò a clericali modestia, ac pudore abhorret, vt illum nos nisi admonitus se penitus correxerit, Ecclesia plane eiecturi simus: quam enim de Adolescente, dempta verecundia, spem habeas? Quoties ante sanctissimum Sacramentum, vel ante altare maximum transit, versus ad illud dextero genu ad terram dato, veneretur, idem ad Altare, in quo ministrat, faciat, idque non properans, & nihil aduertens,

& quasi ex sola consuetudine, non sacrorum reuerentia, sed composite, ac sedatè, sic vt ab religione animi ille prodire cultus videatur. Cùm ad Sacerdotem, aut vestimenta oblaturus, aut ampullas exhibiturus, aut aquam manibus daturus, aut aliam præstaturus operam accedet, eum semper demissa inclinatione capitis honorabit; sacerdotem ad altare euntem redeuntemq, ipse cum libro semper antecedet. Per consertum populum transeunti turbam modestè summouebit. Chirotecas manibus, neque induet, neque gestabit, ac ne hieme quidem pelliceam manicam, in quam frigoris arcendi causa manus inseruntur. Dum sacerdos ad Altare sacrificat, si quid alienum eo & loco, & tempore fieri aduertet, vt si quos colloquentes, aut stantes, præterquam cum Euangelium recitatur, cerneret, eos vt genua ponant, sileantque admonebit. Quod tamen ea humilitate, atque modestia aget, illi vt ęgre ferre ne possint: cauebit verò ne quem vllo acriori verbo appellet, increpetuè, quod neque locum, neque ætatem eius decet. At si quem adesse viderit publice excommunicatum, non dubitanter eum facessere inde iubebit; quod si ille nõ paruerit, sacerdotẽ, si Canonẽ nondũ cœperit, admonebit, vt sacrificio, donec ille abscesserit, abstineat; aut si opus esse intellexerit, rem ad eum qui Ecclesiæ præest, deferet. Si Altare vbi ministrat cancellos habeat neminem intrare eos patietur; si non habeat, ne quis ad Altaris gradum propius, quàm par est, accedat, curabit; maxime verò fęminas cuiuscunque ętatis dignitatisque sint, extra cancellos, atque ab Altari summouebit. Ipse vero nudo capite, inferiori altaris gradu, non eodem, quo sacerdos, sed contrario semper latere, vtroque nitetur genu. Manus aut iunctas tendet, aut demissas infra pectus alteræ alteram supponet, aut ipsis interiectas brachijs ita habebit, vt etiam positu corporis modestiam, atque religionem præferat. Non canonicas tum horas, non vllas leget recitabituè preces; sed intentas aures, animumque sacrificio præbebit; & ad omnia quæ sacrificanti debet officia præsto aderit. Quidam qui oculos, atque adeo etiam corpus nunc in hanc, nunc in illam versantes partem, nunquam, neque capite, neque manibus, neque pedibus consistunt, ipsamque operàm aut perperam, aut magna cum negligentia, & incuria, & sępe aspectum aliò auertentes nauant, si semel, iterumque correpti, contumaces fuerint, grauiter punientur, ac si corrigi non facile videbuntur posse, etiam Ecclesia eijcientur.

*De Altari a Clerico præparando.* *Cap. 345.*

ANtequam Sacerdos ad sacrificandum prodeat, clerici diligentiæ erit altare inspicere, & omnibus rebus præparare. Videbit vt ternis mantilibus tegatur, quorum superius vtiq; mundum purumque sit, ac si quid in eo pulueris sordiumque inuenerit, diligenter deuerret. Vt singula vtroque in cornu candelabra, & inter illa mediam crucem habeat. Eò vrceolos aqua, vinoque plenos, suis tum operculis, vnàque peluiculam, deferet, item funale, emunctorium, extinctorium, & candelas duas, & tintinabulum. Quæ omnia vbi suo quidque loco deposuerit ad sacristiam redibit.

Quæ

*Quæ præparanda Clerico erunt si Episcopus Missæ intersit.*
*Cap.* 346.

SI fortè Episcopus priuatim interesse sacro voluerit, qui illi cultus adhibendus sit ignorare Clericum non decet. Præter illa igitur, quæ supra demonstrauimus, paratam habebit imagunculam illam, plerumque argenteam, quæ ab vsu, atque argumento, pax appellatur; & prçterea Velum vel sericum, vel lineum, quò tam ipsa imago quam Euangelium, cùm ex libro osculo attingendũ Episcopo offertur, prius non nihil tegi ab offerente solet. Ad hæc scabellum ante Altare contra Euangelij cornu locari debebit, in quo genua ponere, & cubitis niti Episcopus possit; ipsumque scabellum tapete, aut stragulo alio serico laneoue sterni, & puluinos duos superiacere, alterum quo genibus, alterum quo cubitis nitatur.

*De opera a Clerico, vestiendo Sacerdoti, nauanda. Cap.* 347.

SIC igitur præparato, instructoque Altari, Clericus in Sacristiam redibit, manusque iterum lauabit, vt si quid eis sordium ex illarum rerum conrrectatione forte hæsisset, aqua abluatur. Ac deinde promptis sacerdotalibus vestimentis, ea in mensam, aut armarium, aut altare, vbi vestiendus Sacerdos erit, explicabit. Primò Planetam seu Casulam, cuius posteriorem partem contrahet, anteriorem pendere sinet. Super ea stolam, manipulumque, & cingulum, inde Camicium, siue Albam, cuius item posteriorem partem colliget, quò commodius Sacerdotis capiti induatur, ac super eam Amictum. Hæc omnia contrariò deinceps ordine Sacerdoti porriget, vt primò Amictum; postmodum Albam, quàm magna diligentia corpori aptabit, longiores manicas à summis lacertis ad scapulas colliget, extremaque ora vt vndique æqualiter fluat, terramque radat potius quàm attingat, curabit. A tergo inde Cingulũ præbebit, mox Stolam, post Manipulum, postremò Casulam seu Planetam, atque singula semper manu vtraque porriget. Collum vt amictu conuestiatur, nihilque linei Sacerdotis collaris extet, appareatque, aduertet; omnia denique cum cura corpori aptabit, vt concinnè, decoreque congruere, atque consentire videantur. Totoq; hoc officio non studiosè solùm, sed magna cum modestia, & erga Sacerdotem reuerentia, defungetur.

*De Clerico cum Sacerdote ad sacrum exeunte. Cap.* 348.

SACERDOTE demum, suo omni ornatu vestito studioseque culto, Clericus sublatum Missarum librum, & puluinum, sinistro brachio ac pectore sustinens secum feret solos, nec præterea aliud quicquam, quando cætera præparata comportataque habere eum iussimus; Sacristiæ ostio exiens campana, quę huius rei causa, vt ad manus sit, proxime appensa habetur, signum Sacerdotis

ad sacrum prodeuntis dabit. Procedentemque inde eum, ipse capite aperto, oculis demissis, ne salutem quidem eum accipiens, aut reddens, anteibit, illiq; veluti apparebit, ac turbam, si fortè per confertam multitudinem transeundum sit, modestè summouebit; cùm vt Sacerdoti honor habeatur, tùm ne contactu, prę sertim pedum, illorum qui genibus stant, vestes eius inquinentur. Cùm ventū ad Altare erit, Clericus flexo genu crucem venerabitur, acceptumq; à Sacerdote Biretum, extra altare suo loco seponet, & nouum ad sacrificium conueniendi signum, vel proprio illius altaris, si habeat, vel ante a secalla to tintinabulo dabit; cōtinuoq; librum in Altari ad Epistolę latus, puluinari subiecto, collocabit; & cùm Sacerdos descensis gradibus rem inchoaturus erit, clericus ad sinistrum eius latus paulo quàm Sacerdos retractior, consistet, genibus non gradu super, sed in terra positis, in eoq; loco permanebit dum Sacerdos gradus ascendat; tum enim licebit clerico propius accedere, si gradus plures sint, non autem si vnus tantùm fuerit. Illud verò non deseret latus, donec Sacerdos Euangelium recitaturus eò transibit, tùm enim contrarium ipse latus petet. Illud quoque teneat, vt cum Sacerdos incipiens, In nomine patris &c. cruce se signat, idem ipse silentio faciat.

*De luminibus ad Altare extinguendis.* *Cap.* 349.

VT per omnia quantum licet munditiæ in Ecclesiarum cultu consulatur, funalia, candelas, luminaque alia à clerico ad altare ministrante, non in ipsa candelabra, non in terram versa, non impacta parieti, non oris spiritu, non denique digitis, quod visu quoque est horridum, extingui volumus, sed Pileolo operculoue illo tuneato, qui ex tenui lamina confectus, ita fastigiatur, vt os ab imo latum patulumque in acutum cacumen, & veluti cucullum desinat; qui inde patuis fibulis summæ virgæ bacilloue annexus, ardenti lumini quamuis altè posito, si rectè supernè imprimatur, statim complexu suo flammam simul fumūque ita obruit, vt nihil prorsus exhalet, atque ex ipsa re extinctorij nomen est nactus. Quorum item esse in Ecclesia copiam, ministris deesse ne possint, iubemus. Nam & multas videre licet Ecclesiæ partes, maximè circa ipsa altaria, fœdè denigratas, deturpatasque esse hac licentia extinguendi, & sæpe lumina sic extincta olidum in circumstantes fumi odorem spargunt. Clericus ergo non aliter funalium, atq; candelarum lumina, quàm extinctorio obruet, neque illud remouebit donec penitus opressus omnis ignis fumusque fuerit.

*Quæ agenda Clerico sint in fine Missæ.*
*Cap.* 350.

CAVEAT Clericus ne statim post impartitam à Sacerdote benedictionem, aut omnino prius quàm initium Ioannis Euangelij recitauerit biretum ei, quo caput tegat, porrigat, aut quicquam ex Altari amoueat, non librum tollat, non candelas extinguat, non aliud quicquā auferat, aut omnino tum agat,

ne

ne quasi colligens vasa alijs discedendi signum dare videatur. Sed animum euangelium pronuncianti aduertat, aduertendiq; exemplum alijs præbeat; quo demum absoluto biretum Sacerdoti reddat, lumina extinguat, ac libro puluino que recepto, eodem quo venerat modo, sacerdotem ab altari discedentem antecedat.

*De Crucibus rectè designandis.* Cap. 351.

NON alienum ab instituto nostro, neque non operæ pretium facturi videmur, si pauca quædam ad ipsam sacrificij rationem disciplinamq; pertinētia Sacerdotes nostros monuerimus, quæ teneri ab ijs magnopere cupimus. Ac primùm quidem, quia sæpius in Sacrificio crucis forma designatur, quippe facti in cruce à Christo ipso sacrificij mysteria, tota hac missæ actione maximè referuntur, errari in ijs ducendis, formandisque crucibus, à sacerdotibus nostris sanè nollemus. Cùm igitur se sacerdos cruce signat, eam dextra manu extensa, digitis iunctis, pollice quoque presso, & indici hærente, palma in se ipsum versa, à fronte ad imum pectus, & à sinistro humero ad dextram ducat. Cùm autem non se ipsum, sed hostias, aut quid aliud signat, id manu pariter porrecta extensaque, ac digitis pariter iunctis agat, & digitorum minimum semper ad ea, quæ signantur, directum habeat, præterquàm cum Euangelium est recitaturus; nam tùm quidem ipsum euangelium, seque in fronte, in ore, in pectore dextræ manus pollice signat. Cruces cum facit, non manum veluti punctim iaciat, non rursus vt cæsim vibret, non, quasi quatuor puncta figat, sed gemino æqualique ductu recto altero, altero transuerso peragat, in neutro flexa, sed extenta in vtroque manu. Non tanta celeritate vt orbes facere, non adeo lentè, vt pannicillo lineas ducere videatur; nec vnquam cùm se signat, perfecta vt tradidimus cruce, dextrá, quod quidam perperam faciunt, os attingat; sed statim cùm sinistra iunctam ante pectus tendat. Sinistram verò manum dum se ipsum signat, similiter iunctam medio pectori admoueat, item dum populo benedicit. At dum signat hostias sinistro corporalis latere, non tamen ipso super corporali, in Altaris plano ponat.

*De varia manuum in Missa actione.* Cap. 352.

VARIE manus in sacrificio aguntur; nam nunc ab inclinato Sacerdote iunguntur, nunc ab erecto diductæ panduntur; sæpe ipsa super Ara ad vtrumque corporalis latus positas, interdum patentis libri extremis vtrinq; marginibus nixas cernes. Aliquando supra calicem hostiamque non palmis, sed indicibus iunctæ, extenduntur, diu etiam singularum pollices, atque indices inter se summis iuncti digitis, habentur.

*De manibus iunctis. Cap. 353.*

HAS actiones sic ex præscripto Sacerdos variabit, vt nihil perperam, sed rectè, scitèque omnia peragat. Cùm manus iungit, palmã palmæ, digitos digitis, ita æqualiter applicet, vt nihil alius alio emineat, & tantũ pollicem dextrum sinistro superponat. Dum sic iunctas ante pectus habet, summos digitos semper ad locatam in Altari crucem dirigat. Ad populum nunquam non iunctis se vertat manibus, quas inde statim diducat, aperiatque, & continuo reponat, quod tamen non ocius quàm par sit faciat, ac illud quoque tum caueat, ne capite obstipo, sed recta ceruice sit, caueatque toto sacrificio ab omni absurdo, atque indecoro corporis, capitis, oris motu. Quoties precatione peracta ad communem illam precationum omnium clausulam peruenerit; Per Dominum nostrũ Iesum Christum: passas tum manus semper coniunget.

*De manibus passis. Cap. 354.*

CVM passas manus res postulabit, videat Sacerdos ne palmas altari ostendat, sed in se ipsas versas habeat. Non longius diducat quàm pectoris latitudo patet, non propius admoueat, non altius summo pectore tollat. Extensis coniunctisque digitis sint, & in Crucem directis; pollice etiam presso, & indici hærente. Cùm Epistolam legit demissas manus non (quod quidam ineptè faciunt) alteram alteræ superiaciat, sed vtrinque super libri margines exponat, tamdiuque ita habeat, donec & Epistolam ipsam, & quæ inter eam & Euangelium interijciuntur perlegerit. Cùm genua summittit, altaris oram vtraque teneat manu, item cùm altari ipsi osculum infert.

*De Pollicum atque Indicum coniunctione. Cap. 355.*

CONSECRATAM Hostiam, & continuò supra caput, vt à populo adoretur, sublatam, Sacerdos vbi deposuit, manus vtriusque pollices, atque indices, quibus Hostiam tollens tenuit, amplius nisi, post sumptum Sacramentum, lotos, non disiunget, præterquam cùm ipsa tractanda iterum Hostia erit. Nam siue vertenda libri pagina, medio ad id digito vtetur, siue tegendus palla calix, siue detegendus, siue ipse calix, aut patena in manus sumenda, omnia inter medium digitum, atque indicem iniecta comprehendet. Quoties autem contrectatam hostiam deposuit, scilicet cùm populo eam ostendit, cùm fregit, cùm edit, semper ipsos summos digitos super apertum calicem, leuiter inter se fricando detergat, vt si quid fortè minuti hostiæ fragmenti illis adhæsit, in calicem ipsum decidat.

### De osculatione Altaris. Cap. 356.

ALTARE, dum osculatur Sacerdos, quod sæpe inter sacrificandum facit, palmas vtrinque super ipsum exponat, mediumque spatij quod vtraque fuerit manu amplexus, osculo contingat. Id cùm facit neque corpus, neq; caput vllam in partem deflectat, sed vtrunque rectè demittens incliner; item locũ quò illaturus osculum est non ante cruce designet. Non corporale in quo Hostia deponitur, non Pallam qua Calix operitur, vt quidam non Romano ritu faciunt, sed altare ipsum osculetur.

### De inclinatione capitis. Cap. 357.

TRIPLICITER Sacerdos sacra veneratur; capite, corpore, genu. Caput non magnopere inclinare, sed modicè debet, corpus quoque decenter curuare, genu terram seu scabellum contingere; & quando demisse inclinare se iubetur, tum non caput solum, sed etiam corpus inflectet; at cùm de capite tantùm inclinando monetur, non vna corpus incuruabit, sed solũ inclinabit caput; ac tum ne dexterum quidem pedem retraher, quasi inclinationem capitis flexione genu subsequatur. Præter cætera, quoties in Iesu Christi mentionem incider, diuinum eius nomen semper inclinatione capitis venerabitur, eundem Vigini genitrici honorem tribuet.

### De flexione genuum. Cap. 358.

MVLTIFARIAM in Missa genu sacris honor habetur. Primò cum vtrumque summittitur, secundò cùm solùm dextrũ, manibus diductis, tertiò cum iunctis. Ac vtrunque quidem tùm ponitur genu, cum Sacerdos ad Altare, in quo sanctissima Eucharistia asseruatur, sacrificium est facturus; tum adueniens antequam gradus ascendat, vbi calice deposito, & libro præparato, remensisq; gradibus initium Missæ est facturus, tum iterum cũ Confessione peracta repetit altare, postremò peracto sacrificio abiens, in imo gradu genua ponit. Atque in hunc quidem modum Eucharistiam vtroq; genu adorans, iunctas semper tendet manus, præterquam cùm adit ad Altare, & cùm ab eo digreditur, quia tum impeditas Calice, quem defert, manus habet; At quam ipse immolat Hostiam crebro, sed vno semper genu, nec iunctis sed diductis manibus, & Altare, vt supra ostendemus, vtrinque tenentibus, veneratur. In quo hæc nostros Sacerdotes aduertere iubemus, non alterutrum, sed dexterum semper genu summitti, nec flecti tantùm illud debere, sed ita deijci vt terram, seu locum, quem Sacerdos pedibus premit, attingat. Postremò genu positurus Sacerdos non penitus se ab Altari remoueat, ægre vt tensis brachijs ad illud pertingat, sed nihil recedens decenter se demittat. Dextrum autem genu tantùm, iunctas tendens manus, Sacerdos quater ad altare flectit. Cùm in Epistola

illa legit verba. In nomine Iesu omne genu flectatur: cum illa in Euangelio Epiphaniç. Et procidentes adorauerunt eum; item ad illa; Et verbum caro factum est; & ad illa. Inclinato capite emisit spiritum. atque hic quidem non solùm genu in terra ponit, sed etiam eo nixus paulum silentio moratur. In alijs potius flectit valde genu, quàm ad terram vsque demittit. Nec tum ad crucem se aut sacramẽtum vertit, sed librum quem legit spectat, ab eiusque lectione non discedit.

*De pectoris pulsatione.* *Cap. 559.*

PVLSAT quoque pectus sibi in sacrificio sacerdos decies. Ter initio cùm se Deo reum fassus, suam agnoscit ac repetit culpam. Ter item cùm Agnũ Dei appellans misericordiam eius, pacemque implorat; totidem cum fractam tenens Hostiam, indignum se profitetur, qui eam recipiat; semel cùm post Deũ mortuorum animis propitiatum nobis quoque peccatoribus veniam poscit. Cum sibi summum dextera pulsat pectus, sinistra imo apponit, præterquã cùm, suam indignitatem accusat, quia tum sinistra Hostiam tenet; pulsatur autem non compresso pugno, non explicata palma, sed summis digitis ad id collectis. Post pulsatum pectus nunquam manum ori adijciat, quasi illud quoque ipsum pulset, quod quidam imperiti perperam faciunt.

*De lectione, & prenuntiatione.* *Cap. 560.*

QVÆDAM sacerdos necessariò mandare memoriæ debet, propterea quod alijs sacrificij officijs distentus, recitare ea ex libro non potest, vt cùm rem inchoans imis in gradibus altaris consistit; cùm nouies Chirie eleison repetit; cùm Euangelium recitaturus mũdari sibi a Deo cor poscit, cùm aquam vino miscens, conditorem eius precatur, vt qui nostram humanitatem suscepit, suam nobis diuinitatem impartiatur; cùm manus lauat, cùm conuertens se populum commendare Deo sacrificium iubet, cùm Calicem tollit, cũ Agnum Dei appellat, cùm fractam Hostiam tenens indignitatem suam agnoscit cùm ipsam Hostiam, & sanguinem sumit, cùm ijs sumptis summos pollices, atque indices abluit. Præter hæc, quæ admodum pauca breuiaque sunt, nihil sacerdos memoriter pronuntiare, sed omnia e libro petita legere debebit. Minime verò tum memoriæ suç fidet, cùm illa effanda erunt, in quibus omnis penè sacrificij vis est, quibus res diuina perficitur, panisque & vinum consecratur, ne quid in ijs erretur, quod sine magno piaculo non fieret; quæ tacitè ex disciplina leguntur; ea si secum exprimere nihilominus volet, ab alijs tamen exaudiri non debebit; & continens illud odiosumque in his quorundam murmur euitet; legentem nulla motio capitis, nulla actio, aut volutatio manuum, nullus corporis gestus deformet. studium autem ac diligentiam omnes sacerdotes adhibebunt, vt nè ineptè, neuè confusè, atque implicitè, sed commodè, scitè, distinctè legant. Vitent sanè in legendo molestam illam, & fractam, & quasi verba syllabatim

nectentem tarditatem, sed multo magis a contrario quorundam vitio absint, qui properandi studio ita feruntur, vt vorare, atque inuoluere, & veluti glomerare verba videantur; id enim præterquam quod intelligendi difficultatẽ magnã audientibus affert, etiam irreligiosi, & minime sancto negotio intenti animi suspicionem habet. Vox eorum non elata, & canora nimis, non contenta & concita sit, sed pressior, sonans grauiter, & veluti religiose, ac decore prodiens.

*De Orationibus seu collectis.* *Cap.* 361.

SI sacrificium non vnica erit oratione transigendum, detur opera vt earum dispar numerus sit, non pauciores tribus, non plures quinque. Quanquam duas quoque si officij ratio tulerit adhibere licebit. Prior illa semper pronuncietur, quę Missæ ipsius propria fuerit: deinde ordine aliæ. Votiuas vltimus semper habeat locus. Prima postremaque sueta concludantur clausula. Per Dominum nostrum: mediæ non item. Prima recitata, secundæ adijciatur: Oremus, alijs non item.

*De nouis Missis.* *Cap.* 362.

CVM quis in sacerdotij gradum ascitus sacrificandi munus primò est initurus, primamque Missam celebraturus, id nequaquam alio quàm pij, humilis, ac trementis animi apparatu suo aliorumque, qui ei aderunt, fieri ab illo volumus; conuiuia, ludos, inuitationes, lætosque cætus, stipis quoque, ac donorum collationes, aliaque quæ praua induxit licentia, aut auaritia inuexit, tolli prorsus abrogarique iubemus. Tubis cani, clangique huius rei causa, neque domi eius, neque in Ecclesia volumus, grauiterque a nobis mulctabitur qui secus fecisse compertus fuerit.

*De sacerdotibus nouis in sacrificij disciplina instituendis.* *Cap.* 363.

MAGISTRI cerimoniarum in primis officij munerisque erit, nouos sacerdotes in sacrificij disciplina ritibusque instituere, instruereque. Incessus, status, inclinationes, erectiones, conuersionesque, Crucium confectiones, manuum coniunctiones, diductionesque, Altaris osculationes, genuum summissiones, pectoris pulsationes, lectiones, precationes, Denique quæcunque aut actione, aut dictione, perficienda effandaque erunt, ita singula eos accurate exquisiteque docebit, vt illi scitè omnia decenterque, & cum ea, quam res postulat, grauitate obeant. Quòd si huic muneri sufficere Magistri cerimoniarum distentum alijs officij sui occupationibus; tempus, nequibit alij id sacerdotes, qui eius rei peritiores videbuntur, præstare non grauatè debebunt. Quos illud ante omnia aduertere, tenereque iubemus, vt neque his quæ Romanæ Ecclesiæ

clesiæ Missarum, atque rituum libro continentur, hilum adijciant, neque eorum quicquam omnino prætermittant. Volumus autem, vt cùm nouus Sacerdos singula edoctus, cuncta satis commodè obire videbitur, tum apud ipsum cerimoniarum Magistrum rem experiatur, suamque illi rationem probet, nec ante sacrificium faciat, quàm de eo cerimoniarum Magister ad nos retulerit, a nobisque permissum illi fuerit.

*De veste alijsque, quæ Sacrificio adhibentur.* *Cap.* 364.

VT hoc loco omnia persequamur, quæ ad diuinum Missæ sacrificium pertinet, cùm vestes omnes quibus Sacerdotem celebraturum indutum esse oportet, tum alia, quæ sacro adhibentur, præscribenda duximus: Sunt autē hęc.

Altare consecratum.
Altaris ligneus gradus.
Mappæ ternæ.
Pallium.
Tabella secretorum.
Crux.
Candelabra bina.
Candelæ binæ.
Emunctorium.
Extinctorium.
Funale.
Tintinabulum.
Clauus.
Amictus.
Alba.
Cingulum.
Stola.
Manipulus.
Planeta.
Calix.
Patena.
Corporale.
Saculus seu bursa.
Palla.
Purificatorium.
Velum Calicis.
Sudariolum.
Vrceoli.
Peluicula.
Missarum liber.
Libri integumentum.
Signacula.
Puluinus.

*De Altari.* *Cap.* 365.

OMNIBVS enumeratis, quæ ritè, atque ordine faciendo sacrificio requiruntur, postulare videtur res, vt pauca de singulis tradamus, vt quale quidque esse quouè haberi modo debeat, intelligatur. Altare lapideum sit, aut saltem lateritium, cum lapide consecrato in medio, qui mensæ insertus plano eius exæquetur, nequid emineat; latitudo eius cubitos duos, longitudo quatuor pateat, altitudo staturæ apta hominis sit, ligneumque eius gradum cubitis paulo plus duobus extet.

*De gradu Altaris.* Cap. 366.

LIGNEVS Altaris gradus quem sacerdos sacra faciens pedibus premit, nihilo editior sit quàm quantum quis pollice ac minimo digitorũ metiri possit, latus haud minus cubitis duobus longus ad altaris modum. Firme consistat, tapete, aut stragulo alio lineo sternatur.

*De Mappis.* 367.

ALTARIVM mensæ ternis tegantur Mappis. Hæ lineæ quidẽ sint omnes oportet, sed in minus locupletibus Ecclesijs etiam cannabinas adhibere licebit. Nullæ rudes, aut crassæ nimis, nulla cærulei aut alterius coloris intextum bombicem habeant. Mundæ item puræque sint omnes, superior tamen tenuior multo candidiorque esse debebit, longiorque, vt ab vtroque Altaris latere infra ligneum gradum demissa defluat, ita verò lata vt totum altaris mensæ spatium quantum in latitudinem patet contegat. Interiores quoque ea sint magnitudine, vt mensæ planitiem omnem consternant. Non autem latior vna instres complicetur, sed separatæ prorsus, ac diuisæ omnes sint. Ad vsum celebriorum dierũ & solemniũ sacrorum pretiosiores, elaborationesque habendæ erunt.

*De Palijs.* Cap. 368.

ANTERIOR pars Altaris omnis pallio vestitur. Id appensum in fronte ab vno ad alterum cornu tenditur. Patere autem paulo longius debet quàm ipsum sit Altaris spatium, & ab eo tam altè demitti, vt inferior ora eius sub ligneo gradu seu scabello paulum occultetur. Mos habet vt Palijs palmum infra Altare transuersæ laciniæ seu frangiæ filis pendulis sericis aureisuè ducantur ornatus caussa; atque in medio aut crux, aut sacra alia imago intexatur, vel assuatur. Intrinsecus autem totum tela vestiatur, fulciaturque. Habeantur autem pro Ecclesiarum facultatibus plura, vt pretiosiora celebrioribus diebus, alia cotidianis vsibus adhibeantur.

*De Tabella secretorum.* Cap. 369.

QVO sacrificanti sacerdoti, quæ in medio Altari tacitè recitari ex disciplina debent, nec facile ex ipso legi libro possunt, omnia in conspectu, atque ante oculos sint, tabellam quę secretorum dicitur, singula Altaria habeant. Ea non nucco, aut querno, sed leuiori alio ex ligno conficiatur; magnitudo eius ad paginę modum sit, quæ illi agglutinanda erit; circum paruis cornicibus affabrè ornetur; cornices albente potius materia, quàm nigra sint, & vbi per facultates licebit etiam inaurentur, aut pingantur. Pagina grandioribus litteris impressa, imaginibus sacris distincta, compareat. Tabella verò ita

locetur, vt pariete cui ipsum hæret Altare, erecta nitatur, aut si propius legenti admouenda erit, alio aliquo fulcimento, quo aptè niti possit, applicetur. Peracto autem sacrificio rectius in ipsum Altare inuertetur, vt depressa eadem tæla tegatur, qua totum consternitur Altare.

*De Cruce.* Cap. 370.

IN cuiusque Altaris medio prope hærens parieti crux collocetur. Eius quadrangula sit forma, nisi quod inferior ramus esse oblongior debet, & in basim desinere, aut infigi, qua firmè consistat. Magnitudo ea sit, quæ Altaris amplitudini respondeat; in summo autem altari maior, speciosiorque locetur: materiam Ecclesiæ facultates statuant; si ex auro argentoue non poterit, ex auricalco tam crux quàm basis fiat; & vbi ne id quidem Ecclesiæ tenuitas feret, ex ligno, sed quã maximè fabrefacto, picto, inauratoque.

*De Candelabris* Cap. 371.

NVLLVM Altare sine geminis Candelabris habeatur. Eorum tùm materia, tùm magnitudo & forma, quoad fieri potest, cum ipsa congruat cruce. Debent autem quando aspirare tenuibus Ecclesijs ad aurum argentumque non licet, ex auricalco fieri; in summo autem Altari, maiores, editioresque, & opere præstantiores, & numero ad minus sex habeantur. In alijs si ne auricalco quidem comparari, propter inopiam poterunt, lignea fiant tornatili, eleganti que opere, & pictura, auroque varientur.

*De candelis.* Cap. 372.

AD Altare cùm adierit sacrificij faciendi causa sacerdos, rem ante non inchoet, quàm binas incensas candelas, singulisque impositas candelabris viderit. Illæ autem ceree sint, albæ, puræque; præterquam cùm diuina res pro mortuis fiet; tùm enim flauæ rectius adhibebuntur. Candelarum scapus ea crassitudine sit, quam candelabrorum, & Altaris ratio, & Ecclesiæ facultates tulerint; in summo autem Altari, cùm solemniter celebratur & crassiores longioresque, nec pauciores sex accendantur.

*De Emunctorio.* Cap. 373.

QVOD supra de munditia in diuinis rebus tradidimus, id teneri maximè cùm ipsi ministratur sacrificio debet. In quo ne minister, si forte cereorum Elychnium (id est bombicinus ille funiculus, qui incensus flammam nutrit) recidendum erit, digitis (quod fœdum visu est) ea re fungatur, Emunctorium habeat, eoque (nam forficum instar est) Elychnium curet, amputetque

terque; quod si argentea candelabra sint, argenteum et ipsum esse debebit, verũ sat fuerit ferreum haberi.

De Extinctorio. Cap 374.

EXTINCTORIVM quale esse debeat supra 349. decreto, cũ de luminibus ad Altare extinguendis ageremus, docuimus; neque idem hoc loco repetere necesse habemus, id modo nunc iteramus, aliter quàm illo cum instrumẽto lumina in Ecclesia diuinisque officijs extingui non placere.

De funali. Cap. 375.

CVM sacerdos diuinam hostiam, vt a populo adoretur, vtraque est manũ sublaturus, hic quoque ei cultus honorque ex disciplina adhibetur, vt funale incendatur, ardereque tam diu sinatur, donec tam corpori, quàm sanguini sua veneratio tributa fuerit. Id aut ipse dextera sustinebit minister, nam sinistra Planetam sacramentũ offerentis sacerdotis subleuat, aut tubulo Cerostati, seu Ceroferarij, quæ vnum quodque Altare habet, inijciet. Funalia autem, vbi per facultates licebit, candida e cera habeantur.

De Tintinnabulo. Cap. 376.

SI circum Altare in quo sacerdos erit sacrificaturus, Tintinnabulum nullum appensum sit, non omiserit clericus quin illud secum ferat, compararique aliquot deesse ne possint sacrificio ministrantibus, iubemus. Non enim parum ad diuinæ rei cultum pertinet eius sonitu his qui intersunt signum dari; dari aũt primum debebit a clerico, cùm Sanctus sanctus a sacerdote ter repetitur, quò omnium animi ad propinquam consecrationem erigantur; deinde cùm hostia tollitur, postremò cùm Calix. Vnumquodque autem signum ternis placet pulsibus distinctis dari, quod certius commodiusque fiet, inuerso vibratoque tintinnabulo, quàm pendulo.

De Clauo birreti. Cap. 377.

SACERDOS cùm ad Altare accessit, detractum capiti birretum ministro tradit: quod ille caueat ne ipso in Altari reponat, in quo nihil prorsus præter ea quæ sacris adhibentur, poni haberiuè debet. Vt autem birreto ipsi seponendo proprius locus præparetur, færreus clauus auratus, aut aliquo cum ornamento ex auricalco, prope Altare ab ea parte in qua Epistola recitatur, loco apto, non tamen à pauimento duobus cubitis altius, parieti configatur, atque eo birretum appendatur.

*De Amictu.* *Cap.* 378.

AMICTVS, linteolum est, quod primum sacerdos sacra facturus induit, & galeam salutis significat, quæ fidei tribuitur, vnde capiti prius imponitur, mox in humeros reijcitur, & collo circundatur, quo etiam interioris lineæ tunicæ collare tegatur; sic enim velari Sacerdos vndique sacris vestimentis debet, vt nulla propriarum vestium pars vsquam extet. Tenui candidaque tela esse debet, duos circiter cubitos longus, sesqui autem latus. E serico fascia quod olim fiebat, nulla, neque Amictui neque Albæ assuatur; obsoleuit enim ille mos, quòd impedimento sericæ fascię erant, ne tam crebro lauari, tamque puræ haberi hæ lineæ vestes possent. In superiori parte extremam prope oram in medio parua Crux candido filo acu effingatur, quam sacerdos prius osculetur, quàm ipsum induat Amictum. In anterioribus angulis linei funiculi assuantur, qui in pectore crucis in modum transuersi ducti, in tergus reijciantur, atque indę reducti ante pectus nectantur, vt sic reuinctus Amictus suo moueri loco nequeat. Præter eam oram quæ collo circundatur reliquæ eodem candido filo circum acu pingi concinnoque aliquo opere elaborari decoris atque ornatus causa licebit.

*De alba.* *Cap.* 379.

LINEAM illam sacerdotalem vestem, quæ nunc communi prope omniū Ecclesiarum vocabulo Camicium vocatur, veteres Ecclesiastici libri Albam a colore appellant. Ea a collo ad pedes totum sacerdotis corpus latè contegit, & nullam in eo partem non puram, mundamque & labis omnis expertem esse debere, laxitate, & candore suo significat. Huic, vt supra tradidimus, neque in ima parte, neque in extremis manicis vllæ, quod olim mos tulit, serici panni quadra assuantur. Ex lino telaue quam poterit maximè tenui fiat, ac præcipuo semper candore nitescat: amplitudine præterea ac rugarum densitate laudetur, atque ob id in crispum contorta volumen habeatur: quod si fiet, decoras inde creberrimasque rugas explicata reddet.

*De Cingulo.* *Cap.* 380.

ZONA seu cingulo sacerdos Alba indutus renes præcingit, tùm ne laxa atque ad terram fluens vestis incessum impediat (quod enim ex Alba redundat, ad ipsas renes per Zonam contrahitur) tùm vt ea re continentiæ, atque castitatis laus, qua præcellere sacerdos debet, significetur. Conficiatur autem Cingulum ex lini cannabiuè candidis tenuatisq; filis. Prælongum sit, & singula eius capita paruis globis ex eadem materia claudantur, globulis lemnisci, siue filorū candidorum manipuli reticulo tecti appendantur, qui flocci vulgò dicuntur; vt cùm ad stolam continendam demissa capita retrahuntur, inserta cingulo etiam ornatum præbeant.

De

*De Stola.* *Cap.* 381.

STOLA apud veteres, pudicæ mulieris vestis fuit. Ecclesiastici scriptores fasciæ prælongæ quæ Sacerdotis collo iniecta, vtrinque propendet, stolæ vocabulum indidere; eamque induens Sacerdos, immortalitatem primi parentis culpa amissam reddi sibi à Deo postulat. Qua materia Planeta fuerit, eadem fieri stola debet, item eodem colore. Longitudine verò ea sit, vt ad vsque genua Sacerdotis vtrinque æqualiter defluat; iusta latitudine, & quæ ad vtrasque extremas partes sensim nonnihil dilatetur, extremaque capita breuibus lacinijs, seu frangijs ornentur. Stolæ tres paruæ cruces assuantur, quadrata omnes forma, vna in medio, aliæ in imis eius partibus. Et Sacerdos quoties ea, aut induit, aut exuit, mediam semper crucem osculo contingat.

*De Manipulo.* *Cap.* 382.

MANIPVLVS ex eo est dictus, quòd inserta in eum manu, sinistro induitur brachio. A stola non ferme alia re quàm breuitate differt, eadem vtriusque materia, idem color, eadem in medio, extremisque in partibus vtrique cruces, idem ornatus, eadem forma; sed contractior breuiorque multo manipulus, & aut consitis ab vna parte exigua sutura fascijs continetur, decidere ne possit, aut paruo subtus serico funiculo adnectitur brachio. Et futuræ beatitudinis præmia, quæ pro vitæ huius ærumnis, si piè tolerentur, nos manent, significare dicitur; inde ducta spe; Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Atque idem precatur Deum Sacerdos, cùm manipulum induit.

*De Planeta.* *Cap.* 383.

VESTIVM postremam Sacerdos Planetam induit, quæ & Casula dicta est. Et in hanc inserto capite, veluti subdens suaui Domini iugo collum, Dei gratiam benignitatemque implorat. Ea olim aperta quidem vt nunc à lateribus fuit, sed ab humeris infra cubitum vsque ferè ad manus decidebat, reflectebaturque inde ad humeros. Nunc expeditiori, aptiorique forma, præcisum quod reuoluendum erat, longitudo eius infra suras prope ad talos demittatur. Fascia non minus palmo lata vtramque tam anteriorem, quam posteriorem partem mediam secet, aliaque generis eiusdem fascia ante pectus transuersa à dextro humero ad sinistrum ducatur, sic vt crucis imaginem effingat. Planetæ ex serico, & quàm maximè egregio, ac specioso opere, atque etiam auro contextis pannis, pro Ecclesiarum facultatibus, fiant.

*De Calice.* *Cap.* 384.

CVM ad continendum Iesu Christi sanguinem calices comparentur, non auro solùm puro, puto, atque argento, sed si gemmis etiam conflari possent, magnifice ad hunc vsum adhiberentur. Quæ enim res tanti pretij sit, quin vilis fiat, quam cum Christi sanguine conferas, cuius pretio captum genus humanum sęua seruitute exemptum est? Verùm si Ecclesiæ vires ad hunc aspirare splendorem nequeant, ipse saltem calicis crater argenteus, pars reliqua ex ære, vel auricalco sit. Totum verò tam argẽtum quam æs auro vtiq; oblitum intrinsecus, extrinsecusq; esse debebit. Pes circuli formá habeat, ea amplitudine, vt cùm locatur firmissimè consistat, euerti vt nõ possit; nec omnino minus quàm crateris ipsius labrum pateat. Pedis ambitum ornare, octangulam, sexamgulamuè ei formam superne addere, sigillis etiam artificiosè distinguere, cælareque, sanè licebit; dummodo sigilla ipsa non aliunde quam ex sacris litteris, & maximè è Christi Domini vita, aut Passione petitum argumentum habeant, neque adeo emineat quicquam, vt impedimentum tractantibus afferat. Idem pes paulatim fastigietur, interque ipsum & craterem spatij non minus intersit, quàm vt commdè interijci manus possit. In medio sub ipso Crateris fundo nodus tumescat, siue in oui formam cacuminatus, siue rotundus vt globus, siue pressior vt malum e & huic emblemata, sigillauè insculpere, addereq; ornatus causa, modo adiumẽto manu apprehendenti, non impedimento sint, licebit. Crater à summo labro ad fundum non nisi sensim admodum, & admodum parum tenuetur. Labrum ipsum neque extrinsecus, neque intrinsecus reflectatur. Atque hi quidem cælati elaboratique Calices solemnioribus, celebrioribusq; sacrificijs reseruentur. Ad cotidianos vsus nos maximè eos probamus, qui vndique lenes, & nullo opere asperati sint; nam sic quidem & ad vsum, & ad munditiam aptiores habilioresque videntur. Cui munditię studeri nos in tota diuini cultus ratione maximè cupimus; calicesque non solùm à sacerdote quoties celebraturus est, linteo abstergi, sed ab eo, cuius hæc propria cura fuerit, alternis saltem septimanis diligenter lauari iubemus; eiusque rei causa Vas ęreum stamno intus illitum in Sacristia haberi, magnum, aptumque, cuius labra ab vno ad aliud haud minus cubito pateant; æque lato sit alueo, geminisque manubrijs prehendatur, & vtrinque promineat os, per quod veluti per tubum effundi aqua rectè possit; quę quidem aqua non aliò quàm in sacrarium abijci debebit. Eo in vase & Calices, & Patenæ, & Corporalia Sacerdotum manibus sæpe ac studiosè lauentur, nec Vas ad alios vsus adhibeatur.

### De Patenis. Cap. 385.

PATENÆ eadẽ fieri materia debent, quibus Calices fiunt; si auro nequeant, siue ex auricalco, siue ex ære, siue ex argento fuerint, auro vtique oblitæ tam superiori, quàm inferiori parte sint. In medio ductum circino maiorem paulo quàm Hostiæ sint, paulumque depressiorem circulum habeant. Circulo in ipso, atque adeo in tota Patena, nihil sit elaboratum, nihil ne ornatus quidem causa asperatum, aut eminens, non gemmæ, non emblemata vlla adiũcta, sed æquales, & vndique lenes sint, & extremis labris tenuibus admodum, quò Hostiæ fragmina colligi, sine digitorum tactu, opeque, & Hostia ipsa cùm opus est è corporali in patenam recipi facilius possit.

### De Corporali. Cap. 386.

CORPORALE maximè candore præstet. E linea tela fiat, tenui, puraque, nec intertextum quicquam, non aurum, non sericum habeat. Tantùm oras circum muliebri opere, candido filo elaborare, atque acu pingere licebit. Latum amplumque sit, vt explicatum penè quantum spatij a labro Altaris ad secretorum tabellam interiacet, contegat; & quadrata forma in omnes partes æqualiter pateat. In quadra item complicetur, atque ita vt extremę eius partes introrsus reflectantur. Amilo diligenter de more oblinatur, partim candidior, partim lenior, solidiorque, vt fiat.

### De Sacculo siue Bursa. Cap. 387.

COrporale nunquam, nisi cùm in altare explicatur, extra suum sacculum, seu Bursam haberi debet, ne linteo puluis, neuè sordes vlla adhæreat, in quo ipsum reponendum est Iesu Christi corpus. Bursa autem, sic enim appellatur, panno serico aureouè fiat, atque adeo materia, coloreque eodem quo vestis ipsa Planeta fuerit, in qua sacerdos Altare adit. Vtrinque in medio intextam siue adsutam auream crucem habeat; aureus item limbus finbriauè futuras ambiat, abdatque. Intrinsecus tenui tela, puraque, aut serico velo conuestiatur, inter vtrumque ne flecti complicatique possit, tenui tabella, aut multo papiro iunctis glutino folijs, iniecto muniatur. Quadrata semicubitali forma, nec ore patulo, sed in quod veluti per rimam, corporale adigatur.

### De Palla. Cap. 388.

QVADRVM illud lineum, quo Calix in sacrificio operitur, Palla dicitur. Hæc materia eadem qua corporale, eodemque candore esse debet, lata ferè quantum corporalis ipsius plicatura pateat. Amilo denteque diligenter lenita, durataque, ne complicari, aut imposita calici, vllam in partem

dependere possit. Superior pars acu pingi, lineoque opere elaborari non prohibetur.

*De Purificatorio.* *Cap.* 389.

ID est sudariolum lineum, quo post epotum a sacerdote sacratissimum Christi sanguinem calix intrinsecus siccatur, tergiturque. Quod ea religione habetur, vt neque a fœminis, neque ab alijs quàm sacratis viris attrectari fas sit. Tela linea, candida, nec tenuissima, nec tamen crassiori fiat, nec ante vllum ad vsum adhibita. Nullo opere purificatorium elaboretur, sed extremæ tantùm oræ non nihil retortæ consuantur, & in medio crux filo candido acu pingatur. Horum copia semper in sacristia sit, quo subinde mutari lauarique possint, lauenturque sacerdotis manibus, ac mutentur quàm sæpissime. Amplitudo eorum formaque fere eadem, quæ sudariolorum, quibus ad nares mungendas vti ferè consueuimus.

*De Velo Calicis.* *Cap.* 390.

VELVM quod contegendo calici in sacrificijs adhibetur, quàm pretiosissima materia auro, argento, serico, quamque tenuissime contexatur, figuris etiam ac sacris imagunculis; seu textili opere, siue acu pingatur. Fimbriæ circum vel gemmis, margaritisque, & lucidis lapillis si niteant, rem minimè dedeceat, adeo instruendæ magnificè res omnes sacræ sunt. In singulas partes æqualiter, sed amplè lateque pateat, quò non solùm vndique calicem cooperiat, sed non nihil etiam ipsum in Altare præsertim ab anteriori parte fluat. Huius color cum Planetæ colore congruat, & pro temporum ratione varietur.

*De sudariolo.* *Cap.* 391.

SVDARIOLVM quod sacerdos abstergendis manibus in sacrificio adhibet, lineum sit, tenuè, candidumque. In longitudinem sesquicubitum pateat, cubitum in latitudinem. Ab vtroque capite lacinijs eodem ex lino, atque etiam opere acus elaboratum ornatumque esse sanè decet.

*De Vrceolis sacrificij.* *Cap.* 392.

VRCEOLI, quorum in sacris est vsus, cristallini aureis, argenteisque præferendi videntur, tùm ob munditiem nitoremque, tùm quia pellucẽtes, vinũ, aquamq; certius distinctiusq; præbent. Aureos argenteosq; splendoris causa in solemnibus adhiberi sacrificijs licebit. In cotidianis, quãdo rarũ cristallũ est, vitrei adhibeantur; deturq; opera, vt pellucidi, perspicuique sint; cotidie priusquam recenti vino impleantur, aqua intrinsecus, extrinsecusque perfusi diligenti ab-

ti ablutione tergantur, pleni operculis suis obturentur. Absolutis sacris, vino effuso iterum aqua abluantur, ne quid vini in eis resideat. Plura paria pro numero Sacerdotum, Missarumuè habeantur.

*De Peluicula.* *Cap.* 393.

CVM Clericus daturus manibus aquam Sacrificanti Sacerdoti est, peluiculam supponere, atque illa effusum excipere laticem debebit; eumque in angulum circa Altare abijcere. Hæc aurea argenteaque, vbi per facultates liceat, esse debebit. Verùm ex auricalco etiam, aut britannico plumbo, dum fricatu crebro studiosè tersa habeantur, atque adeo fictilis quoque rectè adhibebitur. Labra circum efferantur, medius alueus humilis, æqualis, planus sit, nec vllo opere eminens, vt superlocati Vrceoli, firme consistant, hæreantque.

*De Missali.* *Cap.* 394.

LIBER quo sacrorum carmina continentur, & pro temporum ratione variantur, quia sacra ipsa, vulgò Missa dicuntur, Missale appellatur. Id impressum insignibus litteris, grandioribusque fit, quò facilius à sacrificante legi possint; ac rectè valideque reuinctum, & compactum, seu sectilibus tabellis, seu multo papiro, glutino firmè coagmentato, & corio intecto, concludatur. Medio in corio crux, aut alia sacra imago imprimatur, varieque opere aurato ornetur, eodem auro foliorum quoque cæsura, linatur, elaboreturque.

*De signaculis Missalis.* *Cap.* 395.

A Ferreo, argenteouè stilo, serico auroque superintexto, ad crassitudinem libri lato, parua duodecim pendeant lora; serico & ipsa, auroue confecta, coloribusque distincta. Stilus transuersus summo libro aptetur; lora ex eo pendentia paginis, pro vt vsus fuerit, interijciantur. Quibus quia veluti signis sacra ipsa discriminantur, signacula appellata sunt. Lora libro ipso longiora sint, eoque excedant.

*De Integumento Missalis* *Cap.* 396.

NIHIL in diuino sacrificio non congruens, nihil dissimile, nihil discolor, nihil denique absurdum cerni debet; ac Missalis quoq; integumentum reliquo Sacerdotis ornatui, respondere. Igitur præter illud, quod corio fit, vt ostendimus, aliud huic superinduatur tegmen serico, vel aureo panno confectum, vt Planeta vestis fuerit, & sacrificij, & temporis ratio postulauerit. Tela intus subuestiatur, itaque aptetur, vt primùm illud ex corio operimentum introrsus telæ ipsi insertum, reductumque, superius integumentum rectè extendat.

dat. Id autem ab inferiori Missalis parte longius ducatur, & circum fimbrijs, aut textili fasciola aurea, sericanè, ornetur.

*De Puluinari Missalis.* *Cap.* 397.

MISSARVM libro in Altari cùm ponitur, quò commodius à Sacerdote legatur, subijcitur Puluinar. Huic quoque materia, colorq; idem, quod Planetæ sit, lana infarcitum diligenter suatur, suturæque aliquo ornamento abdantur. Item ab singulis angulis fastigiati emineant globi, siue lemnisci ex sericorum filorum manipulis pendeant, coloris eiusdem; puluinar longum paulo plus cubito sit, latum paulo minus.

*De sudariolo mungendis naribus.* *Cap.* 398.

PRÆTER illa, quæ sacrificio adhibentur, nulla alia re altare occupetur. Itaque sudariolum Sacerdos non super Altare habeat, sed dextero lateri cingulo appensum ferat, atque id purum mundumque vt sit curet. Quibus eius frequentior est vsus, eam sibi consuetudinem faciant, vt semper nares diligenter emungant, expurgentque antequam manus, consecrationem incepturi, lauent, quo minus eo inter ipsum sacrificiū, opus habeant. Quod si fortè aliqua eius necessitate, dum pollices, atque indices iunctos habent, vrgerentur, cautionem adhibeant, ipsum ne ijs digitis attingant.

*De Reticulo.* *Cap.* 399.

QVI Reticulo vti consueuerunt, eum adituri altare semper deponant, aut si eius rei, ob plus æquo infirmum caput, facta illis potestas sit, tum omnino tum exuant, cùm manus consecrationis causa lauant, nec repetant, nisi cùm, sacro iam peracto, digitos abluerunt.

*De Conspicillis.* *Cap.* 400.

QVIDAM acie adeo sunt hebeti infirmaque, vt nisi conspicillis adiuti legere, aut res obiectas cernere prorsus nequeant; ijs, quò periculum vitent, ne ea aliquando excussa naso in ipsa decidant sacra, præstare videtur, vt vinculo aliquo capiti, aut auribus alligent, aut si id minus commodè poterunt, magnam ad eorum casum auertendum diligentiam curamque vtrique adhibebunt.

*De sacrorum vestium coloribus.* Cap. 401.

NIHIL est in tota sacrorum disciplina, quod non mysterium habeat, nullum mysterium, quod non ad vitam Christi, aut ad atrocissimam quidem illam, atque indignissimam, sed salutarem humano generi, cędem eius referatur. Nemo itaque formas, coloresque variari sacrorum vestimentorum, atque alios alijs adhiberi temporibus miretur. Sed istam ipsam varietatem magna esse ratione excogitatã existimet. Coloribus Ecclesia in sacrorũ cultu vtitur quinque.

Albo,
Rubro.
Nigro
Violaceo,
Viridi.

Quorum quidem colorum Albus integritatem, atque innocentiam significat, cædem ac sanguinem Rubrus. Niger ad tristitiam mærorem que refertur, item Violaceus. Medius inter omnes viridis medijs quoque temporibus adhibetur. Hi igitur colores pro temporum, ac Missarum ratione, ex Romano ritu variandi erunt. Nos id modo nunc statuimus, vt ne noua vestis vlla ad Ecclesiæ vsum in posterum fiat, cuius color non altero ex his constet.

*Colores vt adhibendi.* Cap. 402.

VARIANDI colores ac certis quoque temporibus accommodandi ratio, e Romano Missarum libro petenda erit. Sacerdos autem celebraturus dare operam debebit, vt his potissimum vni coloribus vtatur.

Pallio
Planeta
Stola
Manipulo
Missarum Libri tegmine,
Sacculo, seu Bursa.
Velo quo Calix contegitur.

Ac Pallia quidem vt apta temporibus vnumquodque Altare habeat, non tam sacerdoti curæ, quàm sacristę esse debebit. Reliqua cum sacrista paranda, tum sacerdoti aduertenda, poscendaque erunt. Nos sacristis omnibus præcipimus, magno in negotio habeant, curare vt vestis omnis sacra ad hosce quinque colores redigatur, & concolor hæc ipsa, quam supra præscripsimus, supellex sit.

*De sacrificijs solemnibus ab Episcopo cantandis.* Cap. 403.

EPISCOPVS certis anni festis diebus pro Ecclesiæ consuetudine, solemni cantu sacra facere, nisi graui causa impediatur, non intermittat, detque

operam, vt omnia in ijs seruentur, quæ rituum disciplina, ratioque præscribit. Atque ea ipse cura, grauitate, studio omnes cęremonias, omnes diuini illius muneris officia obeat; ita paruis quoque, ac minutis rebus animum aduertat, vt non religionis solùm ac pietatis, sed etiam diligentiæ exemplum omnibus præbeat; omnesq; ab illo maximè, & quæ, & quo q dq; modo agendum sit, discant; Quoq; maiori apparatu, cultuque res peragatur, magisque ex ipsa etiam cleri frequentia populi religio incitetur; & ministrorum multiplex copia, quam Episcopalis illa actio requirit, suppetat, volumus, vt cum Episcopus solemne sacrificium est facturus, omnes tota Ciuitate, seculares clerici cuiuscunque ordinis sint ad Cathedralem Ecclesiam conueniant, Cottisque vestiti chorum frequentent, idq; muneris prompto ac libenti animo suscipiant, gerantque, quod eis a præfecto Chori, aut a sacrarum cęrimoniarum Magistro iniungitur. Qui huic præcepto non paruerit, ei illa quam nos statuerimus, mulcta indicta ęsto.

*De diebus quibus Episcopus solemnibus sacris in Ecclesia nostra operari debet.*
*Cap. 404.*

MAGNÆ sanè ac multiplices sunt Episcopales curæ, atque occupationes, quibus distenta infirmitas nostra, non quantum vellemus, veterum sanctorum Patrum referre diligentię, atque pietatis exempla nos patitur; qui vt alia mittam, ipsi per se concinere sacra, solemnibusque sacrificijs multo quā nunc fit, frequentius operari consueuerunt. Quippe non celebrioribus modo diebus, sed festis omnibus, Dominicisque, præsertim Aduentus, & Quadragesimæ sanctum id obire munus in more habuerunt. Quem nos magis suspicimus, ac veneramur morem, quàm tenere, atque imitari, ob nostræ indignitatis conscientiam, audemus. Sed quemadmodum ab illorum imitatione nostra imbecillitate deterremur, qua nos oneri nostro nullam in partem sufficere intelligimus; ita quos solemnium sacrificiorum dies aut Ecclesiæ nostræ consuetudo habet, aut ipsi adiecimus, eos neque prætermittere vnquam est animus, & hoc complecti decreto, statuimus.

Cal. Ian. in Circuncisione.
Postrid. Non. Ian. in Epiphania.
Postrid. Cal. Feb. in Purificatione.
VIII. Cal. April. in Annunciatione.
Feria quinta in Cœna Domini.
Sabbato sancto.
Die Paschæ Resurectionis.
Die secunda Paschæ Resurectionis.
Die Ascensionis.
Die Pentecostes.
Die corporis Christi.

VIII.

VIII. Cal. Iulij in Io. Bapt. natiuitate.
III. Cal. Iulij die festo Petri & Pauli Apostolorum.
XVIII. Cal. Sep. in Assumptione.
Cal. Nouemb. die festo Omnium sanctorum.
VIII. Cal. Decem. die festo Firminæ, & Olimpiadis qui Martires, & Patroni Ecclesiæ nostræ sunt, & eorum in ea reliquiæ conduntur.
VIII. Cal. Ian. in Natiuitate Domini.
XII. Cal. Decemb. die Consecrationis Ecclesiæ.
VI. Cal. Martij. die Consecrationis nostræ.
Die prima sinodi diœcesanæ.
Diebus solemnium ordinationum.
Die Iubilei.

*De die anniuersaria consecrationis Episcopi celebranda.*
*Cap.* 405.

RELIGIOSAS Christianæ disciplinæ consuetudines vetustate obsoletas, quantum nobis Deo adiuuante licet, in vsum reuocandus esse censemus. Cum igitur consecratio Episcopi plena mysteriorum sit, & veteri Felicis quarti Pont. Max. decreto statutum sit, vt vnusquisq; Episcopus in sua Ecclesia consecrationis suæ diem soléni sacrificio celebret, nos diu intermissum ac prorsus obliteratum iam morem vt repetamus, decernimus, vt quotannis VI. Cal Martij, in festo die sancti Matthiæ Apostoli, quo die consecrationis nostrę munus suscepimus, sacrum in Cathedrali Ecclesia nostra solemni ritu fiat à nobis ipsis, si præsentes adfuerimus, sin minus ab eo, qui secundam nos primum in Ecclesia locū dignitatis tenet. Hortamur quoque Sacerdotes omnes, vt quo quisque die sacerdotio initiatus fuit, eum pariter singulis annis sacrificio ac pijs precibus recolat.

*De quibusdam in missa consecrationis Episcopi aduertendis.*
*Cap.* 406.

SI consecrationis Episcopi dies, quam solemnibus sacris colendam, celebrandamque Episcopo esse proximo superiori decreto statuimus, in Dominicā, aut alium festum diem inciderit, volumus vt sacrificium quod illi diei debetur fiat, & precationes, quas Romanus Missarum liber pro Episcopo habet, pro cōsecrationis commemoratione addantur. Sin dies profestus erit, tùm Missam, quæ ex eiusdem libri præscripto consecrationibus adhibetur, Episcopus celebret; cui si concionem adijciet, qua suam perpetuam de cuiusq; salute sollicitudinem plenumque pastoralis caritatis animum erga cōmissum fidei suæ gregem exponat; & apta oratione quam maximè testatum faciat, clerumq; suum vt onus quo premitur cùm pietatis ac rerum diuinarum studijs, tùm pijs apud Deum precibus

subleuet, hortetur, sanctum sacrificij munus hoc concionandi officio, magnopere cumulabit.

*De Die Dedicationis Ecclesiæ.* *Cap.* 407.

DEDICATIONIS Cathedralis Ecclesiæ nostræ dies qui in XII. Call. Decemb. incidit, festus quotannis solemni ritu agatur, & diuinis officijs & Missæ Sacrificio, & Ecclesiæ ipsius decoro apparatu ornatuque celebretur. Collegiat item, & Parochiales Ecclesiæ idem faciant. Quod si quarundam dedicationis dies ignoretur, cùm tamen consecratas constet, de eo certiores nos Parochi faciant, qui certum diem ei solemnitati statuemus. Nos autem vt dies ipse à populo etiam non solùm à Clero piè colatur, volumus, vt qui intra illius Parochiæ fines habitant, mane saltem dum diuina officia peraguntur, neque tabernas aperiant, neque seruilis operis quicquam faciant.

*Quædam Episcopo præstanda cum solemni sacrificio operatur.* *Cap.* 408.

QVANQVAM ipsa sacrificij actio solemni cerimonia, cantuque sæpius in anno ab Episcopo religiosè, atque studiosè suscepta magnam ad populi excitandam pietatem habere vim videatur; tamen gratior fructuosiorque multo futura videtur, si quibusdam prætereà officijs eam Episcopus cumulauerit. Ac primùm quidem si (quod antiquis in more fuit) qua die solemne sacrificium est facturus, eadem matutinas etiam preces matutino tempore obeat, deinde si vtriusque diei vesperis ita intersit, vt earum officio ipse solemni ritu defungatur. Postremò quod & proprium muneris ipsius est, & præcipuam laudem vtilitatemque habet, si populum inter ipsum sacrificium apta concione alloquatur. Quæ quidem non tam delectu apparatuque verborum nitescat, quàm grauitate sententiarum, & quod caput est, pastoralis caritatis, ac sollicitudinis effectibus probetur. Ipsum autem populum vehementer in visceribus Domini hortamur, vt cùm se à Pastore suo, & paternis monitis consilijsque, & vitæ, ac religionis exemplis (quod tamen ipsi ob nostram imbecillitatem non facimus) instrui iuuarique sentiat, hanc ei gratiam referat, vt & pietatis exempla studiaque amplexetur, & festis hisce diebus Ecclesiam Pastoremq; diuinis mysterijs operantem, gregemque suum pij sermonis pabulo pascentem, quàm maxima potest frequentia concursuque celebret, orantiq; audientiam præstet. Nec ante quisquam a sacro digrediatur, quàm simul omnes religiosa specie summissis genibus, pastoralem benedictionem ab solemni illa precatione profectam tulerint.

*Prior celebrante Episcopo Assistentem agat.* Cap. 409.

QVI primam in Cathedrali Ecclesia nostra dignitatem post Episcopalem tenet, & ab re Prior appellatur, huius esse officij volumus, iubemusque cùm Episcopus solemnibus sacris operatur, ei Assistentis officiũ præstare, patentem legenti librum præbere, legendaque commonstrare, aliaq; obire, quæ in disciplina sacrorum ritibusque Assistentibus obeunda præstandaque assignantur. Negligenti omittentique, nisi iusta excusetur causa, mulcta arbitrio nostro iniungetur.

*De Archidiaconi munere cantandi Euangelium.* Cap. 410.

QVEM morem quædam optimè institutæ Ecclesiæ habent, vt quoties Episcopus solemni cantu cerimoniaque sacrificium facit, Archidiaconus, tametsi sacerdotio sit præditus, sacerdotalemque præbendam obtineat, tamen pronunciandi Euangelij munere defungatur; eũm nos morem in nostram induci Ecclesiam seruarique sanè cupimus. Itaque in posterum celebrante solemni ritu Episcopo, Archidiaconum Cathedralis Ecclesiæ nostræ Euangelium canere debere, si ita Episcopo visum fuerit, decernimus, ac iubemus.

*De eo qui celebrandi munus pro Episcopo obire debebit.* Cap. 411.

FESTIS diebus quibus ex superiori decreto Episcopus solẽnibus operari sacris deberet, si forte aut absit, aut morbo impediatur, quo minus eo defungi munere possit, tũ eius vices subeat is, cuius in Ecclesia nostra dignitas post Episcopalem prima habetur. Aut si is quoque iusto impedimento teneatur, ad eum idem munus deferatur qui dignitate proximus fuerit.

*De cultu qui Episcopo adhibetur cum Missæ priuatim interest.* Cap. 412.

SI Episcopus sacrificio priuatim intersit, scabellum ante Altare, contra Euangelij cornu locabitur, idque tapete, aut stragula alia veste serica laneaue sternetur, duoque puluini subijcentur, quorum altero genibus, altero cubitis Episcopus nitatur: Sacerdos autem cũ ad imũ de more descenderit gradum, vnde diuinæ rei initium sumat, non in medio sed ad ipsius gradus angulum, ad eamque altaris partem vbi pronunciatur Euangelium, consistet. Seque inde ita ad Altare conuertet, vt Episcopo latus non terga præbeat. Exordium capturus prius ad Altare, deinde ad Episcopum dimisse se inclinabit. Cùm reliquis recitatis ad confessionem venerit, tùm penitus ad ipsum se conuertet Episcopum, in eumque magnopere proclinatus confessionem peraget; in qua non circunstantes fratres sed patrem ipsum appellabit, tamdiuque in illa demissione sui permanebit,

donec

donec Episcopus illa pronunciet verba. Misereatur tui. Quibus editis, se se eriget, & Episcopum eadem confessionem facientem audiet. Cùm recitatis quæ ex eo loco recitari consueuerunt, gradus est ascensurus, & Altare, & Episcopum eadem capitis demissione venerabitur. Pronuntiato Euangelio non illud ipse osculabitur, sed osculandum Episcopo mittet, ad quē Ministrorum vnus afferet. qui in medium progressus flexione dexteri genu suū Altari cultum tribuet, deinde apertum librum vtraque manu tenens Episcopo exhibebit, sed prius locum, quò osculum illaturus ille est, non nihil serico, aut lineo velo exterget, aut saltem dextera manu attinget, quasi eum Episcopo commonstrans, manumque abductam à libro ori admouebit, & vbi Episcopus osculo librum attigerit, minister eo clauso retro paulum cedens flexo corpore, & capite demisso, eum venerabitur. Cùm sacerdos Agnum Dei appellabit, idem Minister accepta argentea illa tabella, in qua occisi Domini expressa imago est, & Pacis nomen ab vsu, atque argumento habet, eam a cornu Epistolæ dextro nixus genu super Altare osculandam sacerdoti offeret; qui ea præcatione, Domine Iesu Christe, tacite recitata, osculum prius Altari deinde imagini inferet, dicens: Pax tecum. Tum Minister quem ritum in deferendo ad Episcopum libro adhibere supra est iussus, eodem prorsus tabellam ei osculandam præbebit; nisi quòd eam prius quàm ori admoueat, vtique velo tamquam extergens continget, velumque ipsum osculabitur, & tabellam exhibens accepta a sacerdote verba, Pax tecum, Episcopo referet. Peracto sacrificio, cùm sacerdos ad populum se, benedictionem daturus conuertit, prius capite inclinato, eam ipse ab Episcopo accipiet, quam inde populo vnica cruce reddet. Postremò recitato de more initio Euangelij Ioannis, statim se ad Episcopum conuertet, eumque demisse venerabitur. Atque hic quidem cultus Episcopo, non nisi in sua diœcesi agenti, tribuitur.

*Episcopo cele' rante nemo alius eodem tempore celebret.* Cap. 413.

EMINERE rebus omnibus in sua præsertim Ecclesia Episcopalem dignitatem decet; & nihil non excogitari, quo, quæ illi debetur, obseruantia reuerentiaque testatior fiat: Volumus igitur, atque iubemus, vt quoties Episcopus in Cathedrali, aut alia diœcesis huius Ecclesia sacrificium, siue solemnibus cerimonijs, siue priuatim faciet, nemini eodem tempore, eademque in Ecclesia acrificare omnino liceat, nisi necessaria aliqua de causa Episcopus ipse id ei permiserit, sed omnes Pastorem suum rei diuinę operantem, Deumq; gregi suo placantem, concelebrent, fusasque ab eo, pio patrioque animo pro ouibus suis ad Dominum præces; ipsæ quoque oues, pari pietate, paribusque præcibus prosequantur. Huic autem decreto si quis non paruerit, Episcopi ipsius arbitrio relinquimus pœnam, qua afficiendus ille fuerit.

*In Altari vbi Episcopus celebrauit alius ne celebret.*
*Cap.* 414.

VETVS Catholicæ Ecclesiæ institutum est, quo obseruantia, reuerentiaque, quæ Episcopali dignitati, amplitudinique debetur, omnibus rebus declaretur, ne eo Altari in quo ipse sacra fecit Episcopus, audeat alius, eodem die sacrificare Sacerdos, nisi eius rei veniam ab ipso impetrauerit. Quod institutum in nostra Ecclesia planè iam obsoletum, nos reuocamus, in posterumque seruari, eaque omnes lege teneri decernimus.

*De Episcopalis benedictionis ritu reuocando.* *Cap.* 415.

MAGNVM, & Pastoris in suos caritatis, & populi in Episcopum obsequij argumentum habet, sancta illa & vetustissima in Catholica Ecclesia consuetudo, vt cùm sacris peractis digressura templo multitudo est, non ante discedat, quàm paternam ab Episcopo suo benedictionem accipiat: quæ res vt maiori fiat apparatu, maioremque in populo pariat attentionem, quod Romano Pontificali præcipitur, teneri in nostra Ecclesia ad vsumq; reuocari volumus, & iubemus; vt cùm benedictionem Episcopus solemni ritu, cantuque est imparticurus, assistens, seu Diaconus, siue Subdiaconus, siue alius, cui Epispopus mandauerit, illis populum verbis sueto cum cantu editis, præmoneat. Humiliate vos ad benedictionem. & vbi Chorus responderit Deo gratias. tùm Episcopus incipiat solemne illud. Sit nomen Domini benedictum, & reliquum benedicendi ritum peragat.

*Quæ Episcopo solemne sacrificium facturo præparanda.*
*Cap.* 416.

OMNIA quæ Sacerdoti sacra facturo præparanda sunt, supra abunde exposuisse videmur. Quæ quia illi cum Episcopo communia sunt, repetere hoc loco superuacaneum fuerit. Tantùm igitur quædam Episcopi solemne sacrificium facturi propria, ijs adijciemus; id modo monentes, illa etiam cōmunia, ornatiora pretiosioraque Episcopo esse præparanda.

| | |
|---|---|
| Stragulum Altaris. | Crux pectoralis. |
| Solium Episcopale. | Chirotecæ. |
| Vestitus Solij. | Annulus. |
| Instrumentum candelæ. | Tunicella. |
| Thurribulum. | Dalmatica. |
| Acerra. | Gremiale. |
| Coclear. | Baculus pastoralis. |
| Caligæ. | Pluuiale. |
| Sandalia. | Pectorale. |

Mitra. Faldistorium.
Subiretum. Abbacus.

*De Caligis.* *Cap.* 417.

PONTIFICALES Caligæ,quas solennibus sacris Episcopus induit, è serico sint opere Damasco,etiam auro argentoue, si ferant Ecclesiæ facultates,intexto. Latæ sint, vt sine negocio induantur, longè item vt ad genua pertingant, genibusque, quò mysterijs, quæ illa res habere dicitur, respondeant, sericis vinculis alligentur.

*De Sandalijs.* *Cap.* 418.

SANDALIA mos obtinuit, vt dicantur calcei,quos in solemnibus sacrificijs Episcopus adhibet. Hi subtus soleis solido firmoque corio muniantur. Superior pars materia eadem qua Caligæ fit. Ansis rectè ductis sericisq; vinculis pedi aptè reuinciantur. Olim fenestratos fieri,idque mysterij rationem habuisse traditur.

*De Dalmatica, & Tunicella.* *Cap.* 419.

ALBAM super,Tunicellam,deinde Dalmaticam Episcopus induit, vestimenti genus, quo Dalmatæ vtuntur, vnde Dalmaticæ nomen inditum. Crucis formam imitatur,si manicas pandas, quas amplas laxasque, sed breuiores,quàm vt ad manus vsque pertineant, habere debet; Episcopalis latior, quàm Diaconalis,hæc quàm Subdiaconalis; nam hi quoque ea veste vtuntur; omnes materia eadem,eodemque colore fieri debebunt. Haud minus quàm infra genua,nec plus quàm ad suras demittantur, æqualiter pateant,ad collum nihil crispentur,ne sinus vllos, aut rugas agant. Extremæ vndique partes fimbria intexta auro, aureis, aut sericis filis,breuibus, concisisque ornentur. Intrinsecus tela linea subuestiantur. Tunicellæ materia, formaque eadem, tantùm tenuiores paulùm, angustioresque sint.

*De Chirotecis Episcopalibus.* *Cap.* 420.

TVNICELLA Dalmaticaq; suscepta,velat chirotecis manus Episcopus, nec eas deponit,nisi cùm Hostiam tractaturus oblaturusque est. Hæ sericis intortis filis contexi, & circulo aureo in contraria palmæ parte ornari debent,vtraque enim res mysterium habet. Earum color vt reliquorũ vestimentorum variandus pro temporum ratione erit.

De Subireto. Cap. 421.

SVBIRETVM, is est pileolus, quo caput cùm ornandum Mitra est, ante munitur, tum vt firmius capiti hæreat Mitra, tum ne caput ipsum frigore lædatur. Id laneum sit, quadrata quidem forma, vt ipsum biretum, sed contractiori, vt neque cornua promineant quicquam, neq; intus catta solidetur, sed tenui tantùm è serico tela subuestiatur.

De Mitra. Cap. 422.

SIMVL ac Planetam Episcopus induit, caput Mitra exornat, quo ornamenti genere propriè videtur Episcopalis eminere, atque explendescere dignitas. Geminam autem in diuinis officijs adhibet Episcopus Mitram, aliam alijs temporibus, muneribusque. Quæ solemnibus sacris paratur, ea serico auroque sit contexta, acu etiam phrigio opere picta. Tota verò gemmis margaritisque distincta corusceт. Et qua caput ambit circulo aureo, & ipso phrigio opere elaborato ornetur. Altera e lino pertenui, puroque fiat, & tantùm candore niueo nitescat. Vtriusque summus apex veluti geminum findatur in cornu, quorum alterum à fronte, alterum a ceruice exurgat. Ab vtraque geminę vittæ fasciæuè eodem lino, eodem candore, pendulæ in tergus cadant, quarum singula capita fimbriæ sericis filis purpureis longiusculis claudant.

De Annulo. Cap. 423.

IVS annuli non passim omnibus, sed paucis admodum, quorũ dignitas fert, tribuitur. In Episcopo autem annuli gestatio, non dignitatis solùm, sed etiã mysterij causam habet. Nam quemadmodum Christi Domini cum Ecclesia coniunctionis Symbolum; ita Episcoporum perpetui cum suis Ecclesijs necessitudinis vinculi argumentum est. Itaque vt eius rei nunquam non admoneatur Episcopus rectè fecerit, si ne noctu quidem id digito dignitatis, atque coniugij sui insigne detraxerit. Sit verò aureus annulus, gemmamq; pala inclusam habeat, non illam quidem maximi pretij, sed gemmam tamen. Ac annulus quem solemnibus sacris, benedictionibusque Episcopus est adhibiturus, pretioso vtique pellucidoque lapillo insignis sit; neque in eo quicquam omnino insculpatur. Digito induatur, qui medium inter minimumque est, & ex eo etiam annularis dicitur.

De Gremiali. Cap. 424.

EPISCOPALI cultu omni ornatus Episcopus, vbi in solio suo consedit, amiculus, materia coloreque eodem, quo reliquus vestitus, gremio eius inijcitur, qui quidem ab re Gremiale vocatur. Id sesquicubitum in longitudinem

paulo minus in latitudinem pateat. Medium eius crux occupet, oras circum laciniæ auro argentouè ac serico intextæ ornent; interior pars tenuiori serico vestitur.

### *De Baculo pastorali.* Cap. 425.

BACVLVS vel præcipuum est Episcopalis dignitatis insigne. Eoque præcipuum Episcopi munus significatur. Nam Pastores Episcopos propriè dici dubitare non debemus, quòs constat huius rei nomen, officiumque ab ipso inditum, iniunctumque Domino, accepisse. Quemadmodum igitur agrestes Pastores pecus baculo agere regereque consueuere; ita datus Episcopo Baculus, quo potestas, iusque moderandi coercendique gregis curæ illius traditi, demonstratur. Episcopalis autem Baculus ab imo præacutus, cætera rectus, a summo inflexus in seque retortus esse debet; longitudo eius staturæ hominis æquetur. Ima cuspis argenteo mucrone muniatur, ipsumque bastile totum laminis tubulisuè argenteis vestiatur, integaturque; laminæ tubulique leues omnes nec vllo cælati opere sint. Tantùm quà curuus flexusque est, cælatura aliqua, auroque ornabitur. Quà rectæ parti pars retorta connectitur, argenteo tubere, aut nodo aliquo quadrangulari sexangularivè distinguatur; atque angulis ipsis aliquæ sacræ imagunculæ non indecorè cælabuntur; licebit & eburneum, & osseum adhibere, dum vilitatem materiæ cælaturæ pretium leuet. Abbates quibus Baculi ius tribuitur, lineas vittas sudariumuè ei alligare consueuerunt. Episcopalis autem eo ornatu carere debet, eaque re ab illo quibus Abbates vtuntur, distingui.

### *De Pluuiali.* Cap. 426.

PLVVIALE palij seu penulę genus est, cuius aduersus pluuiam vsus; vnde & inuentum nomen; Episcopus diuinis officijs, & maximè Vesperis adhibet. Id semicirculi formam habet, & ante pectus qua parte rectum est, aurea, argenteauè fibula connectitur, reliqua pars circularis ad vsque talos demittitur, totumq; circumplectitur corpus. Omnem per diametrum, quantus patet, lata ad palmum fascia, pretiosiori panno, serico, auroque intertexto, aut opere phrigio elaborato, ducta assuitur, quæ ante pectus, vt diximus, nexa magnificam sui speciem præbet. Huic fasciæ, quà collo humerisque circundatur, insigne, quod caputium vocant, sericis ternis vinculis adnexum, in dorsum pendet. Id amplum latumq; sit, materiaque eadem qua fascia ipsa, & circum extremæ oræ breuibus concisisque lacinijs ornetur. Pluuialis vt reliquarum vestium variari temporibus color debebit.

*De Pectorali.* Cap. 427.

FIBVLÆ qua Pluuiale ante pectus vincitur, additur bulla, aut aliud ornamenti genus, distinctum gemmis, margaritis, pretiosisque alijs lapillis; aut si hæc desint, in ipso auro argentoue sacræ aliquæ imagines decorè cęlentur.

*De Cruce pectorali.* Cap. 428.

VBI se, Episcopus indutus alba, cingulo, seu Zona præcinxit, paruam crucē aureo, vel serico funiculo innexam, osculo tactam collo circundat, atque ante pectus suspendit. Ea ex auro puro, puto, affabrè, atque artificiosè cælata, elaborataque sit, gemmis quoque, margaritisque si ferant Ecclesię opes, magnificè ornata; ita verò fabricetur, vt non solida sed uacua sit, quo in eam sanctorū Reliquiæ condi claudique possint. Ac sine ea cruce ne priuatim quidem Episcopus sacrum facere debet.

*De Thuribulo.* Cap. 429.

THVRIBVLVM vas dicitur, in quo thus adoletur. Id argenteum egregio aliquo opere artificiosè cœlatum, elaboratumque esse debet, fenestratumque, vt incensi thuris odor spiramentis exhalet; Quaternis catenulis item argenteis pendeat, longis duos saltem cubitos, atque eo etiam amplius, quarū media operculum contineat, quo retracto & ignis inferri in thurribulum, & in ignem thus inijci commodè possit.

*De Acerra.* Cap. 430.

THVS in Thurribulo adoletur, ex Acerra administratur; id est Vasculum oblungum nauiculæ instar, vnde & nomen in vulgus Nauicellæ accepit. Id quoque argenteum sit, cælatumque rotundo pede, operculo plano ad Acerrę modum, cuius pars tantùm dimidia aperiatur, vnde coclear inijci, & thus hauriri possit.

*De Coclear.* Cap. 431.

COCHLEAR quo haustum Acerra thus in turribulū inijcitur, apta magnitudine, pro ipsius Acerræ modo, sit, caua Pala, ad oui maximè formam, ab summo acutiori, longo cum manubrio. Tam Cochlear quàm Acerra, & Thuribulum argenteum esse decet. At vbi Ecclesiæ facultates id minus ferunt, ex auricalco omnia comparentur, nitidaque, ac bene tersa habeantur.

*De Instrumento quod Bussia dicitur.* *Cap.* 432.

EPISCOPVS in sacrificio, diuinisque officijs cùm aliquid est lecturus, libro ipsi parua candela accensa admouetur, partim cultus, atq; honoris causa, partim vt ea adiutus luce, facilius omnia cernere legereque possit. Ad huius vsum candelæ, candelabri, atque instrumenti genus adhibetur proprium, cuius ab orbe longum manubrium paulo plus, quàm quantum quis metiri pollice, atque indice posset, extendatur, manubrioque emunctoriolum de more inseratur, orbis in medio lunula dimidiata dentataque exurgat, atque huic candelæ flexus affigatur. Totum instrumentũ argenteum, aut ex auricalco illitum auro fiat.

*De stragulis graduum Altaris.* *Cap.* 433.

SACRIFICATVRO, diuinaque officia obituro Episcopo, non Altare solùm singulari apparatu ornari, instruique debet, sed gradus etiam ipsi, quibus ad altare ascenditur, latè consterni. Stragula aut laneis pannis, aut tapetibus, aut etiam aulæis sint.

*De Abaco.* *Cap.* 434.

MENSAM, siue Armarium in quo domestici vsus vasa condiebantur, exponebanturque, Abacum veteres dixere. Hic cùm solemnibus sacris Episcopus est operaturus, non vsus solùm, sed etiam splendoris causa adhibetur. Omnia enim in diuinis sacrificijs cum ad cultum, ac religionem, tum ad magnificentiam, ac splendorem, qui cultum ac religionem augeat, excogitanda, referendaque sunt. Longè, lateque pro loci, atque Ecclesiæ magnitudine pateat. Quà parieti hæret duobus augeatur gradibus. In his aurea argenteaque, si qua sint, vasa locentur, exponanturque. Item Mitræ pretiosiores, aliaque quæ sacrificio, aut ornamento, aut vsui sint. Tam gradus, quàm Mensa, candida, tenuique Mappa sternatur, tegaturque, quæ à fronte, à lateribus ad terram vsque defluat. In Abaco non Crux, non reliquiæ sanctorum, non vlla sacra imago collocetur, cui veneratio debeatur.

*De Faldistorio.* *Cap.* 435.

PRÆTER solium elato illustrique loco situm, aliud sellæ genus solemnibus sacris ad Episcopi cultum adhibetur; quod à lacinijs ab quatuor sellæ partibus dependentibus, quæ communi nunc vocabulo, faldę dicuntur, Faldistorium appellatur. Hæc igitur sella, neque à tergo, neque à lateribus quicquam habere debet, quo niti sedens Episcopus possit, sed vndique aperta humilisq; esse. Plerumq; quaternis teretibus è ferro clatris transuersis, fibulisq; vtrinq; reuinctis, conficitur; quorum eminentia in quatuor angulis capita globosis ornamentis

ex auricalco, argentoue decore muniuntur. Sedile corio valido, valideque nexo constet. Faldistorium ligneum quoque fieri argenteis laminis tectum consueuit. At si tenuiores facultates Ecclesiæ sint, ligna inaurare vndique, ornareque sat fuerit. Vestis qua contegitur in quatuor dissecta partes, quarum singulæ ab ipso sedile ad terram defluant, singulisque breues concisæque fimbriæ circumassuantur. Gemina inde puluinaria adijciantur, quorum alterum sedile supersternitur, alterum procumbentis Episcopi genibus subijcitur; vtriusque bicubitalis longitudo, sesqui latitudo sit. vtrumque tomento, lanaue potius quã plumis confarciatur. Cùm verò Vestis, tum puluinaria intexta serico, auroque eodem sint, quo reliquus Episcopi ornatus, eodemque colore.

*De solio Episcopi.* Cap. 436.

EPISCOPALE solium, si loci ingenium patiatur, ab ea Altaris parte locetur, in qua Euangelium pronunciatur, edito conspicuoque loco. Ad illud haud pluribus quinque, haud paucioribus tribus ascendatur gradibus, seu lignei illi, seu lapidei sint. Hi tapetibus, aut alijs laneis pannis sternantur; soliũ ipsum ab omni parte stragula veste serica, nullo auro, argentoque intertexto, reuinciatur, conuestiaturque; supra solium altius sublatum tentorium, siue vt hũc vocant Baldachinum appendatur, quod paulominus a pariete promineat, quãm quantum in longitudinem patet. Ipse etiam paries cui solium adhæret, a tentorio ad gradus eodem serico vestiatur, orneturque. Ac tam solium, & paries, quàm tentorium, operis eiusdem, eiusdemque coloris vestitu ornetur, colorq; temporibus varietur. Quæ omnia à nobis ad hanc ipsam regulam in nostra Ecclesia ordinata instituta que sunt. Et Episcopalis Ecclesiæ, quam nudam, vetustam, humilem, depressamq; inuenimus, nouam tribusq; eminentem gradibus ædificauimus, & vario ac serico ornatu conuestiuimus. Neque enim ea res mysterio caret; nam sicuti speculatoris nomen Episcopo inditum est, ita edito eum in solio considere decet, vnde & conspici à populo, & ipse veluti è specula circunspicere populum possit.

*De scabellis assistentium.* Cap. 437.

DVO qui Episcopo præsto sunt Assistentes, & vtrunque latus eius tegunt, scabellis gradum vnum infra Episcopi pedes locatis considant, dorsoque parieti hæreant. Scabella tabulis sectilibus populeis, leuioriue alia materia fiant, nec affixa solio, sed seiuncta sint, & colore viridi, picturaque decenti ornentur.

*De Vestimentis Ministrorum Episcopi sacrificantis.*
*Cap.* 438.

SACRA faciente Episcopo, non ea solùm præparanda sunt, quibus ipse ornetur, vestiaturque Episcopus; sed illa quoque haud minori studio, quæ ministris Episcopo subseruientibus adhibenda necessariò sunt, quæ omnia proprio decreto complecti est visum.

Scabella picta duo.
Pluuiale Assistentis libro.
Tunicellæ Assistentium Episcopo diaconali ornatu.
Amictus Diaconi.
Amictus Subdiaconi.
Alba Diaconi.
Alba Subdiaconi.
Cingulum Diaconi.
Cingulum Subdiaconi.
Dalmatica Diaconi.
Tunicella Subdiaconi.
Stola Diaconi.
Velum Subdiaconi.
Pluuiale gerentis librum.
Pluuiale gerentis candelam.
Pluuiale gerentis Baculum.
Plauuiale & velum gerentis Mitram.
Velum afferentis Episcopalia vestimenta.

*De sacrificij vasibus, & linteis.* *Cap.* 439.

NON solùm ad eum qui sacrario præest, sed ad ipsius quoque sacerdotis curam magnopere pertinet, cùm sacra facturus est, videre ac diligenter inspicere, vt ipsæ vestes, & multo magis lintea, vasaque sacrificij pura, munda, nitidaque sint, ea præsertim, quibus res diuina contingitur, calix, patella, seu patena, corporale, palla, purificatorium. Quæ si forte enormiter fœda, inquinataque essent, præstare videtur, sacrificium etiam festo die omittere. Nam Canonũ iure id sacerdotibus præcipitur, vt quæ sacrificio adhibentur pura, munda, ac tersa probè sint, curent. Et rem tam sanctam, supellectili tractari turpi indignum sanè videtur. Confici autem lintea non ex bombice, aut alia materia, sed tantùm ex lino debent. item calix, patenaque non alio metalli genere, quàm quod iure permissum est; quæ res Ecclesiæ facultatibus metienda erit. Sed vbi aurei argenteique fieri nequibunt, auro vtique obliti omnes esse debebunt.

*De sacra veste habenda.* *Cap.* 440.

IN tota diuini cultus ratione nihil fermè quicquam est, quòd & rei ipsi magis congruat, & populi religionem magis inuitet, quàm sacræ vestis non pręmium solùm, atque splendor, sed etiam munditia, nitor, & quædam in illa habēda, adhibendaque sedulitas, & diligentia; sine qua, ne ipsa quidem siue operis, siue materiæ magnificentia vlla erit; cùm gemmæ quoque immensi alioqui pretij, si rudes, impolitas, ac sine ornatu habeas, facile sordescant. Quibus igitur hæc iniuncta cura fuerit, dabunt operam, vt in sacris vestimentis nihil scissum, nihil fractum, nihil verò immundum, nihil maculosum sit: nam sic quidem quanto pretiosiora erunt, tanto turpiorem habentibus notam afferent; sed vt illa quoque ipsa quæ vetustate labuntur, resarciendi diligentia, ac tractandi, tergendi, verrendi studio nitere videantur, omniaque non in tractatu atque vsu, quàm in armarijs loculisque suis maiori cura habeantur.

*De linea supellectili habenda.* *Cap.* 441.

CVM in sacrę vestis vsu custodiaque, vt supra ostendimus, magnum est adhibendum studium, tum verò in lineam supellectilem habendam, quæ varia, varijque ac multiplicis generis est, summa conferri diligentia videtur debere. Quemadmodum enim in externo hoc sacrorum cultu nullius rei aspectu magis omnium oculi lætantur, ducunturque, quàm nitore, & lacteo illo candore lineæ supellectilis; ita si eadem lurida, ac mucida sordibus sit, nihil est quo magis omnes stomachentur, offendanturque, & ab ipso etiam sacrorum studio auertantur. Itaque eius vt quam maxima suppetat copia in primis curandum est, quò persæpe mutari, & crebra lotura ab omni purgari labe commodius possit.

*De corporalibus & purificatorijs.* *Cap.* 442.

CVM omnis lintea Ecclesiæ supellex munda puraque, tū verò corporalia, & purificatoria mundissima purissimaque esse debent, quibus ipsum Domini corpus & sanguis contingitur. Itaque ipsi vtraque sacerdotes suis manibus crebro quam diligentissime lauent, huiusque rei causa comparatum vas in sacristia habeant, quod alios ad vsus nō adhibeatur. Lota inde aut Capuccinis, aut etiam Monialibus mittant, quarum studio Alba planè candidaque fiant, & corporalia etiam Amylo oblinantur. At pura certè ni sint, sacrificio ne adhibeantur. In purificatorijs ea quoque cautio, ratioque teneatur, vt seorsum a sudariolis custodiantur, nec vnquam in eadem capsula, ne in ijs inde promendis quod propter similitudinem facile acciderit, erretur, & aut sudariola tergendo calici, aut purificatoria siccandis manibus adhibeantur.

*De Vestibus sacerdotalibus nisi benedictis non adhibendis.*
*Cap.* 443.

NON studiosè solùm custodiantur, habeanturq; sacerdotales vestes, sed illud quoque curæ sit earum custodi, vt ne sacris eas adhibeat, nisi prius ab Episcopo solemni ritu consecratæ benedictęque fuerint; neque enim diuinis misceri rebus quicquã debet, quod non pia præcatione ac benedictione ante expiatum sit.

*De tempore Missas celebrandi.* *Cap.* 444.

SACERDOTES, & maximè Parochi magnam ducere rationem debét ea potissimum diei hora sacrificandi, qua frequentior populus ad sacrificiũ celebrandum conuenturus sit. Quam vtique rem nos non suo Parachum tempore, sed populi commodo metiri volumus; minimè verò audeat id tempus, aut anticipare, aut proferre; cuiusquam alterius commoditati vt seruiat. Signa autem ad sacrum conueniendi, quæ Campanæ sono dantur ita distinguat Parochus, vt saltem dimidiæ horæ spatium a primo ad postremum interijciatur, quo adesse in tempore omnes possint. Quòd si alius qui in eadem Ecclesia celebret sacerdos fuerit, id vt ruri præsertim habitantium commoditati consulatur, primò diluculo faciat, præterquam festis diebus, quibus ne a Parochiali missa populus auocetur post eam dimissam differri iubemus. In Ecclesijs autem vbi plures sacerdotes erunt, & maximè in Cathedrali nostra statutam ab eo singulis horam, cui nos id negocij mandauerimus, omnes obibunt, qui vt primus diluculo, postremus quàm maximè poterit sero, eorum se tempori accomodet, qui aut negocijs distenti adire mane ad Ecclesiam nequeunt, aut somno paulo magis indulgent, studebit. Nemo autem anticipare, atque inchoare sacrum audeat, antequã lucescat, præterquam Natali die Domini Nostri Iesu Christi. Nemo post meridiem differat. Nemo antequam accensæ in Altari candelæ sint. Nemo dum Concio habetur. Nemo in eadem Ecclesia, eodem tempore quo ipse Episcopus diuino sacrificio operabitur.

*Quisque statutum sacrificandi tempus obeat.* *Cap.* 445.

QVI ex beneficij sui institutione, aut alio iure certis diebus, horisque faciendo sacrificio operam debent, ij statutos sibi dies horasque obeant, neque tempora suo commodo, arbitrioque anticipent, differantque, aut omnino mutent. Quòd si legi qua tenentur non paruerint, dies quindecim a sacrificandi potestate prohibebũtur, grauiusque etiã si meriti fuerint punientur.

*Sacerdotes propinquitate se in celebrando ne impediant.* Cap. 446.

QVI statuendis cuique Sacerdoti sacrificandi horis iussu nostro præerit, huius etiam quoque curam esse iubemus, ad quam quisque Aram celebret statuendi. Vt cùm plures vno tempore sacerdotes ad rem diuinam faciendam sacrario prodibunt, eos ita dispartiatur, ac segreget, vt remotis alterius ab altero Altaribus operentur; ne si proxima adiunctaque sint, sacerdotes voce sublata inde mutuæ sibi interpellationi atque impedimento fiant, sacrificiumque ipsum ab neutro eorum inde qua decet religione, atque veneratione peragatur.

*De ritibus in sacrificio adhibendis.* Cap. 447.

VT sacro sancti Concilij Tridentini Decreto obtemperetur, Episcoporum curæ mandatis, vt aboleri tollique iubeant quicquid in Missæ sacrificium ab eius rei sanctitate alienum irrepsisse cõpeterint, nos sacerdotibus omnibus diœcesis nostræ præcepimus, vt in Missa celebranda nihil neque pretermittant, neque adijciant eorum, quæ Missarum volumine a sancta Romana Ecclesia edito cõtinentur. Quo tota sacrificij disciplina exquisito studio, summaque diligentia explicata, traditaque est. Qua quidem in re non paruam sibi curam ponendam sacerdotes esse existiment; nam præterquam quòd res ritè, ac statis solemnibus cerimonijs peracta magnopere populi religionem excitat, atque auget; nihil in ijs fit, quod sanctum aliquod mysterium ad vitam Passionemque Christi Domini relatum, non habeat.

*De sacrificij hostijs.* Cap. 448.

DENT operam, quibus id curæ mandatum fuerit, vt Hostiæ ad sacrificandum comparatæ tenues, puræ, mundæ, candidæ, recentesque sint; ne illas laici homines, neuè fœminæ faciant; sicco in loco asseruentur, ne humido flaccescant, difficiliusque inde frangantur. Vinum non nisi merum, recensque adhibeatur, legatur optimum; vetustum potius quàm nouum. Album rubenti semper præferatur. Atrum vitetur, cùm potest, quòd calices ipsos, & maximè purificatoria inficit.

*De plurium Hostiarum consecratione communionis causa.*
Cap. 449.

SI rem diuinam faciente sacerdote erunt, quibus præbenda Eucharistia sit, pluresque ob id hostiæ consecrandę, hæc ratio teneatur. Si paucæ fuerint, eadem omnes patena sacerdos offeret; sin plures quàm vt eas commodè patena

capere possit, in proprium vas, quod huius rei causa, vt suo loco tradidimus, comparandum erit, aut si vas desit, in alium calicem coniectas Hostias palla tegat, & propè suum calicem ab eo latere vnde Euangelium pronunciatur, locabit, atque inde cum sua simul maiori Hostia offeret; idque cùm faciet, pallam qua illæ teguntur e calice detraher, reponetque statim oblatione facta. Et cùm consecrationis verba prolaturus erit, aperiet illas iterum, & ad vniuersas pariter consecrandas animum intendet, & post sublatam supra caput maiorē Hostiam, adorandamque populo exhibitam, priusquam summisso genu depositam suam veneretur, illas operiet. Si Hostiæ paucæ fuerint, eodem ab latere super corporale seponet, ne inde exequenti iustas sacrificij cerimonias impedimento sint. Cùm demum, sua absunta Hostia, & epoto sanguine, dispartiturus expetentibus alias Hostias erit, quod facere prius debebit, quàm vinum ori abluendo adhibeat, semoueat paulum e medio calicem, & in eius loco Vas cum sacratis Hostijs statuat, atque eas summisso genu veneratus adeuntibus impartiatur.

*De Hostia caliceque extollendo venerandoque.* Cap. 450.

CVM Sacerdotes consecratam Hostiam, non iam aliud panis, quàm speciem, quæ humanis subijciatur oculis retinentem, corpusque Christi, atque adeo ipsum Christum continentem, tollit, eam det operam, vt vtriusque manus summis digitis, pollice atque indice, ita constringat, excidere ei vt ne possit; eandemque in Calice curam adhibeat. At qui circumstant omnes nō ad id quod cernunt, sed ad illud quod res est, animum fide confirmatum intendentes, vtroque dato ad terram genu, supplices humilesque Deum salutis datorem auctorem, conditoremque nostrum adorent. Nemo tùm stare, nemo verò sedere, nemo operire caput audeat; qui fecerit, grauiter punietur, quamquam non dolo atque contemptu (nam id quidem scelus inexpiabile foret) sed socordia atque incuria factum probaret. Cùm enim nobis in re tam seria, tam sancta, negligentibus, segnibusque esse non liceat, ne in socordiæ quidem, atque incuriæ excusatione delitescere culpam sinemus: ipse autē sacerdos non caput sublatæ Hostię summittat, manusque propè ad occipitium adigat, sed coniectos in Hostiam oculos, nusquam nisi ea demum posita, amoueat. Tubarum quoque clangorem edi ad Hostiæ elationem vetamus, neque enim ea militari fremitu celebranda, sed supplici prece adoranda nobis est. Organo tùm quidem cani permittimus; sed nos silentio summo, summaque animi attentione, maiestatem eius venerari longè præstare, existimamus.

*Hostiam & Calicem semel tantum efferendum.* Cap. 451.

QVIDAM sublatam semel Hostiam, calicemque & populo conspiciendum adorandumque exhibitum, iterum cùm vtrumque esu, potuque abluu-

absumturi sunt, supra caput efferunt, populoq; ostendunt; quod cùm minime ex Romana disciplina fiat, quàm nos vt supra tradidimus, teneri à Sacerdotibus nostris, obseruarique prorsus volumus, monendos eos duximus, Hostiam Calicemque semel tantum ostendi populo, venerandamq; præberi debere; Proinde præcipimus omnibus, vt quoscunque ritus traditæ à Romana Ecclesia sacrificij disciplinæ non respondere intellexerint, eos penitus abijciant; neq; tanti suas consuetudines faciant, quin longè antiquissimam sanctæ illius Ecclesiæ auctoritatem habeant.

*De sono Campanæ in eleuatione Corporis Christi.* Cap. 452.

COTIDIE cū in maiori Missa, quæ in Cathedrali Ecclesia, ex institutione nostra cantatur, consecrata hostia à Sacerdote supra caput tolleda, vt à populo adoretur, erit, volumus, vt eius rei signū maiori Campana ter ternis ictibus repetitis, detur, quo fideles qui sacro ipsi non intersunt, eo admoniti sono, sanctissimum Iesu Christi corpus mente saltem, & cogitatione adorent, memoriamq; accepti à Deo tam insignis beneficij, pia aliqua precatione prosequantur. Nos autem quò populi religio magis excitetur, ijs qui accepto signo, ex eodē loco, positis genibus sanctissimum Sacramentum venerabuntur, viginti dierum indulgentiam, ijs verò qui ex vicinia præsentis eius adorandi causa ad ipsam Ecclesiam ad primum Campanæ sonum accurrerint, quadragiuta concedimus.

*De his, quæ in Missa agenda cum populo sint.* Cap. 453.

SI inter celebrationem Missæ Sacerdos, aut alloqui populum, aut cum eo generalem, quam vocant, Confessionē inire, aut iungendum inter aliquos matrimonium edicere, aut egestate pressum aliquem cōmendare, aut omnino quid cum populo agere voluerit, id statim post recitatum Euangelium faciat, quod & vsu probatum, & planè accomodatius tempus videtur: caueat verò Sacerdos ne inter sacrificandum, aut de rebus furto ablatis, aut alijs huiusmodi ab illo, & loco, & tempore alienis, agat.

*De oblatione, quæ fit à Populo.* Cap. 454.

CVM pro Ecclesiarum consuetudine populus ad oblationem, quam appellant, faciendam, stipemque conferendam ad Altare accedit, non patenam ei in qua Sacerdos sacrificat, sed aut crucem, aut sacram aliam imaginem osculandam præberi volumus, eamque, si desit, dedita opera comparari, nec sine ea ad id officium populum admitti, nec nisi statim post recitatum Euangelium, obiri iubemus. Illam præterea cautionem adhiberi præcipimus, vt stipes in eius generis vasa sacculaue inijciantur, vnde quod quisque dederit non cernatur. Nam

quidam artificiosa cupiditate, aut apertam peluim, aut extensum linteum proponunt; vt cùm omnium oculis quod quisq; dederit expositum sit, omnibus quasi pudor parum dandi incutiatur; eleemosinæ enim datio a pietatis studio non ab ostentatione vlla, aut a quadam exempli necessitate proficisci debet.

*Symbolus ad Organum ne cantetur.* *Cap. 455.*

ANIMADVERTIMVS quibusdam in Ecclesijs, in quibus à sanctissimis ac diligentissimis viris instituta disciplina sacrorum est, non solere fidei Catholicæ Symbolum in solemnibus sacrificijs a Choro ad Organum alternis cum eo versibus, articulisq; concini, sed totum, Organo silente, ab ipso inter se Choro alternari. Quæ nobis ratio cùm magnopere probetur, vt quæ fide accipienda credēdaq; omnibus Catholica Ecclesia proponit, ea non fistularum sono nihil exprimentium, sed Clericorum perspicuis vocibus, instituta tamen modulatione variatis recitentur, ab audientibusque percipiantur, in posterum Symbolum à Choro sine Organi sono cantari iubemus.

*De temporibus pulsandi Campanas.* *Cap. 456.*

MAGNVM cùm ad omnia momentum partitio ac distributio temporis habet, tum in diuinis officijs obeundis maximè videtur necessaria, vt quisq; certas, statutasque habeat ad sacra adeundi horas. Itaque tabellam confici, & in Sacristia appendi volumus, in qua temporum, atque horarum ratio certa pulsaldi campanas describatur. Quibus populus per annum ad Ecclesiam, sacraque euocetur. Quam nos tabellam vbi recognouerimus edi, & ad eius præscriptum per omnem Diœcesim campanas pulsari iubebimus.

*De Dominorum ac Patrum familias cura, vt a seruis quoque missa audiatur.* *Cap. 457.*

NEQVE Patris familias suæ domus, neq; Domini suæ familiæ omnis in eo versari cura debet, vt parcè sobrieque viuatur; vt sibi, suisq; vtilitatibus fideliter diligēterq; seruiatur, quod fieri à plerisque videmus; quos frugi potius, atq; industrios, quàm probos, pios, christianæ disciplinę obseruātes dixeris. Quæ illis debetur laus, qui non solùm vt rei parcant, & vt suum quisque munus scitè, accurateque gerat, sed etiam vt pietas, & religio sanctè ab omnibus colatur, omniumque animos salutaris Dei metus, & æternæ salutis cura incessat, eaq; vt omnibus longè antiquissima sit student. Caueant igitur Domini Patresq; familias, ne si festis diebus eorum liberi, serui, Pastores, sacra non obierint, Ecclesiæque præcepto satis non fecerint, non tam illi, qui alienæ potestati obnoxij, suo vti arbitrio nequeunt, quàm ipsi penes quos ius, atque imperium est, neglecti præcepti culpam omnem sustineant; Reique apud Deum eius rei fiant. Itaque

quod

quod christianæ charitatis, atque disciplinæ ratio postulat, eam amplexentur curam, vt filios, filias, seruos, ministrosque, non solùm cupientes pia obire officia ne arceant, quod nefarium sanè facinus fuerit; sed quos ex praua consuetudine segnes iam ad id, ac negligentes senserint, eos, etiam pro iure suæ potestatis ad parendum sanctæ matris Ecclesię iussis adigant. Confessores autem non solùm oratione hos ad Ecclesiam celebrandam hortentur, sed etiam neglecti præcepti grauem eis pęnitentiam iniungant; vt quod spontè non suscipiunt, saltem pœnę metu non contemnant.

### *De viduis, & Puellis.* *Cap.* 458.

VIDVAS ab recenti viri morte publico abstinere, in mærore, atque luctu esse, sanè castè culti coniugij argumentũ fuerit; prȩsertim si hoc non ex more tantùm, sed etiam ex animo fiat. Verùm nos quemadmodum abolere consuetudines honesti speciẽ habentes nolumus; ita illas ferre, quæ saluti animarum, atque Ecclesiæ præceptis aduersari videantur, non debemus. Viduis igitur vnum ad summum mensem, vbi consuetudo hoc obtinuerit, aditu Ecclesiæ, Missaque audienda post elatum virum abstinere liceat. Hoc effluxo tempore, nullius eas consuetudinis iure excusationeq; defendi, sed penitus Ecclesiæ præcepto teneri, detrectantesque etiam censuris Ecclesiasticis cogi debere decernimus. Puellas autem puellarumque parentes monemus, si ita mos patriæ tulerit, vt nubiles adolescentulæ perpetuò domi contineantur, ac Ecclesia quoq; sacrisque ne alienorum oculis exponantur abstineant, quod minimè probandum videtur, huic ita pareant mori, si inde profanos cœtus, choreasque non obierint; sique spectandas seè suæ domus fenestris non præbuerint. Sic enim Ecclesiam adeundi Missamque audiendi præcepto nequaquam eximerentur.

### *De his qui Missæ sacrificio intersunt.* *Cap.* 459.

NON soli Sacerdotes clericique rem diuinam castè, ac piè tractare, in suoque munere religiosè versari debent, sed è populo etiam, qui intersunt, pari debent religionis studio teneri, idque non intimo solùm animo prȩstare, sed etiam externo quodam cultu, atque actione testari. Ergo primùm omnium nostros id monitos volumus, Parochisque mandamus, vt idem sæpe eorum auribus inculcent; Cùm campanę sonum quo ad sacrum euocantur audierint, vt verũ ex diuino illo sacrificio, atq; salutare fructum percipiant, quisque se paulum colligat; ac si saucium alicuius mortiferi delicti conscientia animum senserit, admissum doleat, stabilique emendandæ vitæ decretò, eius veniam à Deo magna impetrandi spe poscat. At diuinæ rei omnes animis, oculisque intenti operam dẽt. Nemo non aperto sit capite, nemo non genua summittat, nemo non silentium teneat, nemo propius quàm par sit ad Altare, atque Sacerdotem accedat, nemo contra ita longè absistat, vt nec audire vocem precantis possit, neque omnino

sacrificio interesse videatur; multo minus, aut extra Ecclesiam, aut in foribus, nisi necessitate, subsistat; nemo denique ante discedat, quàm Euangelium quod vltimum pronunciatur, Sacerdos absoluerit.

*De Habitu quo quisque interesse sacrificio debet.* Cap. 460.

OMNES qui sacrificio intersunt, corpore ita composito sint, vt ex eius externo quoque habitu interior animi religio indicetur. Nemo verò alio ornatu ad Ecclesiam, quàm quo in publicum prodire consueuit, adeat. Nam quidam honesti alioquin homines, sibi sine pallio, atque etiam interdum sine sago, intrandi templa, sacraque obeundi licentiam, non sanè probandam fecere; atque hos secuti opifices atque sellularij, sæpe suæ artis instrumenta manutenentes in Ecclesiam secū quoq; cùm diuina officia celebrantur, tamquam in tabernas suas inferunt; quod nos & fieri vetamus, & de eo omnes a Parochis admoneri iubemus; ijs autem qui armati Ecclesiam irrumpunt, constituta non parentibus excommunicationis pœna, mandamus, vt ne hastas, neuè sclopos, neuè alia quàm quibus ipsos adirent magistratus, arma inferant. Neque enim sicariorum, atque hostili odio diffidentium, sed pacem amantium, & animis piè affectis ad diuina officia conuenientium, locus ille est.

*Euangelium a stantibus audiri debere.* Cap. 461.

CVM Sacerdos ad pronunciandum Euangeliū in aliud altaris cornu transit, mos in Ecclesia vetustissimus a populo consurgendi, ne intermittatur. Quin mulieres quoque ipsæ si teneant, absurdè facturæ non videntur, neq; enim temere, neq; sine magna ratione inductum receptumq; existimare debemus, quod tot seculis non obsoleuit. Duplicem verò ea res habere significationem creditur. Primùm quidem vt exurgentes non promptis solùm animis, erectisq; ad tutādum Euangelium, si quis oppugnet, sed ad nostra quoque corpora pro eo obijcienda paratos, alacresque esse nos ostendamus. Vnde nudatis etiam, atque strictis gladijs à militaribus hominibus olim apud quasdam Ecclesias audiri solitum accepimus. Deinde vt mente sensibusq; excitatioribus ad illud percipiendum simus; animi enim præsentiam contentionemq; status, segnitiem ac remissionem sessio habere videtur. Itaque ne Mulieribus quidem tum sedere licebit, si stare vtiq; eas pigeat. Omnes certè attentionem silentiumq; recitanti Euangelium Sacerdoti præstare iubemus.

*De Mulieribus Missam audientibus.* Cap. 462.

NVLLVM quidem tēpus, nullus locus est, vbi non modestiæ, pudoris, decorisq; specimina prodire a mulieribus, pręsertim honestis, atq; ingenuis debeant; at in Ecclesia inter ipsa sacra agētiū non modestia solū, sed etiā religio laudetur,

detur, oportet. Igitur cultu simplici, puroque & corporis, & vestium adeant, vt ad Deum colendum, sibique, & liberis, ac familiæ suæ propitiandum, non ad sui spectaculũ faciendũ prodijsse videantur; genibus assidue stent; non humi, non suas super crepidas pedesque reiectæ resideant, dum sacrificio intersunt, præsertim post consecratam Hostiam, Animum sacris aduertant, oculos demittant, contineantque, non huc, illucque coniijciant, risu, iocis, sermonibusque inter se serendis temperent. Quid enim facturam in spectaculis lætioribusque cœtibus credas, quam in ipsa Ecclesia licentius versari, & plus æquo molliri, comi, colique videas? At plerçque nimiæ sanè in vtramque partem. Quemadmodum enim luxu, ac pretio vestium, ac toto corporis cultu immodicæ quædam sunt; ita Ancillæ sæpe, aliæq; agrestes atq; è plebe fœminæ incomptæ, impexæ, sine velamentis, sine calceis, nudis pedibus, nudo pectore, nudatis etiam ad cubitos vsq; brachijs, tamquam lixiuium, aut coquinam petentes, Ecclesiam adire, sacrisque interesse pudori non habent. Has Parochi admonebunt, vt ne in magna quidẽ tenuitate, atque egestate, muliebris decoris obliuiscantur.

*Mulieres velato capite in Ecclesia esse debere.* Cap. 463.

MONVIT Apostolus Paulus fideles, atque adeo præcepit, vt mulieres velato capite in Ecclesiam conuenirent. Idem Apostolorum Princeps Petrus docuit; & qui in Petri locum successit S. Linus etiam decreto sanciuit. Idem præterea & veteris disciplinæ exempla demonstrant, & quarundam ciuitatum benè institutarum vsus recepit, & muliebri dignitati, pudoriq; sanè consentaneũ est. Nos igitur & Apostolica instituta, & benemoratorum exempla, & optimam rationem secuti, magnopere mulieres Ciuitatis, ac Diœcesis nostræ in Domino hortamur, & obsecruamus, vt eo saltem tempore, quo in Ecclesia versantur, aut publicas supplicationes obeunt, non capite solùm velato, sed pectore etiam clauso sint. Atq; omnes sic habere iubemus, nihil esse ab earum decore alienius, nihil quod honestis, & castis animis, & non fictæ verecundiæ tam aduersari videatur, quàm illa nudato pectore, & patulis mammis, & aperto capite, veluti offerentium se ostentantiumque incessio. In Ecclesia certè, atque inter sacra hoc corporis habitu cultuq; versari, absurdissimum est. Nos castissimam, & matronalis decoris studiosissimam quamq; hortamur, vt deprauata hac consuetudine abiecta, duces se alijs præbeant sanctum, & earum pudori, atq; honestati congruentem morem inducendi, vt Ecclesiam nisi velato capite, & clauso pectore non adeant.

*De quorundam in Missa procaci more coercendo.* Cap. 464.

AT verò quàm indecorè, quàm absurdè quidam, quàm etiam procaciter, atque irreligiosè faciunt, qui in Ecclesia diuinumq; circa sacrificium, tamquam in foro profanaq; circum spectacula, versantur? tempusq; colligendo animo, Deoq; placando, ac veniæ erratis nostris poscendæ statutum, omne, aut collo

quijs inanibus, ludicrisque, atq; adeo, etiam turpibus terant, aut impuris sermonibus, quod planè miserandum est, fœdiores adijciunt actus; & quo in loco cœlestes spiritus venerabundos diuinis mysterijs intentos adesse credimus, in eo lasciuis procacibusque oculorum coniectibus, flagitiosos prouocare amores, non verentur. Hi igitur sciant tantum abesse, vt Ecclesiæ præceptum Missæ audiendæ impleant, vt leuius peccaturi sint, si Ecclesia sacrisq; se penitus abstineant. Nos quidē eos nisi ab nefaria corruptela, atq; christiana pietate alieno more, licentiaq; destiterint, quod monitos volumus, pro iure nostræ potestatis seuerè coercebimus.

*Mulieres operam sacrificio ne nauent.* Cap. 465.

CAVEBVNT Parochi, maximè in pagis degentes, ne rusticana licentia, mulieres cuiuscuis ætatis, generis, ordinisq; sint, ac ne matrem quidem, diuino sacrificio vllā præbere operam, aut omnino altari manus admouere patiantur; ac ne in Sacristia quidem versari, aut sacras attrectare vestes sinēt, ne in Monialium quidem Ecclesijs. Hæc enim non muliebris sexus curæ, sed virilis sunt; ac ne intra cancellos quidem consistere, aut omnino propius accedere ad altare vllam, dum sacra faciunt, permittant.

*Clerici filius minister sacrificijs ne adhibeatur.* Cap. 466.

SACERDOTIS, aut alterius ordinis clerici incesto cōcubitu natus filius, ad operam sacrificio nauandam nec admittatur; & omni prorsus munere, ministerioq; Ecclesiæ arceatur; si ea in Ecclesia Pater, aut beneficium obtineat, aut conductus mercede operam præbeat, aut omnino agendis in illa diuinis officijs adhibeatur; ne clericali decori, illo quasi perpetuo incontinentiæ teste macula aspergatur.

*Facinorosi & Excommunicati sacris arceantur.* Cap. 467.

SACERDOTI rem diuinam facienti, si adesse aliquem infamem flagitijs, & facinoribus notum, aut publicè excommunicatum, nuncietur, facessere illum atque abire iubebit; si non paruerit, aut certiorem illum faciat, qui Ecclesiæ præest, aut sacrificium ipsum intercidat, & quandiu excommunicatus adesse perseuerauerit, in eoque pertinax fuerit, à sacrificando supersedeat, donec ille abscesserit. Nos verò tam criminosos, quàm excommunicatos istos monemus, vt se aut sacris abstineant, aut animum præteritorum pœnitentia, vitæ emendatione, ac destinatione melioris mentis sanare contendant. Nam nisi in Paschate sacra Confessione, & sanctissimæ Eucharistiæ perceptione se se ritè expiasse probauerint, iure a sacris Canonibus statuto, in eos agi iubemus.

De

*De Missa quotidie in Cathedrali Ecclesia cantanda.*

*Cap.* 468.

INSTITVTAM à nobis ratione in Cathedrali Ecclesia cotidie maiorem Missam sacro cũ cantu celebrandi, perpetuò retineri præcipimus. Diebus quidem Dominicis festisque vnus Canonicorum, nisi id munus dignitatis alicuius proprium sit, Missæ cantandæ officium subeat, eiusque latera de more Diaconus, & Subdiaconus sacro induti ornatu tegant, sacrificantiq; operam præstẽt. Profestis autem diebus Canonico suam cantandi vicem alteri Sacerdoti delegandi ita facultatem concedimus, si sacrum, quod substitutus ei Sacerdos facere debebat, ipse illius nomine fecerit. Cùm autem cantandæ mortuorum Missæ necessitas aliqua inciderit, non propterea omitti conuentualem volumus, sed dispartito tempore vtrique satisfieri officio iubemus. Qui verò huic cantãdi muneri defuerit, is ea pœna mulctabitur, quæ Ecclesiæ ipsius consuetudine statuta illi est, nisi iustum ei impedimentum obstiterit, quod impedimentũ si ille nunciare in tempore sacristæ, quò alteri id assignet munus, neglexerit, priori mulctæ alia arbitrio nostro, hanc ipsam ob negligentiam, adijcietur.

*Sacerdotes omnes festis diebus celebrent.* *Cap.* 469.

NE mandatæ nobis a Tridentino Concilio curæ iubendi vt sacerdotes omnes saltem Dominicis, & festis diebus diuinam rem faciant, defuisse videri possimus, tametsi id ante executi sumus, eque id præstari a nostris jam curauimus; tamen quò plus roboris iussum nostrum habeat, illud idem hoc quoque decreto confirmamus, ea indicta mulcta non parentibus, quam ante statuimus. Huc adijcimus Diaconos quoque ac Subdiaconos celebranti Sacerdoti ministrãtes, iisdem Dominicis festisque diebus sacram Eucharistiam sumere debere, & Parochos ter saltẽ in hebdomada in sua Parochiali Ecclesia celebrare iubemus.

*De cura adhibenda vt singulis Altaribus debitæ Missæ celebrentur.*

*Cap.* 470.

ET si eorum animas peccatorũ inextricabilibus penè vinculis implicari dubium non sit, qui quas Missas alicui Altari, ex institutione eorum, debent, qui bona pecuniasque ei donarunt, legaruntuè, eas non persoluunt; tamen quia religioni metus quoque pœnæ nisi accedat, segnes sæpe homines ad officium sũt, nos vt quantum possumus huic incommodo obuiam eamus, volumus vt liber in vnaquaque Ecclesia habeatur, in Sacristiaque asseruetur, in quo vnusquisque qua die sacrum, quod debebat fecit, sua manu factum id a se exaret, annumque ac mensem ac diem, ac postremò suum ipsius nomen adscribat. Vt nos, ex eo libro cognoscere inde possimus, munus suum quique neglexerunt, quique impleuerunt

pleuerunt. Cui cautioni adijciemus etiam occultum Punctatorem; vbi opus esse intellexerimus, qui iuratus in singulos dies notet, qui debito Missæ officio defuerit, & ad nos deferat: Singulis autem annis, vbi res a nobis explorata cognitaque erit, negligentibus tantum e fructibus, aut e mercede detrahetur, quantũ a quoque prætemissum officij esse compertum erit, idque totum sacristiæ applicabitur, atque adeo nunc applicatum esse decernimus.

*De Missis a Rectoribus capellarum celebrandis.* Cap. 471.

QVI Capellas in aliqua Ecclesia obtinent, quarum Altaribus certæ Missarũ celebrationes debentur, eas ipsi per se Rectores exoluant, non autem alienam ad id operam mercede conductam adhibeant; Nisi forte vel ipsi necessaria, quam alteri Beneficio debeant, assiduitate ac residentia distineantur, vel earum institutione Capellarum id Rectoribus iuris concedatur, vt alteri suum delegare munus possint, quod nobis probare debebunt, aut hanc facultatem a nobis iusta aliqua de causa impetrarint. Item qui certo Altari certis diebus Missam debet, eam si alio in Altari celebrauerit, quod debet persoluisse non censeatur, nisi id aliquando nostro, aut Vicarij nostri permissu fecerit.

*De Elemosinis pro Missæ celebratione oblatis.* Cap. 472.

AD quas Ecclesias præcipua religione frequentior populi concursus fieri solet, eelemosinasque crebriores vberioresque ob Missarum celebrationẽ conferri, in ijs nulli sacerdoti licere decernimus ab vllo, vlla de causa eleemosinã pro celebranda Missa exigere, aut flagitare, ac ne sponte quidem oblatam accipere, sed eas ab ipsis qui vltro deferunt, in arculam apto in loco propositam con ijci debere; Arculaque gemina sera, clauique variato opere claudatur, quæ aperiri inde nisi nobis consultis, aut ijs quibus nos id negotij dederimus, non debebit. Eleemosinas autẽ distribui vnicuique Sacerdoti pro operæ impensæ merito iubemus. Ac siquid superfuerit, ex eo necessarias res ad ipsius sacrificij cultum comparari.

*De suscipientibus munus Missas celebrandi.* Cap. 473.

QVI a nobis aut a Vicario nostro facultatem concedi sibi postulabunt Missas in aliquo Oratorio, aut Ecclesia certis diebus celebrandi, ij docere nos debebunt alijs officij eiusdem muneribus non ita se distineri, quin satis omnibus facere possint. Neque enim nobis committendam erit, vt quemquam plus oneris subire patiamur, quàm ferre queat, neuè inde parum eorum commodo consulatur, quibus ille suam operam locauit. Parocho autem id minime indulgebimus, nisi tanta Ecclesiæ suæ tenuitas fuerit, vt necessaria victui

non

non suppeditet. Cui autem permissum a nobis erit, is diligenter curabit vt susceptum penitus impleat munus.

*De his qui aliqua celebrandi lege tenentur.* Cap. 474.

NE cuiusquam negligentia, aut contumacia sacrificiorum cultus frequentiaque in Ecclesijs minuatur, volumus vt quibus adiunctum sacrificandi in aliqua Ecclesia officium est, siue beneficij iure, siue mercedis, horum nemo muneri suo deesse audeat. Qui defuerit, is nisi aut morbo, aut iusta alia causa, quam probare nobis, aut Vicario nostro debebit, impediatur, singulis diebus pro festis argenteo Iulio vno, festis verò duplo mulctetur; mulcta sacristiæ attribuatur, & quisque nihilominus reponere omissa sacra teneatur. Mercede conductorum nulla excusatio sit; aduertendi autem punctandique eos qui officio suo satis non fecerint curam Sacristæ mandamus. Qui si aut negligentia, aut dolo alicui pepercisse deprehendetur, eum nos duplicem de suo mulctam persoluere iubemus.

*De Missarum celebrandarum Tabella.* Cap. 475.

VT Sacerdotes omnes qua quisque hora, quoduè ad Altare diuinum sacrificium sibi faciendum sit noscere possint, Maiori Sacristæ curæ esse iubemus, Tabellam cōficere, eamque in Sacristia appendere, affigereuè, in qua, locaque ac tempora ita dispartita sint, vt neque alter alteri impedimento esse possit, & populo Missarum copia ne desit. Tabellam autem partitionis huius Sacrista antequam proponat, nobis ostendet, quò quæ in rem esse videbuntur, præcipere possimus.

*Nemo nisi permissu nostro in alienis Ecclesijs sacellisque celebret.* Cap. 476.

NEMO siue Clericus sit, siue laicus in secularibus Ecclesijs, aut sacellis, aut Oratorijs; quamuis iuris ea patronatus sint, visaque & probata nobis, sacrificium fieri ab vllo patietur, nisi cui facta a nobis eius rei potestas fuerit, quæ scripto contineatur. Quàm etiam sexto quoque mense repeti, renouarique, aut prorogari volumus, nisi nobis expedire videatur eam ad longius tempus concedi; si factum secus fuerit, tam qui sacrificarit, quàm qui sacrificari permiserit, a nobis pro eius merito mulctabitur. Sacerdoti autem qui celebrandi munus permissu nostro susceperit, deserere id ne liceat, nisi quindecim saltem ante dies eum certiorem fecerit, cui suam locauerat operam, quo illi spatium sit in eius locum alterum conducendi.

*De Sacerdotibus Peregrinis.* Cap. 477.

QVI Sacerdotes ab aliena diœcesi in nostram aduenerint, ij sacrificare ne audeant, ne in regularium quidem Ecclesijs, nisi prius nos, aut Vicariū nostrum, qui, atque vnde sint, & a quo initiati, docuerint, ac nisi ab Episcopo suo literas attulerint, quibus litteris testimonium illis, morum, vitęque spectatæ detur, denique nisi eis a nobis, aut a Vicario nostro celebrandi potestas facta fuerit. Quod si alienigenis, & e longinqua regione profectis Episcopi sui testimonium desit, saltem illius Episcopi auctoritate nitantur, in cuius diœcesi diutius commorati fuerint, si neutrum horum præstiterint, a re diuina facienda prorsus prohibeantur. Ab his Sacerdotes Regulares excipimus, quibus in sui ordinis Ecclesijs pro suæ disciplinæ institutis agere licebit. Si quis autem contra quàm a nobis decretum est, peregrino sacrificare permiserit, is in carcerem conijcietur, mensemque ipsum in eo habebitur.

*De Sacerdotibus notoriè criminosis a sacrificio arcendis.*
Cap. 478.

SI quis sacerdos tantam sibi ordinique suo contumeliam atque iniuriam facere non dubitarit, vt qui tranctandis diuinis rebus, Deoque hominibus placando electus, quanta cęteros dignitate, atque muneris excellentia præstat, tantum vitæ laudibus antecellere deberet, is adeo se probris contaminarit, vt vulgo criminosus habeatur, planeq; flagitijs atque facinoribus notus sit, hunc prorsus a sacrificando abstinere iubemus, atque adeò etiam sacrificio interesse vetamus, nisi ita resipuerit, vt priorem vitam nouis corrigere, & compēsare moribus velle videatur.

*In Ecclesiis Monialium sine licentia non cælebretur.* Cap. 479.

IN sanctimonalium Ecclesijs præter datos a nobis sacellanos, & Confessores, nemo sacerdos seu secularis, seu Regularis sit, rem diuinam faciat, nisi eius rei a nobis, aut a Vicario nostro facultatem impetrauerit; ne si Regularium quidem curæ Moniales subiectæ sint, aut ipsis vbique celebrandi facultas concessa, nisi forte eam facultatem a sede Apostolica haberent; atque hi ipsi in re peragenda omnia seruabunt, quæ a nobis in Monalium constitutionibus præscripta, præceptaque sunt. Si quis huic decreto non paruerit, is suspensionis censura a nobis, & alijs etiam pœnis pro eius merito, arbitrio nostro, afficietur.

*De Missis diei Natalis Domini.* *Cap.* 480.

VT terna sacrificia, quæ nocte media, sub lucem, & mane in festo Natali die Domini nostri solemni cerimonia, cantuque fiunt, quo res postulat cultu, frequentiaque celebrentur, decernimus; vt vnicuique sacro par merces statuatur, & qui singulis interfuerit, is triplici distributione portioneque donetur, qui postremum deseruerit, omnibus priuetur.

*De priuatorum sacellis.* *Cap.* 481.

NEMO sacerdos vel secularis vel Regularis in sacellis, quæ priuati intra suas ædes habent, nemo omnino alibi quàm in Ecclesijs, aut Oratorijs diuino tantùm cultui dicatis, quæ ipsa designanda à nobis, visendaq; prius erunt, ac ne in his quidem sacrum facere audeat, nisi nos illi, aut Vicarius noster eius rei facultatem concesserimus; in qua quidem concedenda facultate duci ratio debebit Parochialis Ecclesiæ, intra cuius fines nouum Oratorium ædificatum erit, ne quid ei aut iuris detrahat, aut damni afferat. Quam rem totam arbitrio nostro reseruamus. In sacellis autem intra priuatas ædes sitis sacrificari nō permittetur, nisi parcè admodum & graui ex causa. Ea autem esse debebunt non interiori in parte domus, vbi dominus, familiaq; frequentius versantur, resque domesticas, & profanas tractant, sed remoto à cubiculis, à triclinijs, & ab aula loco, atque etiam (si fieri poterit) aditus e publico in illa sit, formaque eorum propius ad templum, quàm cellam, aut cubiculum accedat. Nec verò adeo parua angustaque sint, quæ vix Aram ipsam Sacerdotemque capiant, reliqui per ianuam, aut fenestram spectare sacrum cogantur, & diuinæ rei in profanis locis operam dare. At ne ij quidem quibus permissum id fuerit, vti ea facultate, nisi necessariò debebūt, sed ipsi quoque publicas cum populo Ecclesias celebrare.

*In aperto ne sacrificetur.* *Cap.* 482.

SACRIFICIVM altarib⁹ in aperto statutis, aut omnino alibi, quàm clausis, & à tempestatibus, ventis, pluuiaque tutis locis, fieri prorsus vetamus, etiam si locus ipse adiunctus Ecclesiæ esset. Idem de sacellis, ædiculisque per agros ad compita viarum sitis, quæ valuis serisque concludi nequeant, quæque ornatæ instructæque necessarijs rebus non sint, statuimus. Ac ne sic quidem celebrare in ijs audeat quisquam, qui a nobis, aut Vicario nostro scriptam eius rei facultatem non impetrarit. Si quis secus fecerit, à nobis perinde ac meritus fuerit, mulctabitur.

In

*In Oratorijs celebrantes Parochialibus Ecclesiis fraudem ne faciant.*
*Cap.* 483.

QVIBVS permissum a nobis in priuatorum Oratorijs sacellisque celebrare fuerit, ijs neque sacrificare ante Parochum, nisi concessu illius licebit, ne a Parochiali Missa celebranda populus auocetur; & cauere magnopere debebunt, tintinabulo campanaue signum conueniendi vllum populo ne dent. Multo minus eum ad stipem conferendam inuitare, allicereque, aut Sacramenta ministrare audebunt; aut omnino quid facere, quod Parochiali Baptismaliuè Ecclesiæ fraudi damnouè sit, nisi iusto eius rei priuilegio nitantur, vel grauiter à nobis vt meritum eorum fuerit, mulctabuntur.

DE CANONICIS HORIS, ET DIVINIS OFFICIIS.
CAP. 484.

SANCTA veterum Patrum institutio. Qui diei tempora pijs officijs ita partita habuerunt, vt præter illa spatia, quæ aut necessariæ quieti, aut necessarijs vitæ muneribus interijciebant, dies noctesque in diuinis laudibus essent. Hinc nocturnæ, & Matutinæ preces, hinc horarũ Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperarum, Completorij distributa interualla, discriminaque, quibus singulis sua carmina cuiq; apta tempori, mysterioque adscripta sunt. Quę omnia si rectè, grauiter, ritè obeantur, magnam & ijs, qui intersunt, & ijs qui exequntur religionem commouent.

*De his qui canonicarum horarum iure continentur.*
*Cap.* 485.

HAC lege Canonicas Horas cotidie recitandi omnes tenentur, quicunque sacris initiati, aut Religionis voto deuincti, aut Ecclesiastico beneficio præditi sunt; neque hi quia nullis sacris ordinibus attineantur, neque illi quia nullo beneficio iuuentur, hoc recitandi officio soluuntur; ac rursus neque alteri ob inopiam tenuitatemque beneficij, neque alteri quòd nullo proprio muneri sint adscripti, eximuntur. Quibus autem pensio ex Ecclesiastico beneficio persoluitur, preces, carminaque in totidem horas distributa in Virginis genitricis honorem cotidie recitandi lege obligantur. Idem Clericos in minorum ordinum gradibus consistentes facere decet.

*De Canonicis horis ex præscripto Romani Breuiarij recitandis.* *Cap.* 486.

CVM diuina officia omnia, tum Canonicas horas, ex ratione, ac disciplina Romani Breuiarij, iussu Pij Quinti Pont. Max. ex auctoritate Concilij Tridentini,

Tridentini, editi, recitari, administrari, ac peragi iubemus, ab omnibus tam qui in Ecclesijs, quàm qui priuatim domi suæ id officij persoluunt; nec quemquam ignorare volumus, nulli licere addere, aut detrahere quicquam. Quod si quis rationem ipsam immutare, aut aliter quàm Romana disciplina præscribit, recitare audeat, hunc monemus, primò quidem muneri suo eum satis non facere, deinde mortiferi delicti crimine teneri, postremò fructus beneficiorũ ab eo perceptos reddendos esse; si quidem officij rationem negligere, ac peruertere perinde est, ac officium ipsum prætermittere.

*De pœnis Canonicas horas intermittentium.* Cap. 487.

SI quis sacrorum ordinum honore auctus, Canonicas horas recitare omiserit, præter mortiferi peccati crimen, quo se obstringit, etiam a nobis pro eius merito grauiter punietur. At quibus res fructui, & compendio est, cùm beneficia non nisi hanc ipsam ob causam dentur, vt pio officio preces ad Deum assiduè fundantur, ita hac lege obstringuntur omnes, vt si officium, quod debent non persoluerint, æs alienum contrahant, quo nisi ære ipso reddito, & vel in Ecclesiæ ædificationem, vel in egentium alimenta erogato, liberari non queant. Nos igitur ex Concilij Lateranensis decreto, & ex constitutione Pij Quinti Pont. Max. decernimus, vt quicunq; Ecclesiasticum beneficium seu curatum, seu sine cura obtinet, post sextum à die eius accepti beneficij mensem, sine iusti impedimenti causa canonicas horas non recitauerit, neque beneficij fructus iam ad illum pro rata parte neglecti officij pertinere, neque iure capi ab eo vt suos posse. Quod si hac spreta pœna in eadem officij negligentia contumaciaque etiam canonicè admonitus perseuerauerit, ei beneficium ipsum abrogabitur, adimeturq; is autem officium neglexisse, & beneficio ob id priuari posse iure dicatur, qui quindecim dierum spatio bis illud omiserit. Ducenda autem ex Pij Pontificis auctoritate ratio fructuum beneficiorum omnium erit, & quota pars in singulos distributa dies, singulis diebus obuenerit, eam omnem desertor officij toties amittat, quot ipse dies officium intermiserit. Quod si solùm diei vnius matutinum præterierit, parte eius diei dimidia mulctetur; si reliquas omnes horas alia dimidia, si singulas modo horas parte sexta. Hac lege ij quoque tenentur, quibus ex Ecclesiastico beneficio pensio persoluitur, si ipsi Virginis genitricis horas, non recitauerint. Atque hac quidem pœna ex Canonum iure a nobis afficientur; at illam ab ijs pœnam multo magis timeri cupimus, quæ eos à Deo manet; qui decipi, fallique nullo modo potest; & illius Vgonis dicti meminisse, qui tribus verbis totam huius officij rationem est complexus. Accipe beneficium, redde seruitium, & effugies supplicium.

*De Canonicis Horis in Ecclesia nunquam intermittendis.*
*Cap.* 488.

PRIVATIM quidem Clericus vel morbo, vel alia graui, iustaque causa impeditus, intermittere interdum horarum canonicarum recitationem sine noxa potest; at publicè in Ecclesia vel diem vnum diuinorum officiorum, aut adeo partis eorum intercapedinem facere, nefas sanè videtur. Itaq; præcipimus canonicas horas oēs in Choro cotidie consueto ritu recitari, neq; vllam earū siue concionis, siue solemnis sacrificij, siue supplicationum, siue alterius rei causa vnquam intermitti, nisi summa necessitas intercedat, quę nobis, aut Vicario nostro iusta videatur, probeturque. Tempora autem horæque ita diuidantur, vt non solùm nullis angustijs Clerus ab officio excludatur, sed spatij etiam ad diuinarum litterarum, aut Sacrorum Canonum studium Canonicis aliquid supersit.

*De ægris Canonicas horas omittentibus.*
*Cap.* 489.

QVI morbo ita sunt affecti, vt ex recitatione Horarum Canonicarum, aut valetudo grauior fieri, aut ne fiat timeri videtur posse (in quo Medici iudicio standum erit) ijs omittere officium licebit. Quisque tamen cauere debet, id ne libenter, neuè leui ex causa faciat. At cui noxius is labor, atque hæc recitatio esset, neque alios recitantes audire tenetur, neque post depulsum inde morbum, intermissi officii dies reponere; sicuti qui ieiunare in Quadragesima nequiuit, ei nulla lex reddendi alio tempore ieiunij onus imponit. Item si cui nulla sua culpa liber deesset, excusationis venia illi datur, sed is quidē quantum potest alijs precationibus pijsque officijs rem compenset.

*De Horis Beatæ Mariæ.* *Cap.* 490.

IN quibus Ecclesijs manet consuetudo recitandi preces, in parem horarum rationem distinctas, in honorem cultumque Beatissimæ Virginis Mariæ, ea ne in matutinis quidem in Choro omittantur; sanctaque consuetudo celebrandi, assidueque repetendi genitricis Domini nostri laudes, retineatur, pièque ac studiosè colatur; & qui has horas neglexerint, perinde mulctentur, ac si reliqua officia deseruissent. Excipimus tamen dies, locaque quibus ex ratione officij eas prætermittere licet.

*De attentione animi in Horis Canonicis recitandis.*
*Cap.* 491.

QVAMQVAM imbecillitati, ac celeritati humanæ mentis quietē non facilè ferentis, assidueq; pererrantis, plurimū indulgeatur, cōdoneturque,

tamen

tamen magnam pro se quisque curam adhibeat, vt in diuinis officijs obeundis, peragendisque, rei quam agit animum intendat, vt non solù m soluere, quod debet, sed etiam libenter, attentè, ac piè, persoluere videatur, memor illarum in [illegible] rum: Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. Mentem igitur aliò dilabentem, discurrentemq; sæpe reuocet; minimè autem ipse in alias, atque alias cogitationes vltro differat, neuè alternis versibus, aut interpellari ab alijs sinat, aut ipse se interpellet, nunc hoc nunc illud interijciens. Verba distinctè, aperteque proferat, non præcipiti lingua inuoluat, glomeretque, & ante veluti intercipiat voretque, quàm ore mittat. Quod legit, det operam, vt non intelligat solùm, sed etiam percipiat. Deniq; peracto officio, positis humi genibus paulum Deum adoret, vt id ipsum sibi ignoscat, quod in pio negotio parum piè parumque attentè versatus sit.

*De signo diuinorum officiorum à Cathedrali expectando.*
*Cap.* 492.

CATHEDRALIS Ecclesia quantum reliquas dignitate præstat, tantù studij adhibere debet, vt in tota diuinorum officiorum ratione temporumque partitione omnes disciplina, ac disciplinæ vsu, atque exercitatione, præfulgeat; vt exemplar ad imitandum sit alijs omnibus. Volumus autem, vt diuinorum officiorum signum non ante campanis detur ab alijs Ecclesijs, quàm ex Cathedrali auditum fuerit, præterquàm in matutinis, quibus non idem omnibus tempus præfiniri solet. At in Sabbato maioris Hebdomadæ silere vtique campanas omnes omnium Ecclesiarum; nec ante sonitum edere, quàm à Cathedrali acceperint, iubemus; idemque in Angelica salutatione antelucana, meridiana, & vespertina seruari. In oppidis verò Diœcesis idem ius esse primatiæ, ac matrici Ecclesiæ volumus, nisi nos consulti à Parochis, aliter statuemus.

*De ratione conueniendi ad Diuina Officia.*
*Cap.* 493.

CVM ad diuina officia seu nocturna, seu diurna conueniendum erit, qui adesse debebunt, pro se quisque accepto signo quod campanarum sonitu datur, maturè se ad Ecclesiam conferat, & adorato sanctissimo Sacramento Sacristiam intret, ibique primò quidem animum colligat, & ad concinendas celebrandasque diuinas laudes comparet, deinde Cottam, vestitumque muneri, quod sibi obeundum sit, necessarium, assumat. Quod quidem omnes per silentium, ac modestiam vt Dei seruos decet, facere conabuntur.

*De ratione incipiendi diuina officia.* Cap. 494.

EDITO Campanis postremo signo ad Ecclesiam diuinaque officia conueniendi, omnibusque iam in Sacristiam vt tradidimus coactis, & cōparatis, nouum parua campana signum exeundi detur, quo accepto omnes ordine è Sacristia procedant, & Altare humiliter venerati, suam quisque in choro sedem petat, & ante eam positis genibus, tacitè dominicam saltem orationem recitent, deinde Hebdomadario Pater noster, de more pronunciante, omnes consurgant, & inchoetur officium.

*De his qui statutam officij rationem neglexerint.* Cap. 495.

QVI in Sacristia, aut in Ecclesia, aut circum illam cùm esset, egredi ordine, & chorum adire cum alijs vt præscriptum à nobis est, neglexerit, dimidia parte distributionis illius Horæ mulctari volumus, nisi iusta se causa impeditum fuisse, quo minus iussam rationem obiret, aut Præfecto chori, aut nobis probauerit. Si quis inchoare officium, hoc non expectato, aut non seruato ordine ausus fuerit, is & distributionem illius Horæ amittat, & a nobis etiam grauiori pœna, si mereri visus fuerit, punietur. Qui inchoato iam officio aduenerit, præscriptam rationem, & in Sacristia, & in choro teneat; qui ad matutinum post absolutum psalmum Venite exultemus, & ad alias Horas post primum psalmum venerint, a Punctatore pro absentibus habeantur; atque eandem negligentię pœnam subeant, qui Missæ non ante postremum Kyrie eleison adfuerint.

*De his qui se alieno muneri immiscent.* Cap. 496.

QVIA vbi pluribus eadem præcipiendi ius sit, teneri disciplinę ratio non potest, statuimus ne quis alieno se muneri immisceat, & in Choro, in Ecclesia, in Sacristia nemo quicquam mandare, aut præscribere audeat, quod ad diuinorū officiorum, rituumq; rationem pertineat, præter Chori præfectum, cerimoniarum Magistrū, sacristam, aut eū cui propriè id muneris comissū fuerit. Si quis secus fecerit, arbitrio nostro pro modo culpę mulctabitur.

*De Hebdomadarij vicem subeunte.* Cap. 497.

SI quis Hebdomadarius iusto impedimento distentus alteri suum munus delegauerit, eum qui alienam vicem suscepit, eadem lege obligari volumus, ac si suam ipsius obiret; & si officio quod præstandum illi esset, in tempore non adfuerit, neq; Chori Præfectum de suo item iusto impedimento certiorem fecerit, eandem subire pęnam debere decernimus, quæ Hebdomadario ipsi suū munus negli-

negligenti constituta est. Quo decreto omnes teneri volumus, qui aliquod in Ecclesia munus sustinent, si illud prætermiserint.

*De matutinis certis diebus maturius inchoandis.*
*Cap.* 498.

DOMINICIS, ac festis diebus; alijsque quibus vel concio, vel solemnes supplicationes habendę erunt, vel sacri ordines conferendi, matutinæ preces maturius, & mediam circiter noctem, aut certè ante lucem inchoentur; tempusque ita anticipetur, vt & ad alias deinceps horas, officiaque, & ad sacra priuatim ab vnoquoque Sacerdote facienda, missamque conuentualem celebrandam, spatium supersit, & nemo concionem, aut aliud officium omittere cogatur. Vesperi autem matutinum recitari vetamus, præter quàm ijs diebus quibus ex Romanæ Ecclesiæ instituto permissum est.

*De contrahendo officiorum tempore si necesse sit.*
*Cap.* 499.

VBI consuetudo sit, vt festis diebus matutinæ aliarumq; horarum preces, & psalmi, totumq; officium solemni cantu, & modulatione peragatur, id institutũ retineri ac minimè mutari iubemus. At si quid aliquando acciderit, quamobrem contrahendum diuinorum officiorum tempus videatur, quò reliquis Ecclesiasticis muneribus spacium relinquatur, licebit officia Sextæ, ac Nonæ stato cantu omisso simplicibus verbis, distinctè tamen & in Choro pronunciare.

*De officijs diuinis non alibi quàm in Choro recitandis.*
*Cap.* 500.

CHORVS proprius recitandis diuinis officijs locus statutus, ob id & situ vnde maximè exaudiri possint, & pulpitis, sedibusque honorificè, commodeque distinctus, atque ornatus est. Itaque neque matutinum, neque aliarum horarum officia alibi quàm in Choro celebrari quouis anni tempore præcipimus. Quod si vehementius in hieme frigus, aut aliæ iustæ causæ inciderent, de ijs certiores ipsi fieri volumus; qui an permittendum sit, vt alio decenti Ecclesię loco celebrentur, statuemus. At sine permissu nostro Chorum mutari vetamus.

*De ratione constituenda, qua quodque officium celebretur.* *Cap.* 501.

QVEMADMODVM diuina officia ex Romanæ Ecclesiæ instituto in duplicia, semiduplicia, simplicia diuiduntur; ita certę regulæ constituendæ erũt ad singula pro cuiusque ratione ritè peragenda, vt quo

quidque cantu, quo numero, generéque luminum, quo vestium, quo ministrorum apparatu, quo campanarum sono, celebranda sint, omnes sciant, & nihil eorum, quæ statuta præscriptaque fuerint, prætermittatur. Ad id autem ordinandum, constituendumque, nos cùm duos è capitulo, quorum alterum nos eligemus, alterum capitulum ipsum dabit, tum alios rituum, atque Ecclesiasticarũ cerimoniarum scientia, atque vsu peritos adhibebimus, de quorum consilio rem vt ferre Ecclesiæ nostræ status videbitur, adiuuante Domino, expediemus.

### *De Cantoribus laicis.* Cap. 502.

VBI Clericorum inopia, qui in diuinis officijs carmina modulentur, concinnantque laboratur; Laicique ad id munus seu mercede conducti, seu aliter adhibentur, eos omnes saltem dum in Ecclesia operam suam sacris officijs nauant, Clericali veste, & lintea Cotta vestitos esse iubemus; suæ etiam quisque vitæ morumque testimonium a spectatæ fidei viris dati nobis curent. Neque enim Clericale munus alia quàm in clericali veste, neque ab alijs quàm probatæ vitæ hominibus obiri, tractarique passuri sumus.

### *De indumentis Pontificalibus comparandis.* Cap. 503.

DILIGENTER à Magistro cerimoniarum in id intendatur, vt cũ Episcopus diuinum sacrificium solemni ritu facit, omnia seruentur, quæ cerimoniarum libri magis probati, & maximè Romanus. Pontificalis præscribunt; vtque seu Pluuiale, seu Dalmaticam, seu Planetam omnes eam vestem ferant, quam temporis, ac disciplinæ ratio postulabit. Quòd si ea indumenti genera, tã multa in Cathedrali Ecclesia nostra non sint, quæ sufficere induentium numero possint, nos ne diuinis rebus necessaria supellex desit, quàm primum fieri poterit, confici, compararique iubemus, communibus vniuersi Capituli sumptibus; nisi aut iure, aut consuetudine, aut alia ratione a sacristia, vel a fabrica, vel ab alijs præstari hos sumptus debere Episcopus ipse iudicauerit. Tùm vbi a quibus prestandi sint statutum erit, intra id spatium temporis præstentur, quod Episcopus ipse præfinierit.

### *De vnicolori vestitu diuinis officijs adhibendo.* Cap. 504.

QVOD supra in sacrificio Missæ de vestium coloribus tradidimus, idem in alijs quoque peragendis diuinis officijs teneri seruarique debebit; vt & colores cuique tempori, sanctoque attributi, adhibeantur, & Altaria, & Sacerdos, & Diaconus, & Subdiaconus vnicolori veste amiciantur. Colorum verò rationem & ex Romano Missali, & ex superiori decreto nostro peti iubemus, ab eaque non discedi.

*De benedictione Episcopali.* *Cap.* 505.

QVOD Pontificalis libri ratio præscribit, numquam intermittatur quin Dominicis festisque diebus, peractis diuinis officijs, aut Missæ sacrificio, cui presens Episcopus adsit, ipse solemni ritu populo benedicat. Quod tum quoq; omnino præstet, cùm post obitas publicas supplicationes, aliaque id genus officia populus dimittitur.

*De officio mortuis Episcopis persoluendo.* *Cap.* 506.

ANTIQVVM Ecclesiæ institutum fuit, vt postridie eius diei, quo omniũ fidelium defunctorum commemoratio fit, fieret ab Episcopo & Canonicis sacrificium Missæ, & mortuorum officium in Cathedrali Ecclesia pro eius Vrbis Episcopis, qui mortem obierunt, & sequenti inde die a Canonicis item pro Canonicis eiusdem Ecclesię. Hoc piũ institutum, quod præstitum ijs qui nos antecesserunt, nobis quoque postmodum persoluetur, ad vsum reuocari, ac teneri, seruarique in Ecclesia nostra prorsus iubemus.

*De Antiphona Beatæ Mariæ in diebus sabbatis.* *Cap.* 507.

AD excitandum quantum possumus, adiuuante Dño, in fideliũ animis pietatis studium, & sanctissimæ Virginis genitricis Dei certum, tutumque patrocinium nobis atque vniuersæ huic diœcesi comparandum, quod in multis bene institutis Ecclesijs fieri animaduertimus, volumus ac iubemus, vt tam in Cathedrali, quàm in colegiatis, & Parochialibus Ecclesijs stata illa, ac solemnis antiphona Salue Regina, vel alia pro ratione temporis singulis diebus sabbati sub vesperũ, sed tamen ante crepusculum, a Parochis clericisq; alijs cuiusq; Ecclesiæ piè ac religiosè concinatur; dato etiam eius rei signo campanæ sonitu, vt qui volent conuenire, & pijs pijssimæ aduocatæ nostræ laudibus operari, possint.

*De tenebris maioris Hebdomadæ* *Cap.* 508.

OMNI quidem tempore in Ecclesia, in diuinisque officijs modestè ac religiosè omnibus est versandum, sed in maiori hebdomada, cùm funesta, lugubriaque omnia ex sanctæ matris Ecclesiæ instituto oculis obijciũtur, cum maximè in memoranda recolendaque Domini passione, sanctis illius mysterijs meditandis est animus, nihil non humile, non demissum, non pium, non cum summa disciplina, atque modestia coniunctum agere, & cogitare videmur debere. Itaque in matutinis tenebrarum diligenter magister cerimoniarum, & sacristia anmum aduertant, curentque, vt in illo fragore, ac strepitu, qui cũ peracto demum officio, ac luminibus restinctis, veluti in tenebris destitumur, edi ad significan-

gnificandam rerum omnium perturbationem, quæ in Domini morte facta est, consueuit, nihil licentius, nihil indecorè, nihil quod ab illo & tempore & loco, & mysterio alienum sit fiat: sed semel tantùm post pronũtiatã vltimam precationẽ fragoris aliquid summisse edatur. Coerceatur verò praua illa licentia inconditum strepitum pertumultuose excitantium, & asseres omnes, omnia scamna certatim ac summa vi conuerberãtium, cædentiumque, & quod indignum sanè est eius rei studio, sæpe ipsa diuina officia interpellantium. Ac si aliter contineri, ac prohiberi ab tam improbo more non queant, Ecclesia abigantur quicunque, & quacumque ætate illi sint.

*De communicandis Sacerdotibus die cœnæ Domini.* Cap. 509.

IN Cathedrali, aut collegiatis Ecclesijs feria quinta in cęna Domini sacerdotes & Clerici omnes tam qui maioribus, quàm qui minoribus ordinibus initiati sunt; diuinam hostiam de illius sacerdotis manu sumant, qui diuinum sacrificium fecerit, nemine excepto, præterquam si ex ijs sacerdos aliquis eodem die sacrum faciendi munus alia in Ecclesia sustineret. Accedant autem bini omnes, primùm sacerdotes, deinde Diaconi, post Subdiaconi, ac reliqui deinceps ordine. Quemadmodum supra a nobis, cùm de sanctissimæ Eucharistiæ sacramento ageremus, statutum est.

*De pia uersandi in Choro diuinisque officijs operandi disciplina.* Cap. 510.

CANONICI ac Sacerdotes, & Clerici omnes in Choro diuinisque officijs versantes, vt verum ex illa actione, vereque spiritualem fructum percipiãt, his maximè cogitationibus animum intendant; loci sanctitatem in quo sunt reputent, munusque cum cęlestibus spiritibus commune laudes diuinas celebrandi. Quàm puram ab omni sorde labeque mentem conseruare debeant, lineæ vestis, qua induti sunt candorem intuentes meditentur. Item quàm omnes abijciendæ rerum humanarum curæ ex Almutiæ pellibus, quæ mortis & fragilitatis nostræ nos admonent, cogitent. Et quemadmodum eo ornatu vestimentum tegunt, quo vti foris consueuerunt, ita veluti aliam gerentes personam caueant ne quid aut agant, aut cogitent, quod alienum ab eo & loco & negotio sit, cuius causa vestem mutarunt. Tam in Choro, quàm in sacristia, quàm vbicumque locorum sint, ea veste cum induti sunt, non solùm a ridiculis, a iocis, a facetijs, a Cachinnis, a verbis futilibus temerè effundendis prorsus temperent, sed animum ab omni perturbatione, & ab omnium inanium rerum cogitatione abducant: totumque in Dei cultum colligant. Cogitent esse tum se in Dei ipsius conspectu, & in corona innumerabilium angelorum; & cùm eos mente venerentur, tum ab ijs & sibi, & alijs omnia ad salutem animæ vtilia deprecentur, & maximè casti-

tatem animi, & bene precandi donum dari ſibi poſtulent. In canendis pſalmis primò ſingulorum argumentum cogitent, deinde quis in eo loquatur, an Deus, an Eccleſia, an Pænitẽs; Mox ad ipſa verba ſentẽtiaſque intendant, vt quod ore proferunt, animo quoque concipiant; ac ſi de virtute Pſalmus loquatur, virtutis ipſi amore accendantur, ſi de vitijs eorum odio exardeſcant. Cùm illa verba pronunciantur Deus in audiorium meum intende, tum uerè animum ad implorandam diuinam opem excitent, cùm Pſalmi concluduntur, & gloria patri & filio, & ſpiritui ſancto datur, pariter ad Dei laudes inflammentur, idem faciant in fine precationum, cùm illis verbis concluduntur, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & cœtera, & ſpem in redemptionis noſtræ auctorem tum erigant. Ex omni Pſalmorum doctrina ſiue eos in Choro recitent, ſiue priuatim legant, hæc potiſſimum haurire ſtudeant, laudes Dei, memoriam bonorum noſtrorum, commemorationem noſtræ miſeriæ, & reprehenſionem malè agentium. In laudibus Dei bonitatem, dilectionem, benignitatem, ſapientiam, potentiam cum admiratione prędicent. In bonorum memoria ſummo deſiderio illa conſequendi afficiantur. In commemorandis miſerijs timor dolorque animum ſuæ infirmitatis gnarum ſubeat. In malorum reprehenſione, meditentur vim diuinæ vltionis, Deique iram nequitia ac peccatis ſummopere commoueri. Atque hunc maximè fructum ex pſallendi diſciplina capere omnes ſtudeant.

## DE MINISTRIS ECCLESIÆ CAP. 510.

QVOD de vniuerſa Eccleſia dictum eſt, eſſe eam vt caſtrorum aciem ordinatam, idem in ſingulis quoque Eccleſijs præſtandum eſt, vt ad illius ordinis ſpeciem, quoad eius fieri poteſt, formentur, ac diſponantur; atque ita cuique diſtributæ partes ſint, vt nemo vel ſuas negligat, vel occupet alienas; quod vt certiori ratione in cathedrali Eccleſia noſtra fiat, ſtatuimus, vt quiſque ſiue adiunctum ordini ac dignitati ſuæ, ſiue tributum a capitulo, ſiue a nobis iuſſum munus per ſe ipſum obeat, nec ſibi in eo alium ſubſtituere omnino liceat. In muneribus autem mandandis, miniſtriſque eligendis, quorum eligendorum ius penes capitulum eſt, quiſque pro ſua fide, ac religione eis ſemper ſuffragetur, quos muneri ipſi integritate atque induſtria aptiores eſſe iudicauerit.

## *De proprio cuique officio Singulis Eccleſiæ miniſtris aſſignando. Cap. 511.*

QVIA diuturnitate, ac varietate temporum factum eſſe videmus, vt Miniſtrorum Cathedralis Eccleſiæ noſtræ officia, alia deſuetudine obliterata, alia nouis conſuetudinibus peruerſa, commutataque ſint, vt cuncta ad priſcum vſum ſanctioriſque diſciplinæ morem reuocentur decernimus

mus, vt è Capitulo duo alter Canonicorum ipsorum suffragijs, alter nostro arbitratu eligantur, quorum nos consilio atque opera, veteribus recognitis, perspectisque institutis, propria cuique munera, quàm maximè sacrorum Canonum iussis, & nostræ Ecclesiæ rationibus consentanea, attribuemus.

*De Præfecto Chori instituendo.* *Cap.* 512.

QVANDO in cathedrali Ecclesia nostra nullus est Chori præfectus, & eius munus ad diuina officia rectè atque ordine peragēda, Chorique disciplinam continendam valde videtur esse necessarium, statuimus, vt Præfecti Chori partes, alternatis inter se septimo quoque die vicibus, exequantur Prior, Archidiaconus, & Præpositus. Ac si forte eos a Choro vno omnes tempore abesse contigerit, eorum vicem subeat, qui proximus illis Canonicus in Choro tum aderit.

*De officio Præfecti Chori.* *Cap.* 513.

HI igitur ex sua quisq; vice curā diuinorū officiorum suscipiant, vt nihil in ijs prætermittatur, quod disciplinæ ratio requirat, nihil absurde, nihil perperā, nihil præposterè, nihil indecorè fiat. Horas pulsandi cāpanas, tēporaq; conueniendi, inchoādiq; officia seruari; quemq; munus suū rectè & cum studio obire, atq; alieno abstinere, iubebunt. Quæ legenda erunt, vt explicatè, distinctè, & suetis cum verborum interpunctis, pronuncientur, cunctaque religiosè, ac decenter ab omnibus peragantur, curabunt. Si quem minus aptè rem agere, aut licentius in choro versari, aut omnino quid contra disciplinæ rationem facere animaduertent, eum pro modo culpæ nunc amanter admoneant, nunc grauius obiurgent; ac si quos monita respuere, & contumacius iussa detrectare intellexerint, Punctatori præcipiant, vt eorum nomina in librum mulctatorum referat, quod illis periende erit, ac si in Chorum non venissent; aut si opus esse intellexerint, rem ad nos deferat, qui iustas ab ijs pœnas reposcemus. Nemo verò audeat in Præfecti partes officiumque sese intrudere, aut iussa præceptaque ab illo retractare, aut diuersa præcipiendo turbare, & cōfundere; si quis fecerit portione, quæ ea die illi debebatur, mulctetur, a Punctatoreq; notetur. At ipse qui præsidet, si mandato officio defuerit, ac siue dolo, siue incuria sua solui, negligique Chori disciplinam patietur, multo nobis grauiores, quàm cæteri pœnas dabit.

*De singulis Clericis Chorum intrantibus.* *Cap.* 514.

IN Chorum Clerici omnium ordinum vno omnes tempore, vt suo loco a nobis traditum est, conuenire debebunt: at si quis cæptis iam diuinis officijs aduenerit, prius quidem in Sacristia Cottam, vestemque dignitati suæ, aut muneri

quod

quod obiturus erit congruentem induet, deinde Chorum intrans neminem prius ſalutabit, quàm in medium progreſſus, ad Altari, crucemque in Altari poſitam conuerſus, poſitis genibus paulum adorauerit; tum demum exurgens ſummiſſa capitis inclinatione, vniuerſum Chorum perhonorificè ſalutabit; & recta inde ſedem ſuam petet: ſi Canonicus fuerit, ei Canonici omnes apertis capitibus aſſurgent, & cum honore excipient. Idem honoris Capellani ſibi inter ſe habebunt, idem minores quoque Clerici; & cauebunt omnes, ne ante ſuam quiſque ſedem adeant, quàm in medio Choro, vt oſtendimus, adorauerint, Chorumque conſalutauerint.

## *Quo pacto ſit in Choro agendum.* Cap. 515.

CVM ventum in Chorum erit, quod fieri ſtatis cuique officio horis debet, in vtramque omnes partem diſcedent, omneſque diuinorum officiorum carmina alternis vicibus concinent, & omnes auribus, animiſque negocio intendent. Cauebitur ne quid perturbatè, ne quid curſim, & oſcitanter, ſed ſtudioſe omnia, diſtinctè, atque ordine peragantur. Quiſque ſtandi, ſedendi, ſurgendi, genua ſummittendi, caput aperiendi, atque inclinandi tempora norit; vt hæc omnia omnes ſimul præſtent, ac non ſolùm ex vocibus, ſed etiam ex actione quidam exiſtat concentus. Pileatus in Choro nemo aſſiſtat, quod ſi quis fecerit, a Præfecto Chori deponere pileum iubeatur, recuſantem parere, Punctator pro abſente habeat. Dormire, ridere, iocari, garrire, aut omnino colloquia, ac ſermones in Choro ſerere, quos ſponte ſua non pudebit, Præfectus admoneat; nam rixari, ac iurgare tam ſancto in loco auſurum nos quidem neminem arbitramur; at ſi qui adeo perfricto ore ac religionis tam parum reuerentes fuerint, qui audeant, ij a nobis pro eorum merito grauiſſime plectentur. ſua ſe quiſque in ſede ſemper contineat, præterquam cùm aut ad circulum, aut ad legile atque librum adeundum erit; vagari & modò ad hunc, modò ad illum accedere, quemquam, vt indecorum Præfectus ne patiatur. Nemo ex ſuo breuiario priuatim officium recitet, ſed quiſque communi officio cum cæteris operam det; nemo item aut libros, aut litteras, aut ſcriptum vllum tum legat.

## *De diſceſſu a Choro.* Cap. 516

A Choro, dum officia diuina peraguntur, nemo diſcedat, niſi neceſſaria de cauſa, & venia a Præfecto impetrata; ſacris demum abſolutis, omnes poſitis genibus, & ſummiſſa voce ſaltem Dominicam orationem recitent, ac inde accepto ab Hebdomadario ſigno, ſimul conſurgant, ſimulque inter ſe capite inclinato conſalutent; ac inde bini ordine procedentes, atque Crucem in Altare venerati, ſacriſtiam intrent, vbi quiete, modeſteque exuta Cotta, ad res quiſq; ſuas dilabatur. In ipſa verò Eccleſia induere, aut detrahere Cottam, vt indecorum

rum

rum prorſus vetamus. Qui huius decreti præſcripto non obtemperauerit, eum Præfectus corripiat, ſi ne correptus quidem ſemel paruerit, illius horæ diſtributio ne mulctetur, & res ad nos deferatur, qui pro modo culpæ eum puniemus.

*De Punctatore & eius officio.* *Cap. 517.*

PVNCTATOR fide maximè & integritate cõmendetur, vt neq; cuiquam qui notandus ſit gratiæ cauſa parcat, neque odio quemquã notet, qui meritus non fuerit; ſed conſtans, æquabiliſq; omnibus ſumma cũ religione munus ſuum exequatur; idq; facturum ſe iniens officium ſanctè apud nos iuret. Si quẽ aut notandũ præterierit, aut iniuria notauerit, vtriuſque mulctam ipſe ſubeat. Cũ autem eorum notet nomina, qui debitam diuinis officijs operam aſſiduitatemq; non præſtiterint, ſtataſque horas non obierint, tum illorum haud minus diligenter, qui contra diſciplinam Chori, Eccleſiæque aliquid deliquerint. Notatorum librum diligenter habeat cuſtodiatque, ne a quoquã adulterari vllo modo poſſit. At ſi quis admouere libro manus, ac vel notare quemquam, vel notati nomen delere, quãuis iniuria, aut errore notatum exiſtimaret, Punctatoris iniuſſu auſus fuerit, is pœna falſi teneatur. Si quis verò ſe non ſuo merito notatum contenderet, Præfecti Chori iudicio vtatur, aut rem ad nos deferat; liber ipſe ſingulis hebdomadis, aut ſummũ ſingulis menſibus in Capitulũ a Punctatore afferat, nominibuſq; notatorũ notiſq; recitatis, mulctæ ratio putetur putateq; duo è ſenioribus Canonicis, aut alij, quos Capitulũ deſignauerit, ſubſcribant. Punctator a Choro diuiniſque officijs nunquam abſit, niſi neceſſaria, iuſtaque de cauſa; ac ſic quoq; non niſi munus ſuum alteri delegauerit, qui Chori præfecto probetur. ſi ſecus fecerit tot dierum diſtributiones amittat, quot officio ſuo defuerit. Punctatoris munus repudiare nemini liceat, qui repudiarit ſuſpenſionis a diuinis alijſque pœnis a nobis ad illud ſuſcipiedum, gerendumque adigetur.

*De Iuramento a Punctatore præſtando.*
*Cap. 518.*

PVNCTATOR vt & apud alios excuſatior ſit, & ipſi negligenti eſſe non liceat, ſtatuimus vt in hæc apud nos verba iuret. Ego N. iuro & ſpondeo me Punctatoris munus quod ſuſcepi ſanctè atque integre executurum, nullius gratia, nullius odio à fide diſceſſurum, ſed omnium nomina notaturum, in librumque relaturum, qui aut choro diuiniſque officijs quam debent operam aſſiduitatemque non præſtiterint, aut conſtitutæ in Eccleſia, capituloque, ex diœceſana Synodo obeũdorum Eccleſiaſticorum munium, diſciplinæ defuerit,

De

*De quæstore seu Camerario.* Cap. 520.

QVÆSTOR seu Camerarius Capituli suffragijs in annũ designatus munus non abnuat; abnuens pœnis suscipere cogatur, nisi fortè nobis ad illud vtiliter administrandum minus idoneus visus fuerit. Diligenter Ecclesiæ iura tueatur, bonorumque ac vectigalium eius eam curam gerat, quæ ab industrio patrofamilias expectanda esset. Is cotidianas distributiones ita partiatur, vt nihil detrahat cuiquam, aut remittat mulctarum, quæ descriptę in libro Punctatoris erunt; siue absentiæ illæ, siue errati sint. Si secus fecerit, ijs ipse mulctis teneatur, & prætera vnius mensis distributionibus careat.

*De Magistro Cerimoniarum.* Cap. 521.

LONGE grauissimum est in Ecclesiastica re Magistri cerimoniarum munus, atq; officium. Quippe illius disciplina omnis, qui Deo tribuitur cultus, cōtinetur. Qui enim suã hoĩes erga Deũ fidem, seruitutẽ, & vt Theologi loquũtur, latriã testentur, sine hac exteriori actione, quæ certis ritibus, atq; disciplina cōprehensa, cerimonia dicitur? Quæ sacrarũ rerũ veneratio, quæ dignitas, qui honor, qui sine cerimonia splendor? Qua verò re magis populorũ animi ad contemplationem, desiderium que cęlestium rerum excitantur, & ad religionem, cultumque diuini numinis commouentur, quàm hoc ipso splendore, apparatuque, qui sacris rebus adhibetur? Qui autem hæ ipsæ actiones rectè, ordine, riteque obeantur, nisi sit, qui eas regat, qui moderetur, qui cuique quid quoque modo exequendum sit, præscribat? Ac nisi moderanti præscribentique ab omnibus sine vlla recusatione obtemperetur? Itaque vir in primis industrius, prudens, ingenio pariter, atque corpore agilis, & expeditus pro Ecclesiæ consuetudine è Canonicorum numero eligatur, qui omnia prompta, omnia percepta, notaque habeat, nihil vt in exequendo, præcipiendoque hæreat, nihil dubitet; omnia verò circunspicere, omnibus præsto adesse, omnia aptè, atque in tempore obire norit. Non quod fieri interdum ab imperitis, imprudentibusque videmus, modò rem incipiat, modò inceptam omittat, & nunc in hanc partem, nũc in illam intempestiuè transeat, & hunc modò increpet, modò illum indecorè sublata voce appellet, alium acersat, alium manu, & corpore aspernetur; denique cum alio iurget, cùm alio garriat, & cuius Dux, & magister disciplinæ constitutus sit, eam obturbet ipse maximè, atque confundat; quò nihil alienius, nihil absurdius dici, aut existimari potest. Longè noster ab tam prauo tanque odioso more absit; sed cùm ipse nullo loco, nulli rei, nulli actioni desit, ac sedatè, decorè, ac per silentium cuncta agendi, & suo cuncta tempore obeundi exẽplum alijs præbeat, tum ea humanitate, ea modestia imperet, vt pudorem non parendi omnibus incutiat. Minimè verò, quod importuni quidam, atq; agrestes faciunt, asperitate imperandi, necessitatem imperata detractandi imponat.

Nos tamen, quia disciplinę ratio ita postulat, dicto audientes illi esse adeo omnes iubemus, vt nos quoque ipsi obtemperaturi ei munus suum exequenti simus; si quis iussa abnuerit, cum Præfectus Chori acribus verbis, vt opus esse intelliget, castigabit; aut si parum videbitur, ad nos ipsos rem deferet. Ipse autem magister, si aut per nimiam negligentiam, aut per contumaciam muneri suo defuerit, a nobis pro eius merito punietur.

*De Officio Magistri cerimoniarum.* *Cap.* 522.

HVIVS igitur partes erunt denunciare officium ex breuiarij ratione cuiusmodi faciendum sit, simplex, an solenne, de feria, an de festo, an de Dominica; quæ Antiphonæ, quæ orationes, qui psalmi, quæ lectiones, & à quibus recitandæ, canendæuè. Item quando standum, quando sedendum, quando summitendum caput, quando genua ponenda. Eiusdem erit ministros omnes sui quemque muneris admonere; adolescentes, rudesque, quibus vel Euangelium, vel Epistola, vel aliud publicè recitandum sit, prius in Sacristia audire, erudireque, & maximè nouos Sacerdotes in sacrificandi disciplina, ritibusque instituere; Sacerdotis ad solemne sacrificium, aut ad vesperas è Sacristia cum Clericorum agmine progredientis pompam instruere, bini incedentes, qui primi, qui secundi, qui cum luminibus anteire debeant, qui cum libro, qui cum Calice, pręscribere. Eodem ordine vt reuertantur curare. Canonicos, cùm nos solemnibus sacris pręsentes adsumus, ad circulos mature excite. Cùm verò sacris ipsis operaturi nos erimus, siue in Cathedrali, siue in alia Ecclesia, prius singula diligenter inspicere, vestes, Altare, Abbacum, solium Episcopale, vt omnia ritè pręparata, instructaque sint.

*De Sacrista.* *Cap.* 523.

SACRARIO, seu Sacristię Canonicus, quando mos Ecclesię nostrę id obtinuit, semper pręsit, Capitulique suffragijs creetur; cura & munus eius annuum sit; nec tamen si fidem diligentiamque suam probauit, prorogari ei tempus vetamus. Huic Ministri Sacristię pareant, iussaque illius exequantur. At ipse frequens in Sacristia sit, quęque in rem videbuntur pręcipiat. Nos enim si ministri satis officio suo non fecerint, non ipsis, sed Sacristę culpæ vertemus. Vestis omnis generis sericæ, laneæ, linteæ, vasorum præterea instrumentiq; omnis inuentaria penes se habeat, eaque inde cum ipsis rebus, successori tradat.

*De officio Sacristiæ.* *Cap.* 524.

NON parua Sacristæ cura, nec parui est in Ecclesia vsus, quamuis versari interdum paruis in rebus videatur. Primùm supellex Sacristiæ omnis, ne

ne tineis vitietur, neuè squallore, situ, puluereque obsordescat, sæpe vt excutiatur, explicetur, peruertatur, in armarijs, loculisque suis rectè, atque ex vsu composita recondatur; fracta, dissutaque vt sarciatur, consumpta vt cædatur, in alteriusq; rei vsum formetur, more frugi patris familias, curabit. Argentea ab alijs vasibus, lintea in ab alia veste separari, iubebit; atque hanc quidem frequenter lauari, ac prorsus summo studio haberi, vt numquam non pura, candidaq; promatur, sacrisque adhibeatur. Vinum album potius quam rubens, maximeq; merum, ac defecatū, & Hostiarum recentium tenuiumq; copia vt suppetat, videbit; item oleū, ceraque, & vt cerei, candelæque, & lampades quot, quoq; tēpore, quoque loco opus est, incendantur. Altaria ritè vestiri, ornarique festis præsertim diebus; & totam sæpe verri, & omni sordè purgari, excolique Ecclesiam, iubebit. Diuinorum officiorum status horas seruari, signumque ad ea conueniendi in tempore dari, Aquam benedictam singulis saltem septimanis renouari; sacristia non solum seculares prohibebit, sed ipsos quoque Clericos non nisi modestè versari in ea patietur. sermonesque inanibus de rebus, risus iocosque, sacristia prorsus arcebit, silentiumque teneri in ea iubebit. Sacristiæ supellectilem cuiuscunq; generis ea sit, neq; ipse ad profanum domesticumq; vsum adhibebit vnquam, neque adhibendum alijs commodabit. In Sacristia ipsa vasa, sacrasque vestes laicorum manibus contrectari non patietur.

## *De Missarum ratione a sacrista præscribenda.* *Cap.* 525.

TRES in Sacristia tabellæ, sacristæ cura affigantur, quarum Altera, quæ pro mortuis missæ, quoque in Altari, quoque die celebrandæ, ex iure ab auctore rei statuto, sint, habeat. In altera quas vnusquisque Missas officiaque singulis Altaribus, aut Ecclesiæ debet, describantur. In tertia septimo quoque die renouanda quid ab singulis sacerdotibus, alijsque recitandum, canendum, præstandumque singulis per hebdomadam diebus, horisque sit; quemq; eadem hebdomada Chori magistrum sit habitura contineat, item si quod mortuis officium persoluendum, & a quo, vt nemo quid sibi agendum sit ignoret, ac si quis iusta aliqua causa impediretur, alteri delegare munus suum possit. Ex harum tabellarum ratione vt omnia administrentur, sacristę curę erit. Plures simul ad celebrandum Sacerdotes exire non permittat, nec pluribus quam duobus aut summum tribus in Altaribus eodem tempore sacra fieri, atque ijs inter se ita distantibus, vt alter alterius voce non interpelletur. Item cotidie omnium qui Missam, quodque ad Altare celebrauerint nomina describat, eaque exeunte hebdomada, ad Vicarium nostrum afferat, vt cognoscere ex ijs possit, an quisque satis muneri suo fecerit.

*De Sacristia.* Cap. 526.

SACRARIVM seu sacristia detur opera, vt dealbata diligenter, nitida, splẽdidaque habeatur. Fenestræ clatris ferreis, firmisque muniantur, & opere vitreo obstruantur; ita tamen vt aperiri, ac patefieri possint; quod sæpe faciendum erit, vt inclusus aer exeat, nouusque recipiatur. Quæ res & si quid vliginis, tetrique odoris fuerit auferet, & locus ipse ob id salubrior erit; sæpe item peruerratur, perpurgeturque, atque ita omnia suo quidque loco disponantur, vt & promptum ministro sit quamque rem, cùm est opus, promere, & Sacristia ipsa nullis vsquam impedimentis occupetur.

*De Altari Sacristiæ.* Cap. 527.

ALTARE in Sacristia statui iubemus, siue id ex armario aliquo, siue ex mensa fiat, instruique ligneo gradu paulo depressiori, pallio item, mappis, cruce, candelabris, reliquorum altarium instar; vt apud eum Sacerdotes, & suscipere sacras vestes cùm sacrificaturi sunt, & sacrificio peracto deponere.

*De oratorio Sacristiæ.* Cap. 528.

IN Sacristia, quod supra cùm de sacrificio Missæ ageremus traditum a nobis est, remota in parte siue intus, siue foras prominens cellula sit, in quam secedere sacerdos ad se colligendum precandumque priusquam sacrum faciat, possit. In ea parua mensa in Altaris maximè formam collocetur, super quam parieti applicata imago crucifixi, aut alia pia effigies sit. Atque ante mensam scabellum depressum ad mensæ modum, in quo genua ponere, & cubitis niti Sacerdos dum adorat possit. Præter religiosas imagines tabellæ quoque in eadem mensa habeantur cum pijs præcationibus, quibus Sacerdotes ante sacrificiũ animum componere, & Deum propitiare sibi consueuerunt.

*De Vase Aquario Sacristiæ.* Cap. 529.

VAS in Sacristia habeatur, cuius vsus lauandis manibus sit; si locus & Ecclesiæ facultates ferant, marmoreum, parieti ipsi inditum fiat, ex eoque missa paruis æneis fistulis aqua, concauo alueolo item marmoreo excipiatur, atq; inde extra Sacristiam aliò deriuetur; si hæc ita comparari non poterunt, aqua ex situla ærea per papillam Gallinacei formam referentem in lapideum alueum aut aliud subiectum vas defluat. Propè Aquarium linteum tornatili, volubiliq; instrumento dependeat, quod promptũ manus lauantibus sit, ad eas extergendas, siccandasque. Sæpe mutetur, quò candidum semper mundumq; habeatur.

### De Armarijs Sacristiæ. Cap. 530.

ARMARIA in Sacristia quot, & quæ vsus poscet condendæ sacræ vesti asseruandæq; ædificentur; atque vndique parietibus ita applicentur, vt spatij quam minimum occupent. Alte a pauimento paulo plus duobus cubitis extruantur, & nucea maximè materia fiant. Ductilibus capsis ea magnitudine quibus vestimenta extendi commodè possint, distinguantur. Quo pro colorum varietate, ac vestium genere locari, dispartitique, suo quidque loco possit; super hæc angustiora armariola parieti item hærentia inædificentur; in quibus separatim sacri Calices, Patenæ, Corporalia, Purificatoria, vela, aliaque huius generis aptis mundisque loculis recondantur. In Armariorum lateribus capsę aliæ item ductiles eodem opere inserantur, in quas lurida lintea, quæq; lauanda mox erunt, conijciantur. Omnia autem valuis eleganter elaboratis, & seris, clauibusque varij operis concludantur. Asseruandis autem libris proprium, & rei accommodata forma, armarium in Sacristia habeatur.

### De longurijs Sacristiæ. Cap. 531.

VTILE quoque erit ad vestes exponendas explicandasque, cùm opus erit, longurios in Sacristia è tecto, siue illud laqueatum, siue cameratum sit pendentes habere, siue qui Trochlæis, ac ductilibus funibus tolli dimittique possint, siue qui ferreis annulis vtrinque traiecti, & quantum vsus poscit a testudine remoti, habeantur.

### De Armarijs Canonicorum in Sacristia. Cap. 532.

IN Cathedralis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sacristia addantur armaria, seu capsæ apto sitæ loco, in quibus tam Canonici, quàm cæteri Chori ministri suas quisque Cottas, quasque alias in Choro adhibere vestes solent reponere, & asseruare commodè possint. Si capsæ fient ita ædificentur, vt sedendi quoque tum maximè cum Capitulum habebitur, vsum præbeant.

### De Cubiculo Sacristiæ proximo. Cap. 533.

PROPE Sacristiā cubiculum aliud, locusq; esse debet, in quo impedimenta quædam, & quasi crassior Ecclesiæ supellex condatur; vt feretra, candelabra grandiora ferrea, ligneaue; Vasa item maiora, perticæ, scalæ, scopæ, ligones, batilla, aliaque instrumenta varij generis, quorum neque frequens est vsus, & ab Ecclesia, Sacristiaque summouenda sunt, ne eam parum decenter impediant.

*De Tabellis in Sacristia habendis.* *Cap.* 534.

VARIÆ varijque vsus tabellæ appendi, haberique in Sacristia debent, vt de quaque a nobis suis locis traditum est.
Tabella cum ijs præcatiunculis, quæ ad vnamquamque vestem accomodantur, quæ eo maximè loco sit, vbi Sacerdotes sacra sibi indumenta circundant.
Tabella item loco idoneo appendatur, quæ Missas, anniuersariaque sacra tá, quæ communiter ab vniuersis, quàm quæ ab singulis, & quo quęque die facienda persoluendaque sunt, contineat.
Tabella in qua Episcoporum omnium, qui Ecclesiæ nostræ præfuerunt nomina, temporaque quibus quisque vixit descripta sint, vt eorum lectione Sacerdotes sacra facturi ijs Deum propitium precari admoneantur.
Tabella de professione fidei.
Tabella sacrarum reliquiarum, quæ in Ecclesia reconduntur.
Tabella indulgentiarum Ecclesiæ in perpetuum concessarum.
Tabellæ piarum præcationum, quibus se Sacerdos ad sacrificandum componit.
Tabella horarum, quibus celebrandæ Missæ erunt.
Tabella Missarum, quæ ex Ecclesiæ nostrę consuetudine, atq; ex huiusce sinodi decreto Episcopo solemniter celebrandæ erunt.
Tabella qua contineatur, qua quodq; diuinum officium hora fieri, eiusq; signum Campanis dari debeat.
Tabella, qua qui, quibusque diebus temporibusque sacrarum vestium colores adhibendi sint, demonstretur.
Tabella festorum dierum, qui in nostra Ecclesia, vel ex præcepto, vel consuetudine coluntur.

*De Cathedralis Sacristiæ suppellectili.* *Cap.* 535.

QVANTVM per facultates licet, dari operam iubemus, vt Cathedralis Ecclesiæ nostræ sacristia hac suppellectili, quàm primùm fieri poterit instruatur; sunt enim omnia ad diuinorum officiorum, & Ecclesiæ cultum admodum necessaria.
Instrumentum ferreum, quo Hostiæ conficiuntur.
Vas vnum, in quod confectæ Hostiæ conijciuntur.
Vasculum aliud, quo circuncisæ Hostiæ asseruantur.
Capsula Corporalium mundorum.
Capsula Corporalium, quę lauanda erunt.
Capsula Purificatoriorum mundorum.
Capsula Purificatoriorum, quæ lauanda erunt.
Capsula sudariolorum mundorum.
Capsula sudariolorum, quę lauada erunt.
Sacculi linei bini, vnicuiqui Calici inuoluendo.

Sacculi cuiuſque pixidis bini.
Crepidarum mundarum paria duo, quas induat Sacerdos, ſi luto inquinati calcei deponendi ſacra facturo erunt.
Liber in quo vt quiſque Sacerdos ſacrificium fecerit, ad quod id Altare fecerit, ſua manu ſcribere cotidie, & ſuum nomen addere debebit.
Liber Punctatoris, in quem ſcilicet eorum nomina cotidie referantur, qui ſacrificium aliaque officia, quę quiſque obire debebat, omiſerunt.
Liber huiuſce Synodi.
Liber Concilij Tridentini.
Liber probatæ hiſtoriæ reliquiarum in Eccleſia conditarum.
Liber Baptizatorum.
Liber Confirmatorum.
Liber Matrimoniorum.
Liber de ſtatu animarum.
Tripus cum patella igni, candentibuſque carbonibus continendis.
Forcipes ferrei ad ignem cùm opus eſt comprehendendum.
Ferreum Coclear ad ignem miniſtrandum.
Vaſa olei pro lampadibus.
Vaſa minora olei ad oleum in lampades infundendum.
Infidibula ad oleum è maioribus in minora vaſa transfundendum.
Scopulæ plures è paluſtribus cannis ad veſtes tergendas.
Scopæ item plures ad pauimenta verrenda.
Scalæ geſtatoriæ.
Ligo.
Battillum.
Raſtrum.
Haſtilia ſeu perticæ aliquot.
Spongiæ grandiores ad varios vſus.

*De prioris anni parte fructuum a nouis Canonicis ſacriſtiæ relinquenda.*
*Cap. 336.*

VT inopiæ ſacriſtiæ quibus poſſumus rationibus ſubueniamus, ſtatuimus vt in poſterum, quicunq; dignitatem aut Canonicatum obtinuerit, ſuetam Eccleſiæ aſſiduitatem, operamque præſtans, prioris tamen anni quo cooptatus in Capitulum fuerit, partem tantùm dimidiam tam præbendę, quàm cotidianarum diſtributionum percipiat; pars altera Sacriſtiæ cedat; cui eam huiuſce decreti auctoritate iam nunc in perpetuum tribuimus, & aſſignamus.

## DE CANONICIS.
### CAP. 537.

CANONICORVM vita studiumque Ecclesiasticæ disciplinæ congrue re cum nomine, quo nobilitantur, sanè debet, quos enim a recta ratione rectaque viuendi regula deflectere, aut a sacris legibus desciscere minus conuenit, quã quorũ dignitatẽ mutuatum inde nomen decorat, atque ornat? Dent igitur operam, vt quemadmodum in Cathedrali Ecclesia secundum Episcopi amplitudinem primum honoris locum tenent, ita etiam religionis atque pietatis laude studijsq; cęteros antecant, & diuinis cerimonijs officijsq; eã obseruantiam assiduitatemq; præstent, vt eorum exemplo non reliqui modo clerici, sed populus quoque ad sacra frequentanda sanctèque colenda excitentur, atque accendantur.

*De nouis Canonicis in Cap. admittendis.* *Cap.* 538.

IN Canonicorum Collegium quemquam cooptari admittique vetamus, qui sacris ordinibus Præsbyteratus, aut Diaconatus, aut Subdiaconatus initiatus non sit; aut certè, qui ętatem eam non agat, per quam hos capere ordines liceat. Quod quidem exequi intra anni vnius spatium, initiarique debebit. Atque intra id ipsum tempus ei neque dicendæ in capitulo sententiæ, neque suffragij ferendi ius erit. Id si neglexerit, nullos ex canonicatu percipiat fructus, & perinde habeatur ac si Canonicus non esset; quin ipso iure sine alia declaratione priuatus Canonicatu esse censeatur.

*De Iuramento Canonicorum.* *Cap.* 539.

QVICVNQVE Canonicatum adeptus fuerit, antequam eius possessionem adeat, aut summum antequam duo menses post aditã eam elabantur, fidem catholicam ex formula à Pio Quarto Pont. Maximo edita, apud nos aut apud Vicarium nostrum profiteatur; seque in potestate, atque obedientia Sedis Apostolicæ perpetuò futurũ spondeat ac iuret. Ac eodem iureiurando apud ipsos quoque Canonicos in capitulo se obstringat. Quod si omiserit, fructus capere vt suos non possit, nec ei ad id possessionem adijsse suffragetur, aut ius vllum addat.

*Canonici omnes in choro psallant.* *Cap.* 540.

NON satis est præsentes in Choro ac veluti auditores tantùm ac spectatores diuinorum officiorum esse Canonicos, nisi vni maximè ijs operam, atque diligentiam suam, tanto magis nauent, quanto honestiorem dignitatis locum obtinent. Itaque nos quod Concilij Tridentini auctoritate sancitum est,

Canonicis omnibus, præcipimus, vt sua ipsi munera per se obeant, & in Choro ita cum cœteris alterna modulatione psalmos, aliaque diuinorum officiorum carmina concinant, vt qui non fecerint; eos a Punctatore perinde notari, ac si absentes essent, iubeamus, & earum horarum distributione mulctari, quas non hac lege obiuerint, quod enim dici vulgo solet, beneficium datur propter officium.

*De Canonico Hebdomadario. Cap. 541.*

SINGVLIS hebdomadis Sacerdos è Canonicorum numero hebdomadarius constituatur. Huic prima in Choro sede cedatur. Diuina officia idem inchoet, idem concludat Conuentualem Missam cotidie, sueto cũ cantu, celebret. Aut si ferialibus diebus substituere sibi in ea cantanda e Capellanis aliquem maluerit, Dominicis vtique, ac alijs festis diebus ipse per se sacrum faciat, canatque. Octauo die alius illi, ac deinceps alius ordinis eiusdem Sacerdos in orbem succedat. Hebdomadarius si officio suo defuerit, eius nomen à Punctatore inter notos referatur, ac trium dierum distributionibus mulctetur.

*Hebdomadarius diebus festis Pluuiali vtatur. Cap. 542.*

MAGNAM Sacerdos Hebdomadarius personam cum gerat, eam ipso quoque ornatu honestare venerabilioremque facere videtur debere; & quemadmodum prima illi sedes in choro tribuitur, ita vestis quoque genere ab alijs est distinguendus. Volumus igitur, ut omnibus Dominicis festisque diebus, quæ duplicis officij honore celebrantur, Canonicus Hebdomadarius cùm Vespe rarum officia obit, Pluuiali vtatur, idque ita in posterum obseruari semper iubemus, item vt ijsdem diebus himni, antiphonæq; in Vesperis non simplici verborum pronunciatione, sed cantu, & vocum flexione modulationeque concinantur, mandamus.

*De Circulis. Cap. 543.*

CANONICI cùm de more ad circulum, ante Episcopũ conuenturi erunt, quod quater in solemnibus sacris fit, nihil morari, sed anticipare potius aliquid temporis debebunt, vt cùm surgit Episcopus, omnes adstent. A sua quisque prodibit sede, cunctique simul se Episcopi solio coronæ in modum circumfundent. In cuiusque actionis fine cum ad suas redituri sedes sunt, non ipsi se cruce signent, sed demisso capite ab ipso Episcopo benedictionem accipiant; caueant omnes ne in hoc obeundo officio, segnes, aut incuriosi sint, sed intenti temporí non parui referre existiment hæc diligenter apteque officia obiri.

*De Amultia à Canonicis gestanda.* Cap. 544.

QVOD omnibus fermè in Ecclesijs præsertim Cathedralibus fit, vt Canonicorum dignitas, dum diuinis officijs operantur, proprio aliquo ordinis eius insigni ab alijs Clericis, Sacerdotibusque distinguatur; nos in nostra quoque Ecclesia fieri honoris Canonicorum causa volumus. Itaque Priori, Canonicis Capitulo mãdamus, vt infra triginta dies à die promulgati hui⁹ decreti, vnusquisque eorum pelliceam Almutiam sibi comparet, cuius pars exterior murium dorsis fiat, quæ cinerei coloris sunt, & pelles ipsæ vulgo Dorsa ab re vocitantur. Interior eiusdem bestiæ detractis ventri pellibus, quæ quia partim albæ, partim cinereæ sunt, variæ dicuntur. Et in posterum Canonici Chorum sine Cotta, & Almutia ne intrent.

*Chirotecis Clerici in Ecclesia ne vtantur.* Cap. 545.

CLERICOS cuiuscunque ordinis sint, nudas manus non tectas, proprias, expeditasq; Ecclesiasticis muneribus, non tegmine vllo impeditas habere in Ecclesia diuinisq; officijs operantes, assistentesuè decet. Proinde tam Canonicos, & inter Canonicos dignitate præditos, quàm alios omnes Clericos, siue diuinis certarum horarum officijs, siue supplicationibus, siue funeribus operã dẽt, denique dum amicti Cotta in Ecclesia, aut in Ecclesiasticis muneribus versantur, chirothecas manibus induere, aut ijs omnino vti penitus vetamus.

*De Canonicorum, & Cleri officio Episcopum deducendi, eique assistendi.* Cap. 546.

VT suus semper Episcopali amplitudini honor constet, & cleri aduersus Episcopum obseruantia omnibus rebus declaretur, volumus, & iubemus, vt quoties Episcopus ad Cathedralem seu aliam Ecclesiam ad solemne sacrificiũ, diuinaque alia officia est proditurus, Canonici, alijque cuiuscunque ordinis clerici, linea omnes in veste, cottaque, in Episcopi ædes ad eum deducendum conueniant, prodeuntem quam reuerentissime salutatum antecedãt; nec ab eo donec suo in solio consederit abscedant. Pari quoque ratione a sacris domum se recipientem eundem ad locum vbi exeuntem exceperunt, reducant. At verò siue in Cathedrali, siue in alia Ecclesia, siue in Vrbe, siue in Diœcesi Ecclesias cemiteriauè consecranti seu reconcilianti, sacros ordines conferenti, sacro chrismate confirmanti, sanctissimam Eucharistiam ministranti, muniaque Pontificalia exercenti, aut quocunque modo rebus diuinis operam danti, perpetuò assistant, inseruiantque, & quod cuique munus iniungetur exequantur. Verùm non Ecclesiam solùm adeunti id officium affectandi, deducendique Episcopo præstare, sed quoties per vrbem publicumque incesserit, maximè canonicos obseruare, & præsto

esse,

esse, comitesque se illi, atque assectatores addere iubemus, vt non solùm debitus Episcopo honor habeatur, sed quanta tum cleri totius, tum in primis Canonicorum cum suo Episcopo coniunctio, necessitudoque intercedat, ex hac quoque eorum assiduitate, atque obseruantia intelligatur. Quos autem nos horum officiorum negligentes esse comperiemus, eos & pecunia mulctabimus, & alijs quoque pœnis, vt meriti fuerint arbitratu nostro afficiemus, vt qui ad Ecclesiasticę disciplinę, & Episcopi sui cultum segnes sunt, notę, atque mulctę metu prorsus excitentur. Hanc autem teneri ab ijs rationem volumus, vt quoties Canonici clerusque linteatus cum cottis Episcopum deducent, illum anteeant, cùm togati, nec alia quàm qua ad Ecclesiam venire solent veste induti fuerint, sequãtur. Linteati verò semper esse debebunt, cum ad Ecclesiam Episcopũ deducent.

*De duobus Episcopi assistenibus.* *Cap.* 547.

CVM Episcopus Ecclesiastico munere siue in Cathedrali, siue in alia Ecclesia fungitur, nunquam committatur, quin eius latera duo è capitulo dignitate pręstantes, tegant, eiq; assistant, & assistentium officia omnia pręstent, vt cerimoniarum ac rituum ratio postulabit, siue ille Missę conuentuali, seu diuinis officijs in choro intersit, seu supplicationes obeat, siue aliud quodcunque Ecclesiasticum munus agat.

*De Capitulo à pia precatione inchoando.* *Cap.* 548.

CAPITVLVM nunq̃ nisi ab illa precatione exordium sumat, qua mos est diuini spiritus numen, opemque implorari; quod in omni cætu conuentuque, qui vel publicè, vel priuatim tam à nobis, quàm ab Ecclesiasticis hominibus habeatur, teneri seruarique iubemus; neque enim homines diuino cultui addictos sine diuinę opis imploratione, incipere aut agere quicquã decet Item neq; capitulũ, neq; vllus Ecclesiasticorũ conuentus dimittatur vnquã, quin pari precatione concludatur. Vtraque autem ab eo recitetur, qui cętui ipsi præsidebit.

*De die habendi Capituli, ac de Absentibus.* *Cap.* 549.

CONsuetudinem Ecclesię nostrę Capitulum in Sacristia secunda feria habẽdi non mutamus, tantũ non prętermitti, quin singulis hebdomadis habeatur, iubemus, nisi ea dies festa sit; festis enim diebus capitulum haberi, nisi grauis aliquã ac necessaria causa intercedat, non debet; sed in aliam differri diem; ne tum quidem cogi debebit, cùm officia diuina in Ecclesia celebrantur. A Capitulo nemo Canonicorum absit. Qui sine iusta causa, quę à nobis, aut Vicario nostro probetur, abfuerit, vnius diei distributionibus mulctetur; spernere enim Collegium, ordinemque suum videtur, qui coeuntes ad consultandum de communibus rebus collegas deserit. Si cogendi extra ordinẽ capituli causa inciderit,

tùm Canonici nominatim euocentur omnes qui in vrbe inueniri potuerint, minister ad singulos citandos missus de citatis ab se Cancellario capituli renunciet atque idipsum in acta Capituli referat, recusantibus adesse eadem mulcta sit.

*Capitulum nisi ex nostra, aut Vicarij nostri auctoritat: non habeatur.*
*Cap. 550.*

POSTVLAT Ecclesiasticæ disciplinæ ratio, vt Capitulum nunquam cogatur habeaturuè, nisi ex nostra aut Vicarij nostri auctoritate. Cùm enim ad curam nostram maxime illa pertineant, quæ Collegium Canonicorum Ecclesiæ nostræ attingunt, ne agi quidem conuenit inter eos quicquam, sine auctoritatē, ac scitu nostro. Ergo statuimus vt nemini habendi cogendiuè Capituli ius sit, nisi ei aut Vicarius noster intersit, qui præsideat, aut ipse nosuè haberi, cogique permisserimus iusserimusuè. In Capitulo autem contra huius decreti voluntatem habito quicquid actum decretumuè fuerit, irritum esse & nullam habere vim decernimus.

*De ratione habendi Capituli. Cap. 551.*

CANONICI eo habitu vestituque ad Capitulum conuenire debent, quo in Choro vtuntur, qui secus fecerit, huic sententiæ dicende ferendique suffragij iure interdictum esto. perindeque habeatur, ac si non adesset. In medio Sacristiæ spatio mensa statuatur laneo viridi panno strata, superque ea nihil sit præter tabellam precationum, & cartam, & calamum, & atramentum. Circum eam mensam canonici suo quisque loco considèant. Præterquam de rebus, quarum causa conuenere non colloquātur, ne varijs & ab re alienis sermonibus tempus trahatur, institutaq; negotia confundantur. Præcatione vt ostendimus, ab eo qui pręest recitata, suo quisq; loco modeste ac serio, si quid habet, de coībus rebus referat, aut sententiam de relatis ab alio dicat, dicentem nemo interpellet.

*De ordine sedendi incedendique Canonicis tenendò. Cap. 552.*

NE qua dissensio oriri inter canonicos de iure in capitulo, aut in Choro sedendi aut in publicum incedendi possit, hanc regulam omnibus tam cathedralis, quā Collogiatæ Ecclesiæ canonicis præscribimus, ab eaque discedi prorsus vetamus. Ac illi quidem alijs non dubie præferantur, qui dignitate aliqua præstant, vt in cathedrali Ecclesia nostra Prior, Archidiaconus. Prępositus. Secundum hos primum locum ij canonici teneant, qui præsbiteratu præditi sunt. Hos Diaconi ac deinceps Subdiaconi sequantur. Ipsorum autem qui sacris ordineque eodem continentur, vt quisque prior in capitulum peruenerit, canonicatusque sui possessionem adeptus fuerit, ita alios loco antecedat; sic fiet vt omnis discordiarum, atque contentionum materia hoc in genere amputetur.

De

*De his qui Capituli habendi rationem perturbant.*
*Cap.* 553.

NEMO in Capitulo, aut alterius sedem occupare, aut ex alieno loco sententiam dicere, aut dicentem alterum interfari, interpellareque, aut omnino cuiquam negotium facere, obstrepereque audeat; nemo item nisi missione à Vicario nostro, qui Capitulo præest impetrata, ante dimissum Capitulum discedere audeat: si quis ausent mulctam persoluat, quam ei Vicarius ipse indicet, atque ea die dicenda sententia prohibeatur. Intempestiui ioci, risusque, & scurrilis dicacitas ab eius loci, actionisque grauitate longissimè absit. Qui sententijs inter se discrepabunt, licebit quidem suam cuique tueri, dissentientique responderé, & contra differere, dum id sine ira & contentione fiat, ex qua oriri iurgia, rixæ, contumeliæque solent; quas penitus ab ijs & rebus, & personis, & loco remotas esse conuenit. Itaque Vicarius noster Capitulo præsidens, cùm incalescere iam altercatione animos aliquorum senserit, priusquã vltra progrediantur, silere vtrosque iubebit; iubenti qui non paruerint, aut iracundia elati abiecto pudore protinus sese mutuis maledictis, contumelijsque incessere non verebuntur, eos quidem Vicarius adhibitis etiam si opus erit alijs Canonicis in gratiam reducere statim conabitur; cęterum rem ad nos deferet, qui rixosos, & contumaces illos aut ad annum, si meriti fuerint, veniendi in Capitulum potestate priuabimus, aut alijs pœnis pro modo culpæ afficiemus. Item omnes quicunque in Choro, aut in Ecclesia dicto factoue alium violauerit, Punctatori præcipimus, vt in notatorum numerum referat, Præfectoque Chori vt nos certiores faciat, qui in eos quã meriti pęnam fuerint statuemus. Quod si aut Punctator, aut Præfectus huic officio defuerit, quæ violatoribus debebitur pena, eam ipsi quoque subibunt.

*De mandatis à Capitulo muneribus non recusandis.*
*Cap.* 554.

HAVD minus eorum reprehendenda ratio esse videtur, qui aut sorte ducti, aut iustis Capituli suffragijs ad aliquod publicum munus negotiumuè gerendum delecti, id pertinaciter refugiunt, quàm qui vltro ea appetunt, ambiuntque. Vt enim hos cupiditatis, ita illos contumaciæ suspicio redarguit. Itaque nos statuimus, ne cui liceat officium sibi à Capitulo mandatum recusare, nisi recusandi causam Capitulum ipsum occultis suffragijs probarit. Qui autem causa à Capitulo reiecta, in recusandi pertinacia perstiterit, is anni vnius cotidianarum distributionum parte dimidia mulctetur. Cœterum si iniuriam sibi in ea re factam à Capitulo existimarit, licere ei volumus causam ipsam ad nos deferre, qui re cognita perpensaque, quod æquum fuerit statuemus.

*De præbendis, quarum optio est, distinguendis.* *Cap.* 555.

CANONICORVM præbendæ propria singulæ appellatione distinguantur, eaque à sanctorum nominibus sumatur, idque intra trigesimū diem fiat. Cùm enim sæpe quam modo hic possidebat, ea in alium optione trāsferatur, prouidendum sanè videtur, vt ex crebra mutatione neque bona præbendarum confundantur, neque iura ob id aliquando intereant. Omnibus ad Capitulum relatis, singulis sancti alicuius nomen imponatur, quod & perpetuò retineant, & ab eo in posterum appellentur, distinguanturque.

*De ratione vnamquamque rem in Capitulo deliberandi.* *Cap.* 556.

SÆPE numero vbi res in plurium conuentu palam aguntur, exclusa libertate, pars maxima non tam iudicio, quàm gratia ferri se patitur; dum quisque alterius, aut vitare offensionem, aut gratiam inire studet; ita fit vt obnoxijs sententijs non quæ publicè vtilia sint censeantur, sed quæ priuatim expetuntur, consulantur; nec quod omnes conducere in commune existimant, sed quod pauci, atq; adeo quod vnus modo vult statuatur. Quæ res haud mediocria inferre Capitulis incommoda solet. Ad hanc antiquandam in capitulo nostro abolendamque consuetudinem, statuimus; vt siue de locationibus, siue de contractibus, siue de officijs mandandis, siue de litteris scribendis, siue de sumptibus faciendis, seu quacunque alia de re deliberetur, sententiam quidem suam dicendo exequi cuique liceat, res tamen aliter quàm latis occultè suffragijs non decernatur, nec nisi duæ ex tribus partibus consenserint. Quicquid autem contra huius decreti præscriptum fuerit statutum, id irritum prorsus, atque inane esse iubemus.

*De Canonicis aliquid à capitulo petentibus.* *Cap.* 557.

SI quid ab aliquo Canonicorum petitū à capitulo fuerit, vt omnibus ad cōsulendum quod pro sua quisque religione è Capituli re esse existimarit, liberior, neque præsenti cuiquam vlla verecundia obstricta voluntas relinquatur, statuimus, vt Canonicus ipse, qui petijt, simul ac quæ velit exposuerit, Capitulò egrediatur; item si quis alius tertio gradu propinquior illi adesset. Quod tum quoque fieri seruarique iubemus, cùm Canonicus non sibi sed alicui suorum quid petierit. Alij verò qui Canonici non sint, & aliquid a Capitulo petierint, non dubiū, quin statim peracto postulato, discedant; vtrinq; Canonici qui eum arcta vt diximus propinquitate attingerent. De postulatis autem ipsis occulta, vt supra traditum est, suffragia ineantur. Atque hæc ni ita fiant, siue concessum petenti, siue negatum sit, vim nullam habere decernimus.

*De bonis Capituli à Canonicis non conducendis.* Cap. 558.

CAPITVLI vniuersi vtilitas singulorum Canonicorum commodis præferri profectò debet; quod vt certius fiat, decernimus, nulli canonicorum, aut dignitatum licere prædia, vectigaliaque capituli vlla conducere; non solùm quia diuinis eos rebus officijsque occupari decet, non lucris redemptionibusque, quod negotiantium est, operam dare; sed etiam ne inde minori res pretio Canonico addicatur, atq; alteri plus licenti negetur; quod de eorum quoque propinquis & consanguineis sancitum esse volumus, nisi, quod ad hos attinet, à nobis de Ecclesiæ vtilitate in eo edoctis, eius rei facultas scripto comprehensa concedetur.

*De actis Capituli in librum referendis.* Cap. 559.

QVÆCVNQVE in Capitulo aguntur statuunturque, eorum extare memoria, atq; documentum omnino debet. Volumus igitur, quod hactenus factum non est, in posterum huius rei causa Cancellarium vnum è Canonicis creari, cuius munus sit singula Capituli acta, vt quidq; decretum constitutumq; fuerit, die adiuncta in librum, ad id comparatum continuo cum fide referre, librumq; in Sacristia in archa, armarioue, claui concluso diligenter custodire, & clauem penes se habere. Quam inde clauem, librumq; biennio circumacto (tamdiu enim Cancellarij munus durabit) tradet successori. Notarij nõ ad hanc referendi in volumen singula acta operam adhibeantur, sed ad instrumenta, tabulasque conficiendas, aliaque procuranda, quæ ad causas, litesque pertinent. Liber actorum cùm plenus confertusque fuerit, in Capituli Archiuium deferatur, nouusque conficiatur.

*De actis Capituli non efferendis.* Cap. 560.

CVM in omni negotio vtilis silentij fides est, tum in Capituli rebus è communi commodo agendis apprimè videtur necessaria. Ne quod quis Ecclesiæ studio pro sententia dixerit, inuidia inde, si resiscatur, apud eos contra quorũ voluntatem dixit, oneretur. Præcipimus igitur tã Dignitatibus, quã Canonicis omnibus, vt ne quis quod actũ dictumq; in capitulo sit, efferat enuncietque; qui enunciasse compertus fuerit, seuerè à nobis, aut à Vicario nostro punietur.

*De Capitulo sæpe Episcopo coram habendo.* Cap. 561.

NE locum vllum testandi nostrum erga Capituli commoda studium prætermittamus, volumus vt id singulis mensibus, aut certè persæpe in anno ad nos conueniat, nobisq; coram habeatur. Quo rebus ad nos relatis, & fraternã inter Canonicos concordiam, si opus sit, tueri, & Capituli disciplinæ, & diuino-

rum officiorum cultur, atque diligentiæ,& alijs Ecclesiæ rationibus,vt magis ex vsu videbitur consulere,quæque hac ipsa sancita,ac præscripta Synodo sunt,omnia vt ritè,rectè,probè,atq; ordine gerantur,administrenturq; curare possimus.

### *De Episcopo Capituli Consilium adhibente.* Cap. 562.

QVIBVS in rebus consultationibusq; œcumenica Tridentina Sinodus statuit ab Episcopo Capituli Clerivè consilium esse adhibendum, non propterea existimet quisquam,Episcopo ipsi eorum consilium sententiamque sequendi vllam necessitatem esse impositam, sed tantùm vt rem maturius consultiusque plurium auditis sententijs, decernat, iniunctam;præterquam in ijs rebus de quibus singilatim nominatimque stare cum consilio suorum debere cautum sit. Id ne ignoretur, monendum hoc loco esse duximus.

### *De Capituli Archiuij custodia.* Cap. 563.

TABVLARII siue Archiuij, in quo Capituli scripta publicæq; Tabulæ asseruantur, diligens habenda custodia est. itaq; legi è Canonicorũ numero duos iubemus,quibus hæc cura mandetur,monumenta capituli custodiendi, ordinandique. Horum quisq; propriam, ac diuersi operis clauem habeat,vt aperire tabularium,aut quicquã inde promere alter sine alterius scitu, præsentiaque non possit. Biennio munus eorum finiatur,sed ita vt non eodem vterque tẽpore officio abeat, sed alteri vnus semper annus supersit, alter quotannis successorem accipiat. Ad capituli autem iura bonaq; conseruanda,volumus vt omnes tam dignitate præditi,quã Canonici,tam Cathedralis Ecclesiæ quã collegiatarum, tam qui nunc obtinent præbendas,quàm qui in posterum obtinebunt,instrumenta, tabulas,scriptaq, omnia,aut eorum exempla Notarij testimonio, auctoritateque consignata in Archiuiũ intra quadragesimum diem conferant. Idem facere quicunq; penes se scriptum vllum ad ipsum pertinens capitulum, aut canonicales præbendas forte habebit. Et qui in posterum instrumentum vllũ scriptumque, quod præbendã suam attingat,confecerit, illud intra idem tempus in Archiuium deferat. Nullum autem ex Archiuio scriptũ, aut scripti exemplũ depromere nisi de capituli voluntate liceat, ac si exscribendũ aliquid sit, id aliter quàm in ipso Archiuio,aut alio capituli loco,atq; altero custodum præsente,nullo modo fiat.

## DE RESIDENTIA.
## CAP. 564.

DECRETVM à Patribus in Tridentino Concilio est, vt quisque in Ecclesiæ suæ vigilia, custodiaque permaneat. Quod ratio suasit, id ipse quoque approbauit vsus, vt plerumque prouidè, ac sapienter consulta, etiam re salubria euadunt. Quippe enim multa correcta, abolitaque sunt, quæ in

Ecclesia-

Ecclesiasticam disciplinam prauissime irrepserantur. Quàm multa vtiliter constituta ad ipsam restituendam, sanciendamque disciplinam, postquam redditi gregibus Pastores pro omnium salute excubare cœperunt? vt diuini cultus ratio, quæ partim neglecta obsolescerat, ministris dilabentibus deserta, spretaque, partim desidia, atq; inscitia curantium collapsa, perturbataque squallebar, jam diuina ope passim reflorescentem, vigentemque, Deo sit gratia, cernamus. Quod igitur experimento fructuosum, fructu vberrimum experimur, id vt retineamus, studiosè nobis elaborandum est.

*De Parochorum Curatorumque Residentia.* *Cap. 565.*

OMNES, quicumque Ecclesiastico beneficio potiuntur, cui adiuncta animarum cura sit, caueant, ne ab sua statione, vigiliaq; discedant; Sed dies noctesq; apud Ecclesiam, cui addicti sunt, permaneant, præstoque sint eorũ opera indigentibus; suaque ipsi munia obeant, nec ea alteri delegent, nisi iusta ipsi re impediantur. Quod si quis facultate scripto comprehensa, à nobis non impetrata, muneris sui officio deserto, ab cura Ecclesiæ suæ abierit, is à nobis pœnis à iure statutis punietur. Ipse autem ne ignoret, præter mortiferi peccati crimen, quo se obstrinxerit, etiam temporis eius, quo abfuerit, fructus non iure ab se percipi, sed Ecclesiæ deberi, à qua immerito absuit; vt vel in eius commodum, ornatumque vertantur, vel in egentium alimenta erogentur, cuius; rei arbitrium penes nos erit.

*De temporibus quibus abesse nullo modo Parochos decet.* *Cap. 566.*

NVLLO quidem tempore nõ maximè necessaria de causa Parochi, & alij animarum Curatores ab Ecclesijs suis discedendi veniam petere debent; At in Dominicis Aduentus, in festis diebus Natalis Domini, in Quadragesima, in Pascha Resurrectionis, in Pentecoste, in celebritate Sanctissimi Corporis Christi, & in festo die ipsius Ecclesiæ vtique absentes, ne sint, cauere eos etiam, atq; etiam iubemus: postulant enim ea potissimum tempora præsentem pastoris sui operam, quam desiderari à suis ipsi nullo modo pati debent.

*De Parochò permissu nostro à suis discessuro.* *Cap. 567.*

PAROCHVS cui à nobis iusta de causa discedendi ad breue tempus à Parochia dabitur venia, antequam à suis digrediatur, eos de suo discessu, discedendique necessitate, ac de tempore, quo rediturus sit, faciat certiores; inuitumque se ab eorum conspectu abduci diutiusque restetur; & si qui ægri in Parochia sint, eos inuisat, soleturq;, & vt tantisper reditus sui moram sustineant,

 roget.

roget. & nihilo minus qui interea muneris fui uices fubeat, paret, eique fuorum curam commendet; is tamen probari nobis, aut Vicario noftro debebit.

*De abfentia Parochi inimicitiarum caufa.* *Cap.* 568.

PAROCHVM omni femper ope adniti decet, vt parentis charitatem, obferuantiamque apud fuos obtineat, non folùm religione morum, ac diligentia muneris fui, fed eximia beneuolentia, & humanitate aduerfus omnes; tantum abeft vt vllis implicari odijs, fimultatibufque, aut (quod indignius eft) vllas fufcipere, gerereque inimicitias debeat. Itaque, nemo hanc caufam abfentiæ prætexat; neque enim id cuiquam a nobis permittetur, ne fi veræ quidem ei fimultates cum aliquo intercederent, veroque metu commoueretur, nifi & graues inimicitiæ, & implacabiles fint, & huiufmodi, vt neq; contemni poffint, nec fine magno periculo manfurus in Parochia videretur, nec ipfius ortæ culpa Parochi effent. Nam fic quidem difcedere eum ab Ecclefia, ac munere fuo patiemur, & eò concedere, vbi tutò effe poffet; non tamen vltra annum abeffe ferendum erit; intra quod tempus, aut reconcilianda gratia, in concordiamque cum inimicis redeundum illi effet, aut ipfum beneficium alteri tradendum.

*De Parochali ab inferiore collata.* *Cap.* 569.

ETSI alicuius Parochialis conferendæ ius ad inferiorem aliquem, etiam Regularem pertineat, tamen vt Parochus fatis muneri fuo faciat, Epifcopi vigilantiæ eft, fi Ecclefia ipfa fita intra diœcefis fuæ fines fit. Itaque hunc quoque nos in curæ atque officij fui ftatione manere, ab eaque non difcedere, ijfdemque ftare decretis, quæ fupra ipfi tulimus, prorfus iubemus. Non parentem iure compellemus.

*De Canonicorum refidentia.* *Cap.* 570.

CANONICORVM nemini ab ea affiduitate, quam vnufquifque Ecclefiæ fuæ debet, vltra tres menfes, quolibet anno abeffe liceat. In quibus quidem menfibus tam continuatos, quàm fingulos inter reditum, ac rurfus abitum interiectos dies computari, numerarique volumus; fi hoc præfinito tempore diutius quifquam abfuerit, tum parte dimidia fructuum illius anni, etiam eorum quos ex præbenda perciperet, mulctabitur; quam partem nos ijs adiudicamus, qui præfentes affiduique fuerint: fi autem eadem iterum negligentia deliquerit, omnes ei fructus adimentur; ac fi in contumacia deinceps perfeuerauerit, contra eum ex facrorum canonum iure agetur. Dierum autem quos quifque abfuit rationem etiam ex libro Punctatorum iniri iubemus: Statuimus præterea nemini, qui beneficium perfonalis refidentiæ obtineat, licere ab vrbe, aut diœcefi

cesi nostra, ne ad breue quidem tempus discedere, nisi discedendi venia a nobis, aut Vicario nostro impetrata: si quis secus fecerit, arbitrio nostro, pro eius merito mulctabitur; datam verò absentiæ veniam nemini ita prodesse volumus, vt eo tempore cotidianas distributiones percipiat.

*De obtinentibus Canonicatum & Parochialem.* *Cap.* 571.

QVI siue in Cathedrali Ecclesia, siue in collegiata Canonicatum, aut dignitatem cum obtineant, Parochiali tamen Ecclesiæ alibi præsunt, ij apud Parochialem vtique moretur, & animarum curæ, quam debent operam, atque assiduitatem præstent. Id si neglexerint, atque huic decreto nostro intra duos ipsos menses non paruerint, Parochiali ipsa abdicari, priatique esse censeantur. & quos ex ea fructus absentes cæperunt, eos Ecclesiæ ipsi deberi, in illius ornatum impendendos, aut Pauperibus distribuendos, decernimus.

*De his qui studiorum causa absunt.* *Cap.* 572.

QVIBVS a nobis litterarum atque erudiendi causa abesse permissum fuerit, his eas potissimum absentiæ leges indicimus, quas ipso diplomate, quod a nobis ea de reauferent, comprehendi explicarique iubemus; vt operæ suæ Vicarium apud Ecclesiam relinquant, qui ea munera obeat, quæ ipsis præsentibus præstanda essent; ne Ecclesia, diuinusque cultus detrimentum vllum patiatur, vt minores sint triginta annis, vt publico in Gimnasio Theologiæ, aut iuri Pontificio operam nauent, vt non in alio quàm clericali ornatu, tonsuraque, per publicum incedant; vt in ordinem saltem Subdiaconorum intra annum se ritè cooptari curent; vt saltem tertio quoque mense Doctor, cuius Auditores fuerint, per litteras nos certiores faciat, & quibus illi moribus viuant, & quos in doctrinæ studijs progressus habeant. Denique vltra quinquennium huius rei causa nemo absit. Facultas de non residendo fructibusque capiendis, a sede Apostolica studiorum causa impetrata, nullam vim habeat, nisi Episcopi cõsensus accesserit, quemadmadum Pij quarti Pontificis Maximi constitutione cautum est.

*Quæ a residendi lege non eximunt.* *Cap.* 573

ADEO hac residendi lege omnes obstringuntur, vt nihil penè sit, quo iustè quisquã ab ea eximi videatur posse; Non si Sacerdotio præditus nondum sit; Non si illi cum altero de beneficij iure cõtrouersia, atque lis intercedat; Non si fructuum pars maxima alteri reseruata, attributaq; sit; Non si quem prouectæ senectutis graue iam pondus premat; Non si aduersa quis infestaque morbis valetudine cõflictetur; nisi forte ei ad breue tempus, curationis causa a nobis

fuerit permissum. Non si cui datus ob id muneris sui socius, adiutorque sit; Non sicubi ad plures eadem cura pertineat; Non denique si cuius Ecclesia proprias ad habitandum ædes non habeat, propterea quisquã excusabitur, quo minus, si se ipsos menses ab sua Parochiali abfuerit, ea, postquam semel de reditu admonitus fuerit, nec paruerit, priuetur, abdiceturque.

*Qui verè dicantur residere.* Cap. 574.

NON satis est in Vrbe locoue, in quo quis Parochialem Ecclesiam, aut curatum beneficium habet, viuere; vt verè dicatur residere; sed in ædibus Ecclesię adiunctis, aut certè intra Parochiæ fines habitet, in ijs cibum, in ijs somnum capiat, & ea præstet oportet, quæ Parochi officij sunt; scilicet vt curæ suæ traditos saluos velit, in Catholicę fidei præceptis amanter diligenterque erudiat; in pietatis studijs instituat; a vitijs reuocet; ad virtutem incitet; non oratione solùm, & crebra cohortatione, sed sanctis innocentiæ, atque religionis exemplis, quibus ipsum, vitamque & mores eius prælucere; & alios anteire conuenit. Nullis denique diligentis, & probi Parochi muneribus desit, nulla re suam curam, operam, assiduitatemque desiderari patiatur. Item quibus non animarum cura mandata est, sed residere ad Ecclesiæ cultum debent, pari studio diuina officia obeant, aliaque præstent; quæ ipsorum muneris sunt; vt verum residentiæ fructum, veráque officij laudem mereantur.

DE COTIDIANIS DISTRIBVTIONIBVS.
CAP. 575.

QVOD à Tridentinis Patribus sapientissime tuendo diuino cultui consultũ statutumque est 3. decreto 21. sessionis, vt ob nimiam exilitatem, atque inopiam cotidianarum distributionum, pars tertia fructuum præbendarum ab singulis dignitatibus Canonicisque etiam ijs, qui in Parochiali Ecclesia, quam obtinent, stationem, ac residentiam agunt, in cõmune conferatur, atque inde ex instituta à nobis ratione, cotidie præsentem diuinis officijs operam nauãtibus, dispartiatur, distribuaturque absentium quoque portione addita, Id nos fieri seruarique iubemus in illis Ecclesijs, in quibus aut nullæ sunt quotidianæ distributiones, aut tam tenues vt contemnantur.

*De distributionibus Primæ, & Completorij.* Cap. 576.

VT quantum in Domino possumus omnes aditus, occasionesque negligẽdi officij, quod quisque diuino cultui debet excludamus, volúmus vt Horarum Prima cum Matutinis, Completorium cum Vesperis, non tam tempore, quàm præmio coniungantur, vt qui horum officiorum alterutrum omisserit, veri

usque

usque distributionem deperdat; & qui Primam non obierit, perinde habeatur, acsi ne Matutinis quidem interfuisset; item qui Completorium neglexerit, Vesperarum quoque distributione cadat; sic enim fore videtur, vt singulæ horæ à pluribus frequententur, & diuina officia, cultusque dignius religiosiusque celebrentur.

*De his qui sacris initiati non sunt.* Cap. 577.

QVOD supra statuimus, vt nemo in Canonicorum collegium, qui sacris ordinibus initiatus non sit, aut eam ætatem agat, cui aditus ad sacros ordines pateat, atque interea neque sententiæ dicendæ, neque suffragij ferendi in Capitulo ius habeat, idem de distributionibus decernimus, easque cum quoquam partiri, qui sacros ordines non susceperit, prorsus vetamus.

*De his qui Episcopos, quique studij operam dant.* Cap. 578.

COTIDIANAS distributiones ijs modò decernimus, qui præsentes diuina officia obeunt, vt quantum Clericorum paucitas patitur, diuino cultui consulatur, suusque Ecclesiæ decor conseruetur. Itaque neque qui litterarum ac studiorum causa absunt, licèt iusta facultate eorum absentia nitatur, neque qui operam Episcopo alibi quàm apud Ecclesiam agenti præstant, cotidianas capere distributiones volumus, nisi nos secus iustis adducti causis statuemus.

*De peregrinantibus, litigantibus, ægrotantibus.* Cap. 579.

VNIS præsentem diuino cultui, diuinisque officijs operam nauantibus, cotidianæ distributiones dispartiantur, diuidanturque, preterea nemini. Non qui religionis causa peregrinantur, non qui vt suæ præbendæ, aut alterius beneficij rem defendant absint, non qui Domi incommoda valetudine morboue attineantur, aut Ecclesiæ ipsius negotium gerant, si ante raro adesse in Choro consueuerunt: non qui iusta de causa in vinculis habeantur; non qui excomunicati, suspensique sint; non denique ijs qui & si præsentes adsint, psallere tamen cum cæteris, modularique & alternare diuina carmina, negligant: aut alia obire officia, quæ muneris eorum sint recusent. Quicumque enim præsentes non adfuerint, diuinisque rebus operati non sint, omnes eius mercedis expertes esse volumus, quæ tantum impensæ operæ laborique debetur. Nec quisquam Canonicorum, ac ne vniuersi quidem audeant, quicquam, hac in re vlli indulgere, aut remittere, contra quam à Tridentino Concilio Sess. 24. Cap. 12. decretum est.

## DE BENEFICIIS RECTE CONFERENDIS. CAP. 580.

MAGNVM ad Ecclesiasticę rei continendam custodiendamque disciplinam, situm in eo momentum est, vt Beneficia Ecclesiastica cum delectu, atque cura dentur. Quod fiet si Episcopus, alijque quibus id iuris est, eò scilicet spectabunt, vt beneficijs ministros deligant, non gratiæ causa beneficia fruenda largiantur, neque à Concilij Tridentini regula, ac præscriptione discedant. Quam quidem & nos Deo adiuuante sequi rationem in animo habemus, & qui nobis succedent Episcopi, idem vt faciant, eos in visceribus Domini oramus, & obsecramus.

### *De beneficiorum petitione.* Cap. 581.

QVI in Ecclesiasticis beneficijs non commodum solum, sed munus etiam, & muneris onus cogitabunt, ij sanè ab eorum petitione, aut prorsus deterrebuntur, aut certè non nisi modestè, temperatéque petent. Quod si quis Beneficium ambitiosis precibus suis, amicorumque, atque adeo assidua, atque inolesta efflagitatione extorquere omnino contendat, is profectò solū emolumentum fructumque spectare, nullam officij rationem ducere, conuincitur; & hanc ipsam ob cupiditatem indignum se, cui quod petit committatur ostendit. Cui quidem cupiditati, nos vt frenū aliquod inijciamus, statuimus, vt qui studiosius, ambitiosiusque quàm pudentem, ac moderatum deceat, & emendicatis vndique commendationibus, beneficium petierit, is per biennium beneficium nullum eosequi possit. Atque hac eadem pœna eos quoque teneri volumus, qui viuentis beneficia petierit, præter alias huic iniquitati à sacris canonibus constitutas pœnas.

### *In beneficijs curam animarum habentibus eadem, quæ in Parochialibus cautio adhibeatur.* Cap. 582.

QVAS ex Concilij Tridentini iussis cautiones, quàm diligentiam in Parochis deligendis, Parochialibus Ecclesijs mandandis adhiberi consueuit, vt probis, eruditis, atque in Ecclesiasticis muneribus versatis hominibus tradantur, eandem in eorum moribus, doctrinaque expendenda, explorandaque adhibendam esse decernimus, qui vel in Cathedrali, vel in collegiata, vel in alijs Ecclesijs beneficium petierit, cui vel animarum cura, vel cum, qui curæ præest adiuuandi munus incumbat.

*De præbenda Pœnitentiarij conferenda.* *Cap.* 583.

GRAVISSIMVM, & ad animarum curam in primis pertinens in Cathedrali Ecclesia, est Pœnitentiarij munus, maximeque virum spectatæ doctrinæ, atque integritatis postulat. Cui nos muneri ex auctoritate Tridentini Concilij canonicalem præbendam superiori anno adiudicauimus, eamque Vicario nostro tradidimus, & esse in posterum, & dici Pœnitentialem, nec alteri quàm Pænitentiario conferri posse Pœnitentiariumque ipsum Magistrum, vel doctorem, vel licentiatum in Theologia, vel iure Canonico esse debere, si modo is inueniri poterit, & quadtagesimũ ætatis annum agere statuimus. Igitur, vt quam optimum deligere possimus, volumus vt simul ac vacare Pęnitentialem præbendam contigerit, nisi forte eius conferendæ ius ad sedem Apostolicam pertinebit, edictum proponatur, quo ad eam inuitentur quicunque examen subire, aut qui subeat nominare voluerint. Qui conuenerint; eorum separatim varijs quæstionibus ac diligenti percunctatione ingenium, litteræ, doctrina, exercitatioque earum præsertim rerum, quas negotij ratio requirit, nobis aut Vicario nostro coram ab Examinatoribus, quos huius rei gratia nominatim euocauerimus, exploretur. Atque vbi præterea de singulorum moribus, vitaque a probatis viris edocti fuerimus, tum omnibus perpensis, ac tantum meriti virtutisque vniuscuiusq; ducta ratione, pro fide ac religione nostra, quem meliorem, grauissimoque muneri aptiorem iudicauerimus, liberè eligemus.

*De præsentatis reijciendis, si Idonei non fuerint.* *Cap.* 584.

VIDEANT quibus hæc præsentandi facultas ex iure patronatus est, ac diligenter prius expendant, quos nobis præsentaturi sint. Nam nos quidem nihil contra quam canonum iura statuunt, facere cuiusque respectu decretum habemus. Ac si præsentatos, explorata eorum eruditione, & in Ecclesiasticis rebus exercitatione, minus aptos beneficio regendo, cui præsentatur esse, aut præscriptam a Concilio Tridentino ætatem non habere intellexerimus, penitus eos repellemus.

*De Parochiali Ecclesia non commendanda.* *Cap.* 585.

ECCLESIA Parochialis Rectore vacans, non, quod olim fieri consueuit, vlli ad sex menses commendetur; sed aut ei tradatur, qui iure & ex Concilij Tridentini præscripto capere poterit, aut in ea Vicarius constituatur, qui dum Parochus deligitur, Parochi vices gerat. Vicarioque ipsi interea quam Episcopus statuerit pars fructuum attribuatur.

*De Institutione ad inferiores pertinente.*
*Cap.* 586.

A Patronis beneficij præsentatus ex Concilij Tridentini decretis probari ab Episcopo debet, quamuis institutio illius ad inferiores pertineret. Id in omnibus tenendum, seruandumque beneficijs esse siue curatis, siue simplicibus, quocunq; nomine appellĕtur, etiam si instituendi ius ad Regulares pertineret, monemus omnes, ne ab vllo ignoretur, & omnem institutionem sine auctoritate & approbatione nostra factam, irritam inanemque decernimus.

*De beneficiorum possessione capienda.* *Cap.* 587.

IN adeunda beneficiorum possessione sat esse statuimus, vt cui beneficij ius sit, Ecclesiæ ipsius altarisque in Ecclesia cuius titulo, & appellatione beneficium ipsum censetur, & illius præterea bonorum partis, quam ipse maluerit, possessionem capiat, captæque tabulæ a publico Notario ritè conficiantur. Nam singulos agros prædiaque diuersis etiam ac distantibus locis adire, & de singulis tabulas conficere, quem morem Notariorum auaritia inuenisse videtur, nos ne Clerici multiplici sumptu hauriantur, superuacaneum esse decernimus.

*De inuentario bonorum Benefcij.* *Cap.* 588.

CLERICVS simul ac beneficij sui possessionem adeptus fuerit, cuiuscunque illud generis sit, inuentarium rerum, bonorum, prædiorumque omnium cōficiat; ac si ætate minor clericus fuerit, virum spectatæ integritatis, quem nos dederimus, ad eam rem adhibeat. Id qui neglexerit, arbitratu nostro mulctabitur.

*De libro collationum.* *Cap.* 589.

QVO ratio beneficiorum, collationumque constet, librum confici, & in archiuio nostro asseruari iubemus; in quem cùm beneficium diœcesis nostræ cuiuscunque generis sit, vacauerit, & dies quo vacauit, & causa ratioque vacationis, & præterea prouisiones, institutiones, collationes, quę siue a Pontifice Max. siue a nobis, siue ab alio factæ erunt, omnes referantur. In eo exempla item diplomatum, aut ipsorum senteñtia breuibus comprehensa verbis describantur. Quod fieri etiam de ordinum literis, in quos quisque cooptatus fuerit mandamus.

*Pro diplomatibus auferendis nihil soluendum.* Cap. 590.

AD auertendam maxime a Domo nostra nõ labem solùm, sed etiam suspitionem omnem auaritiæ, præcipimus, ne quis pro diplomate beneficij quicquam audeat accipere, ne cæræ quidem ac sigilli impressi nomine. Quod si quẽ contra decreti huius nostri voluntatem fecisse compererimus, in eum pro eius merito grauiter animaduertemus. Tantũ Notario quod pro labore in scribendis diplomatibus impenso ex taxæ ratione debetur, persoluatur, ita tamen vt nunquã pro quouis beneficio, ei plus aureo nummo detur.

*De Notariorum mercede pro beneficij diplomate.* Cap. 591.

PRO eo ac aliquis ab Episcopo beneficium acceperit, aut in eo confirmatus aut institutus fuerit, nemini Notariorum nostrorum pro diplomate collationis, confirmationis, institutionis, prouisionis plus argenteis Iulijs decem accipere liceat, si quis hanc vltra summam a nobis statutam exegisse, aut omnino accepisse quicquam compertus fuerit, huic mulctam dupli eius quod acceperit esse iubemus.

*De simonia.* Cap. 592.

NVNDINATIO omnis sacrarum Ecclesiasticarumque rerum simonia ab sceleris eius auctore dicitur; & maxime soluendæ euertendęque Ecclesiasticæ disciplinæ esset, nisi grauissimis Ecclesiæ legibus iugulata vndique ab Ecclesiasticarum rerũ tractatione arceretur. Nos igitur sacrorum canonum iura sectantes edicimus omnibus, vt ab huius contagione labis vehementer caueant.

*De ordinatis per simoniam.* Cap. 593.

PROCVL Ecclesia nostra hanc ab esse pestẽ confidimus, & vt perpetuò absit optamus. Verùm si quis (quę hominum improbitas est) praua largitione ac simonia ad ordines sacros irrepsisse conuictus fuerit, hũc annum ipsum inclusum carcere haberi iubemus, ac statim ordinum ipsorum vsurpatione, atque vsu, nulla dispensationis aut venię spe, ad annos decem prohibemus.

*De adeptis dignitates & beneficia per simoniam.* Cap. 594

EX sacrorum canonum auctoritate decernimus, vt quicunque ad Ecclesiasticam dignitatem hac pecuniæ atque iniustæ pactionis via peruenerit, ea ipsa dignitate tamquam vitio nec iure tradita, abdicetur; abdicatus, amotusque ita censeatur, vt nec eam, nec aliam in posterum vllam capere, & consequi possit.

Item statuimus, vt qui Ecclesiasticum beneficium largitione, ac simonia obtinuerit, statim eo spolietur, cogaturque fructus, quos ex illo percepit restituere, & in posterum tam illius ipsius, quàm aliorum omnium spe excludatur.

*De pœna eorum, qui de beneficijs paciscuntur.* Cap. 595.

QVI conditionibus huiusmodi beneficium dederint, quique acceperint, vtrique se intelligant contra ius fasque fecisse, atque nefarię simonię crimine teneri. Et præterea, qui dederint dandi in posterum facultate, atq; iure cadere. Et qui acceperint, nec iuris quicquam in illud adipisci, nec vllos ex eo fructus capere, aut omnino in rem suam vertere licere; ac si verterint, reddendi lege obligari, ad idque compelli ab Episcopo posse, ac debere. Atque hi quidem præter pœnas a sacris canonibus in hac simonię noxa deprehensis constitutas, etiam eas dabunt, quas meriti nobis ipsis videbuntur.

*Patroni Beneficiorum, alijque ab omni pecuniæ conditione absint.* Cap. 596.

CAVEANT magnopere quibus seu Patronatus, seu alterius nominis ius est, vt cui beneficij auctores fuerint, quocunq; id modo, facultateque fiat, ab eo, aut eius ministris, propinquisuè quicquam omnino eius rei causa, ne sponte quidem delatum ingestumq; accipiant. Nemo verò eam legem cuiquam imponat, vt cùm libuerit amouere eũ beneficio, atq; alium in eius locum substituere liceat; nemo vt ad se, aut alium pars vlla fructuum redeat, paciscatur, quodcunque religionis, ac pietatis nomen speciemque prætexat.

*Ius Patronatus vendere non licet.* Cap. 597.

QVI rem venditurus est cui adiunctum beneficij ius patronatus sit, is ob id carius rem ipsam, neque æstimare, neque vendere debet. Quod si id æstimatum ius, rei pretium auxerit, quique vendidit, quique emit, simoniæ noxa deuinctum se esse ne ignoret.

*De simonia cauenda in compositione litis.* Cap. 598.

IN Beneficiorum litibus componendis ne (quod fieri sæpe compertum) est in falsa redimendæ vexationis specie, fraus aliqua, labesque simonię delitescat, nemini vllam inire litis pactionem, ne redimendæ quidem vexationis nomine licere statuimus, nisi eam Episcopus re diligenter perspecta, auctoritate sua comprobarit; qui quidem si concordiam ipsam nullam iniustæ pactionis suspitionem habere intellexerit, negare petenti facultatem se à vexatione redimendi non debebit. Quod secus quàm decretum a nobis est, factum fuerit, id & irritum esse decernimus, & qui fecerit pro eius merito a nobis punietur.

*De conciliatoribus atque interpretibus simoniæ.* *Cap. 599.*

ADEO execrabile, ac Ecclesiasticæ disciplinæ vniuersæ corrumpendæ soluendæque est simoniæ crimen, vt non satis sit seuerè ex sacrorum Canonum iure in eos animaduertere, qui eo se scelere deuinxerunt, nisi eius quoq; ministri pari seueritate coerceantur. Itaque tam Notarios, qui nefariæ fraudis pactionisque tabulas confecerint, quàm pactorum internuncios, conciliatores, interpretesque omnes, ijsdem teneri pœnis decernimus, quas auctoribus ipsis leges statuere.

*De Iureiurando à præsentatis exigendo.* *Cap. 600.*

VT huic tam turpi, atque adeo exitiosæ fraudi quantum diligentia, atque studio nostro possumus, viam aditumq; obstruamus, statuimus, vt in posterũ nemo quouis nomine vel electus, vel presentatus, vel nominatus, vel ab inferioribus prouisus, ab Episcopo admittatur, nisi conceptis verbis, quę nos huic decreto subscribemus, iusiurandum dederit, nullá iniustá pactioné intercessisse. Ego N. præsentatus ad beneficium N. iuro per sacrosancta Dei Euangelia, quæ meis manibus tango, neque me beneficij obtinendi causa, aut vt ad id præsentarer, vel nominarer, neque quemquam alium meo nomine, aut consentiente, vel sciente me, quicquam collatori, patrono, seu alij cuiquam ea de causa promisisse, aut dedisse, aut compensasse, aut prius datum confirmasse, vel apud quenquam deposuisse, neque mutuo dedisse, vel prius mutuo datum, commodatum, locatum, aut quocunque modo debitum remisisse. Nec domibus, terris, prædijs, redditibus eius Ecclesiæ, fructibusuè, decimis, aut oblationibus eiusdem, præteritis, præsentibus, ac futuris donationem, remissionem, locationemuè fecisse, promisisse, aut iniuisse, aut alium mandante, vel consentiente me promisisse, fecisse vel iniuisse. Ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

DE PAROCHIS. CAP. 601.

MVLTA sunt de quibus affari Parochos, eorumq; instruere officium cuperemus; nisi eos præstaret ad Romanum Cathechismum reijcere, ex quo veluti vberrimo totius Parochialis disciplinæ fonte, haurire ipsi per se omnia possint. Itaque quod supra non semel iam fecimus, hortamur omnes, vt eum librum nunquam de manibus ponant, assiduéque terant, præclarisque illius doctrinę præceptis, & ipsos se expleant, & alios studiosè imbuant.

*De edicto concursus ad Parochialem Ecclesiam.* *Cap. 602.*

EPISCOPVS postquam vacuam Rectore Parochialem Ecclesiam esse cognouerit, intra triduum edictum proponat, idque aut Cathedralis, aut va-

X 2 cantis

cantis Ecclesiæ ianuæ affigi, nec per decem ipsos dies, atque etiam plures, si ei visum fuerit, refigi amouerique patiatur. Quo edicto omnes, qui ei præfici Ecclesiæ, & sui periculum facere, aleamque examinis subire voluerint, aut alios nominare, qui subeant, inuitentur. Eo transacto tempore examen peragatur, & viduatę Ecclesiæ Pastor Rectorq; eligatur is, quem Episcopus ex Idoneis magis Idoneum esse iudicauerit: si enim in omnibus Ecclesiasticis beneficijs rectè collocandis studium diligentiaque adhibenda est, vt Ministri cuiusque Ecclesiæ rationibus accommodati eligantur, quantum in deligendis Parochis curæ ponendum erit, qui populo instituendo, & ad cœlum deducendo, duces constituuntur?

*Edicti formula quo qui volent Parochiali Ecclesiæ præfici ad examen inuitentur. Cap. 603.*

VACANTE Ecclesia Parochiali N. Diœcesis nostræ Amerinæ, nos ex præscripto Tridentini Concilij Rectorem illi eligendi gratia, examen habituri, atque de eorum ætate, moribus, doctrina, qui ad eam petendam parochialem conuenerint, cognituri sumus, decimum post diem a die quo hoc promulgatum edictum fuerit. Quo circa edicimus omnibus, quicunque vel examen subire, vel alios qui subeant nominare voluerint, vt intra præfinitum tempus N. Ecclesiæ nostræ notarium adeant, & apud eum suum quisque nomen profiteatur. Ac statuta demum Examini die nobis, & Sinodalibus examinatoribus, quos ipsi nominatim ad id euocauerimus, coram adsint, qui seorsum excussa, exploratâque vniuscuiusque doctrina, vsuque ac scientia earum rerum, quibus præditum animarum curatorem esse conuenit, eum ex approbatis vacanti Ecclesiæ præficiemus, aut præficiendum esse pronunciabimus, quem ei regēdæ aptiorem, magisque idoneum esse iudicauerimus. Quod quemadmodum nos adiuuante domino, pro eo ac debemus, integrè sanctèque præstabimus, ita omnes, & maximè Ecclesiæ illius populum magnopere hortamur, vt suis ad Deū pijs ac religiosis precibus, nostram hanc voluntatem, studiumque prosequantur, ac iuuent. Dat. Ameriæ.

*Edictum de concursu Parochialium ab solo Episcopo proponatur. Cap. 604.*

PAROCHIALIS Ecclesiæ in Diœcesi nostra sitæ, & si conferendæ ius non ad Episcopum, sed ad exemptum ab Episcopalis iuris dictione pertineret, concursus tamen ab alio quàm à nobis edici vetamus; & qui eius rei gratia subire examen voluerint, ij non ad alium, quàm ad eosdem nos conuenire, debebunt, qui examine per Sinodales examinatores ritè perfecto, vbi digniorem magisque Idoneum nos elegerimus, ei ille penes quem ius erit, conferet. Si secus fieri, collationem irritam, inanemque esse decernimus.

De

*De litteris ab Episcopo Parocho ad populum cui præficitur dandis.*
*Cap. 605.*

QVEM Episcopus peracto examine pro sua fide, atque integritate digniorem, qui vacanti Ecclesiæ præficiatur, iudicauerit, ei ad curam mandati muneris abeunti si litteras ad ipsum populum dederit, rectè sanè, ac pro pastoralis officij caritate faciet, ac ne nos quidem ab re facturi videmur, si litterarum ipsarum exemplum huic decreto subijciamus, quas inde in vulgarem conuersas linguam à Vicario foraneo alioue publicè legi iubemus. Dilectissimi filij. Vestræ isti Parochiali Ecclesiæ præpositus est Presbiter N. quem vita, moribus, ætate, doctrina, virtutumq; aliarum laudibus instructum esse, quas Parochialis curæ, atq; disciplinæ ratio requirit, diligenti examine cognitum est, Quemadmodum igitur eum, & officij sui diligentia, & charitate ergà vos munus suum impleturum non dubitamus, ita vestræ quoque partes erunt illũ non solùm debito cum honore suscipere, debitamque illi obseruantiam semper tribuere, sed intimis animis diligere eum, atque amplecti, & vt Parentem colere, atque amare, eiusque præceptis, ac monitis magna semper voluntate studiosè ac libenter parere. Quod etsi vos facere vestra in primis interfit, & facturos non dubitemus, tamen nos quoque pro nostro pastorali munere, & paterna charitate, de eo vos monere magnopere voluimus. Valete in Domino. Dat. Ameriç.

*De honore Parochis a populo habendo. Cap. 606.*

CVM parentum officio Parochi, curatoresque animarum apud suos funguntur, parentum quoque illis amor, obseruantiaque debetur. Non solũ igitur hanc ijs ab omnibus præstari omni tempore iubemus, sed quo statim ab initio populus Parocho, ac Rectori animarum suarum colendo assuescat, volumus, vt cùm aliquis Parochiali Ecclesiæ præpositus, ad eam die ante statuta, primùm aditurus erit, populus frequens ad Parochiæ fines aduentanti occurrat, pastoremque suum cum honore, atque omni beneuolentiæ, atq; obedientię significatione læti, gratulantesque suscipiant, & ad Ecclesiam deducant. Vbi Parochus eos apta, & charitatis, & fraterni animi plena oratione alloquetur, & gratię, atque auctoritatis suæ fundamenta ponet.

*De Iuramento à Parochis præstando.*
*Cap. 607.*

LAVDABILEM quarundam Ecclesiarum consuetudinem, in quibus sacrorum disciplina in primis viget, floretque, vt nos quoque quantum possumus imitemur, statuimus, vt qui Parochiali Ecclesiæ præpositus fuerit, is antequam eius possessionem adeat, hæc apud nos sanctè iuret; primum quidem in fi-

de Sanctæ Rom. Ecclesię perpetuò se futurum, eique & Episcopo suo obedientem, ac dicto audientem futurum. Deinde ex Concilij Tridentini præscripto apud suam Ecclesiam sedem, assiduamq; se mansionem habiturum. Postremò Ecclesiæ ipsius iura, res, bonaque conseruaturum, defensurumque, nec eorũ quicquã nisi iure quàm optimo, ac legitima auctoritate alienaturum, atque etiam ab alijs iniustè alienata, quantum in se erit, recuperaturum.

*Parochorum Aedes propè Ecclesiam sint.* *Cap. 608.*

INCOMMODA sanè res esset, si Parochi extra Parochiæ fines, aut omnino ab Ecclesia sua longius habitarent. Itaque tam in Vrbe, quàm in Castellis, agrisque omnes vt Ecclesiæ adiunctam, aut quàm fieri potest maximè propinquam domum habeant, operam dare volumus. Ac si Ecclesia, aut ædibus omnino careat, aut ita angustas, vel vetustate fractas, malè materiatas, ac labentes habeat, vt eas incolere Parochus non possit, alias Ecclesiam prope conducat, dum Parochialis domus sumptibus eorum ad quos pertinet ædificetur, aut resarciatur. Quod vt fiat nos cum quibus opus erit omni iure agemus; atque interea eosdem illos ad quos pertinet pensionem conductæ domus sumptumque præstare iubemus. Quod autem de Parocho, idem de Parochi adiutore, atq; socio curæ, statutum esse volumus.

*De vnione Parochialium Ecclesiarum Vrbis Ameriæ.*
*Cap. 609.*

QVAMQVAM in summa difficultate ordinandi, & constituendi Parochiales Ciuitatis nostræ Ecclesias, propter earum superuacaneum numerum, & inopiam, atq; adeo extremam egestatem versemur, cũ pleræq; aut ruinã minẽtur, aut planè iam dirutæ sint, ac fermè omnes sine vlla supellectili, sine vllo Altariũ instrumẽto, sine vllo cultu, sine vllis, aut perexiguis vectigalibus; tamen vt qua possumus ratione animarum curę prospiciamus, adhibito etiam ipsorum Parochorum, & Capituli nostri consilio, alias alijs adiungere, atque vnire decreuimus, & decreti huius vi adiungimus, atque vnimus; scilicet Ecclesiæ Parochiali S. Laurentij adnectimus Parochias S. Mariæ ad Vlmum, S. Andreæ, & S. Stefani. Parochiali Ecclesiæ S. Mariæ ad Portum adscribimus Parochias S. Angeli, & S. Proculi. Parochiali Ecclesiæ S. Sebastiani attribuimus Parochias S. Luciæ, & S. Nicolai. In Parochiali vero S. Ioannis, quæ annexa Prioratui Cathedralis Ecclesię est, nihil mutamus. Quod si ne sic quidem satis inopiæ Parochorum subuẽtum erit, dabimus operam, vt alia ineatur ratio, tam graui incommodo medendi.

*De pluribus in eadem Ecclesia Parochis.*
*Cap.* 610.

VBI duo pluresuè in eadem Ecclesia Parochi Curatoresque animarum sũt, sæpe aut ex ipsius muneris quod commune habent functionibus, aut ex partitione communium compendiorum rixæ inter eos, iurgiaque & dissidia existunt; atque ea re magnopere populorum animi offenduntur, & a diuinis rebus alienantur; cuius spiritualis damni culpam omnem ita Parochi sustinent, vt inde grauissimæ eos pœnæ, nisi resipiscant, a Deo maneant, præterquã quod a nobis quoque seuerè; pro cuiusque merito punientur. Verùm vt his contentionibus, Parochiali disciplina indignissimis, nos quantum possumus causam præcidamus, Vicario nostro, aut alio, cui nos negotium dederimus adhibito, diuidi Parochiã iubemus, & suam vnicuique ædium partem attribui, limitesque statui, quo quisque, quibus præsit, quorumq; curam habiturus sit dignoscens, charitate iam erga suos, & diligentia Parochialis officij cum collega, non improba cupiditate, certet; fraternaque inter se concordia, quod munus dignitatemque eorum decet, viuant. si ita diuidi Parochia non poterit, aut non expedierit, alia ineatur ratio, qua discordiarum causæ vtique tollantur, & animarum curæ ante omnia prospiciatur.

*Item de duobus vnius Ecclesiæ Parochis.* *Cap.* 611.

IN quibus Ecclesijs duo sint Sacerdotes ex æquo animarum curæ præpositi, suas vterque partes exequatur, suo vterque muneri præsto sit. Minimè verò tempora inter se ita partiantur, vt alternis diebus septimanisuè rem gerant, & alter sacra faciat, aliaque Parochi munia obeat, alter ab omni curatione, atque negotio vacet. Neque enim ferri debet Ecclesiam duobus sacerdotibus alimenta stipendiaque præbere, quo diuino cultui Parochialibusque officijs plenius diligentiusque seruiatur; & perinde haberi ac si vni tantùm tradita, commissaque esset: itaque vtrũque iubemus eã Ecclesiæ assiduitatem præstare, ac si soli sibi mandata cura foret.

*Parochialia officia ipsi per se Parochi obeant.* *Cap.* 612.

PAROCHI curatoresque alij animarum Parochialis officij atque procurationis munera non alijs deligent, sed ipsi per se omnes obeant, nisi iusta, quæ nobis probetur, de causa impediantur; aut ijs a nobis vltro prohibeantur. Qui secus fecerit, pro rata parte temporis, quo officium prætermiserit, fructibus mulctabitur, atque alijs etiam, vt meritus nobis videbitur, pęnis plectetur.

*De Parochorum socios eadem residendi lege obligari.*
*Cap. 613.*

QVICVNQVE Sacerdotes in Parochialibus Ecclesijs alijsuè curam animarum habentibus, curæ socij Parocho aut curatori animarū adiuncti sunt, quocunque nomine nuncupentur, ij apud ipsam Ecclesiam residere, & eandem in curæ statione assiduitatem præstare, quam ipse Parochus, aut Curator animarum debet, cogantur; eodemque iure astringantur; ac minus parentes minusuè muneri suo satisfacientes, iisdem ab Episcopo pœnis coerceantur, puniantурque.

*Parochis alia suscipere munera quibus a cura distrahantur non licere.*
*Cap. 614.*

ANimarum cura tanta, tantique ponderis est, vt quemadmodum ei rectè gerendæ, sustinendæque qui suffecerit, haud mediocrem cum pietatis, tum industriæ laudem mereri videtur; ita qui ad alia quoque eodem tempore subeunda munera animum adijcere audet, hunc aut confidentia sua labi, aut lucri spe, & cupiditate aliqua prouehi necesse sit. Quod quia fieri sine magno Parochialis muneris detrimento non posse intelligimus, Parochum curatoremuè animarum alteri Ecclesiæ operam locare, aut alibi missas celibrare, aut Cantoris partes suscipere aut ludum aperire pueroſque mercede docere, aut alijs cuiusuis rei procurationisque muneribus se implicare, quibus a multiplici varioque parochialis officij munere abducatur, prorsus vetamus; nisi a nobis, vel ob ipsius Parochi inopiam, vel aliam iustam ob causam eius rei prescriptam facultatem impetrarit. Qui secus fecerit pœnis in Parochos muneris sui negligentes statutis, atque arbitrio nostro punietur.

*De Parocho Coadiutorem habente.* *Cap. 615.*

SI cui Parocho vel ob imperitiam, vel aliam quamcunque ob causam, Sacerdos alius curæ, atque muneris socius adiunctus sit, non propterea ipse minus Ecclesiæ suæ debitam assiduitatem, atque operam præstet, aut minus apud eam resideat, sed omnia nihilominus, quæ debet, ac potest, diligentis Parochi officia obeat, nisi fortè his illi interdictum esset.

*De cura Parochi erudiendi in Christiana fide Pueros.*
*Cap. 616.*

PVEROS Parochus quæ scire Christianum hominem decet, pro captu eorum magna cum cura studioque erudiat; itaque educet, atque instituat, vt

cum

cum ipsa ætate etiam religio, ac pietas, & religionis, & pietatis disciplina in ijs adolescat. Singulis festis diebus ad Campanæ sonitum in Ecclesiam coactis prima rudimenta christianæ fidei tradat, varieque in ijs exerceat. ac præterea, quod maximè ad rem pertinet, obedientiam, reuerentiamque primum quidem Deo, deinde parentibus, proxime Sacerdotibus, ac senioribus præstare cōdocefaciat. deligat etiam quos ætate, ingenio, vita aptiores iudicauerit, quibus adiutoribus cū ad imbuendos his christianę fidei elementis pueros, tum ad eos ad Ecclesiam conducendos, vtatur. Hæc quidem si præstiterit, næ præcipuam muneris sui partem, maximeque fructuosam Parochus impleuerit, & se patria erga populum, cui præest charitate teneri, magnopere testatum faciet.

*De doctrinæ Christianæ sodalitatibus & Indulgentijs.*
*Cap. 617.*

CVRENT Parochi ubi locorum ac Populi conditio tulerint, vt sodalitates, quæ a Christiana doctrina nomen habent instituantur. Quarum quidem hominibus & a Pio Quinto, & a Gregorio 13. Pontificibus Max. indulgentiæ concessæ sunt, & nuper rogatu nostro a S. D.N. Clemente octauo in diœcesi nostra auctæ; quas quidem Indulgētias Parochi quot annis populo promulgēt, vt quisque donum cælestis thesauri patere sibi intelligat, si sodalitati adscribi, & ei operam nauare voluerit.

*De ignorantibus prima christianæ fidei rudimenta instituendis.*
*Cap. 618*

VT ex eorum animis miserandam socordiam, ac supinam, atque adeo exitiabilem in Christianæ disciplinę, & salutis suæ studio negligentiam, quantum cura, & vigilantia nostra possumus, excutiamus, qui ne ea quidem scirerent neque curant, quæ ignorari salua religione non possunt, Parochis etiam, atque etiā mandamus, vt nostrorum in Sacramento Pęnitentiæ, & Matrimonij præceptorū memores sint, eisque omnino pareant, quando ita torpere quosdam ad res spirituales videmus, vt in harum quoque rerum ignoratione consenuisse eos non pudeat. His igitur Parochi charitatis, atque diligentiæ suæ opem afferant, & cum priuatim, quoties per cęteras occupationes suas licet singulos docere, tū verò vt vno tempore pluribus simul consulant, festis diebus cum frequentior populus ad Ecclesiam conuenerit, seu mane sacrificio perfecto, seu vespertinas post præces, ipsi disertis, explicatis, distinctisque verbis sublata voce, atque clara nunc simbolū, nunc Dominicam orationem, nunc salutationem angelicam, nunc decem pręcepta, nunc alia Chistianæ doctrinæ capita, interdum vnum, interdum plura eodem die recitent, omnesque qui adsunt singula secum referre, ac repetere verba iubeant, quibus ipsi præibunt. Ac sæpe ipsa capita non recitent solum Parochi,

 sed

ſed etiam ex Romani Cathechiſmi potiſſimum doctrina explicent; quo populus in his Chriſtianæ diſciplinæ præceptis eruditior quotidie, inſtructiorque fiat; at verò omnibus concionibus, non ſolùm incurioſos harum rerum caſtigent, ſed acribus ac vehementibus verbis patribus maxime familias denunciēt, grauiſſimas Deo pœnas daturos, niſi vt eorum liberi, ſeruique hęc addiſcant, ſtudioſè curauerint.

*De Parochi officio concionandi. Cap. 619.*

PAROCHIS paſtoris nomen, quod dignitatis plenum eſt, tribuitur, ac paſtoris officio incumbere eos, & traditum ipſorum curæ, atque fidei paſcere gregem, in primis conuenit. In quo indiligentes ne ſint, omnibus mandamus, vt ſingulis dominicis alijſque celebrioribus diebus, vnuſquiſque in ſua Eccleſia ſacræ concionis pabulum populo præbeat; ab vitijs deterreat, quæ peſtem animę afferunt, ad illa amplectenda prętandaque pietatis officia adhortans, quibus ſalutis noſtræ ratio conſtat. ſemperque locum aliquem ſacri Euangelij vnde omnis vitæ diſciplina petenda eſt, exponat. Id autem concionandi, & populum alloquendi munus ipſe per ſe obeat Parochus, aut ſi nequeat ipſe, alterius, qui tamen a nobis ante probetur, operam adhibeat. Quod ſi ne alieni quidem ingenij facultas adſit, & ſuo Parochus non fidat, at ſaltem ſelectam decerptâq; ex probato auctore breuem aliquam homiliam, qua populi religio accendatur, ex ſcripto recitet, ſuamque potius dicendi deſiderari facultatem, quàm neceſſarium populo verbi Dei pabulum non ſuppeditari, patiatur.

*De Parochi ſtudio cohortandi ſuos ad frequentanda ſacramento. Cap. 620.*

CVM alia Parochi, quibus Populi mores emendentur, ad ſtudiaque religionis excitentur, in concionibus tractent, tum maximè in eo argumento eorum aſſiduè verſetur oratio, vt ad frequentem ſacræ Confeſſionis, & Cōmunionis vſum omnes cohortetur. Quanta ea re tranquillitas animo, quanta pax comparetur oſtendat, vt non celebrioribus ſolùm diebus, ſed ſemel ſaltem ſingulis menſibus ijs ſe ſacramentis expurgandi, expiandique conſuetudinē ſibi faciant.

*De Regularibus curam animarum habentibus. Cap. 621.*

EX Concilij Tridentini auctoritate Regularibus, ſi qui ſunt in Diœceſi noſtra, quibus animarum cura quocunque iure iniuncta ſit, præcipimus, vt in Eccleſia ipſa in qua curam exercent, Dominicis alijſque ab eodem Concilio præſcriptis diebus concionem habeant, doctrinæ chriſtianæ rudimenta pueris tradant, aliaque Parochorum munera pari ſtudio obeant, præſtentque.

Vitæ

*Vitæ integritatem Parochorum pluris quam doctrinam esse.*

**Cap. 621.**

ET si satis officij, ac disciplinæ suæ præceptis Parochi abundabunt, si diligẽter, atque accurate Romanum Cathechismum, vt ostendimus legent, vnum tamen est, quod nos ne prætermittamus studium, & caritas nostri gregis cogit; quod quidem si præstiterint Parochi, vnum multorum instar habebit. Id autem est, vt ita ipsi vitam instituant suã, vt ex eorũ moribus, ac religione, alij pudoris, innocentiæ, pietatis exemplum petant. sat doctus, sat disertus, sat efficax virtutis auctor, ac vitiorum insectator fuerit Parochus, si probus, si castus, si abstinens, si pius, si integer sit, si denique quæ alios docebit, ipse vita præstabit. Contra quo callidior, quo eruditior, quo in sacris procurandis industrior, quo denique in tradendis vitæ præceptis, populoque instituendo plenior, eloquentiorque fuerit, eo plus suspicionis, plus odij, plus inuidiæ apud omnes habebit, si vita a verbis, mores a doctrina, animus ab ingenio dissentiat. Nam innocentiam, religionem, integritatem omnes intuentur, litteras, eruditionem, artem, atque facultatem dicendi, pauci intelligunt.

*De Parochi cautione vitandi nimiam cum suis familiaritatem.*

*Cap. 622.*

FACIET prudenter Parochus, si suorum nimiam familiaritatem vitarit. Non quidem vt congressus, sermones, amicitiam cuiusquã refugiat, quod agreste horridumque esset; sed vt penitus se in eorum vsum, ac necessitudinem nõ dedat, multo minus vt conuiuia cum ijs, commessationes, risus, ludosque celebret. Qui enim parentis maiestatem retineat apud eos, quorum se cotidie misceat cœtibus? quem Sacerdotalem decorem præferat, quibus ipsa consuetudinis assiduitate contemptui iam, ac satietati sit? Qui Confessorem reuereantur, aut illius verecundia teneantur, quem sæpe testem, interdum & socium eorum, quæ confitenda erunt, habuerint? quam denique concionanti ac religionis, & vitæ præcepta tradenti fidem tribuant, quem totos dies per fora, per vias, profanis inuolutum negocijs cernant? Ergo domi quantum potest se Parochus contineat, frequens in Ecclesia, rarus in foro, conuentibusque conspiciatur; sermonesque eius nunquã adeo remissi sint, quin intra Pastoris decorum & religiosi hominis modum contineantur.

*Quam deformis auaritia, & quam vitanda Parocho.*

*Cap. 623.*

SÆPE Parochum & officij sui diligentia, & studijs earum rerum quæ Parochiale munus attingunt, & morum etiam, ac vitæ integritate alioquin non

spernendum,

ſpernendum,pecuniæ amor & augendæ rei cupiditas tranſuerſum agit. Animi morbus, qui ita inſidet inhæretque, vt eo qui corripiuntur, haud ſanè facile inde leuentur. Cernere eſt quoſdam adeo ſingulatim, ac diu quæſitis nummulis ſuis incubantes, adeo ſuis ſe anguſtijs prementes, vt pudendo parcendi ac ſcponendi ſtudio non veſtitum corpori, non neceſſarium vitæ cibum ſuppeditent, tantū abeſt vt alienis neceſſitatibus ſubueniant. Si quem ſupplendo Eccleſiæ, aut Altarium inſtrumento, ſumptum facere iubentur, adeo ſe miſeri contorquent, detrectant ſemper, vt miſſuri ſanguinem facilius videantur, quàm in vllam impenſam, loculis ſuis obulum promant. Quid? nonne iſti rem in egeſtatem ſuam comparant? cui enim tam alienum deeſt, quàm iſtis ſuum? Nos tam ſordidi ac reſtricti animi hanc proponendam imaginem duximus, vt ſi quis huius ſe contagione morbi contactum ſentit, recipiat ſtrenuè liberetq; animum pecuniæ ſpecie doloſis mali Dæmonis laqueis irretitum. Quod quia, niſi diuina ope non aſſequetur, eam omnibus ſacrificijs, omnibus precibus aſſidue a Deo vt imploret, eum nos per ſalutem ſuam oramus, & obteſtamur.

### *De populi oblationibus.* Cap. 624.

VETVSTVM & in primis pium Catholicæ Eccleſiæ inſtitutum eſt; vt feſtis ſolemnibuſque diebus populus inter ipſum ſacrificiū aliquid, quod ſua cuique ſuaſerit pietas, Deo offerre cernatur, quod & diuino cultui conſentaneum eſt, & ijs qui ſanctè præſtant, ad expianda peccata ſalutare. Itaque quibus in Eccleſijs manet hic mos, retineri; vbi iam obſoleuit, reſtitui mandamus. Atque ad tam pium, & ab ipſorum vſque Apoſtolorum ductum temporibus colendum inſtitutum, concionatores Parochoſq; populum adhortari iubemus. Ad offerendum autem ex veteri diſciplina primum viri, deinde mulieres adeant; adeuntibus Sacerdos aut crucem, aut tabellam pacis, oſculo attingendam præbeat; præbendæ, & oblationes accipiendi cauſa, ab Altari ipſe ne abſcedat. Item illud teneatur quod vetuſto canone ſancitum eſt vt quæ a publicis fæneratoribus, a meretricibus, a ſacrilegis, a raptoribus, ab inimicitias implacabili, atque hoſtili odio exercentibus, alijſque palam criminoſis offerentur, penitus reijciātur. Quæcunque autem oblata fuerint, omnia ad Eccleſiæ ipſius, in qua offeruntur cultum arbitrio noſtro impendantur, ſaluo tamen iure, & conſuetudine earum Eccleſiarum, in quibus hic offerendi mos nunquam intermiſſus retinetur.

### *Item de eadem oblatione.* Cap. 625.

QVI oblaturi ſunt, non aliud cogitare, ac ſpectare debent, quam vt obſequium Deo, cultumque præſtent, atque ipſum offerendi officium magna cum religione, & caritate obire, vt ex eo quem petūt placati, ac propitiati ſibi numinis fructum ferant. proinde non ante ab ipſo ſacrificio diſcedant, quàm ipſam

demum

demum benedictionem, in sacri ipsius fine, a Sacerdote acceperint. Ipse autem Sacerdos inter ipsum sacrificium pro offerētibus pari caritatis ac religionis studio Deum precabitur.

*De his quæ Voti causa offerentur.* *Cap. 626.*

CEREAS imagines, aliaque, quę voti causa a fidelibus, pijsque hominibus offerūtur, vendi, liquari, auferri omnino vetamus; fracta etiam ac vetustate labentia, nisi scitu, & concessu nostro, vt inde in ipsius Ecclesiæ vsum cultumque vertantur. At verò harum rerum tam oblatarum quam offerendarum, venditiones, locationes, pactiones vllas iniri tam Parochis quam cœteris omnibus ita interdicimus, vt qui contra decretum hoc nostrum fecerit, is graui a nobis pęna afficietur.

*De studio Pastorum cognoscendi oues suas.* *Cap. 627.*

QVOD facere agrestes Pastores videmus, vt singulas sæpe oues, in tanta totius speciei, ac formæ similitudine, tamen & dignoscere, & certis nominibus distinguere, vsu atque consuetudine discant, & cuiusque vires, valetudinē, vbertatem, ariditatem norint; idem profectò studium animarū curatoribus, quando idem quoque nomen, idem munus ab ipso inditum Christo Domino gerunt, esse tanto magis conuenit, quanto hominum ad imaginem Dei factorum, quàm mutarum pecudum gregi præesse præstantius est. Quo circa & nobis ipsis in cognoscendis ouibus nostris summa diligētia adhibēda est, vt ægrotas sanare, errantes reducere, perditas conquirere & recuperare possimus, & Parochos idem facere & nobis in eo studium, operamque suam sedulo nauare maximè decet.

*De cuiusque Parochiæ statu a Parochis describendo* *Cap. 628.*

QVANDO nobis adesse vbique, & proprijs oculis aspicere, & lustrare omnia non datur, mandamus Parochis, vt inuestigent diligenter in sua quisque Parochia, quibus maximè vitijs laboretur, quid sit quod nostram cognitionem, operam, medicinamq; desideret; ac si quid corrigi, emendarique necesse sit, & ad nos deferant. Præterea quod ab omnibus vtique fieri volumus, vnusquisque Parochus hominum capita Parochiæ suæ cum cura recenseat, omnium nomina, cognomina, sexum, ætatem, statum, in librum huius rei causa cōfectum, referat. In eodem vt quisque nascetur, morieturque, vt quisque habitatum in suam Parochiam venerit, aut ex ea demigrauerit describat. Quem librum quotannis nobis, aut cui nos id negotium dederimus, inspiciendum,

recognoscendumque tradat; quo nos his ipsis ex libris Diœcesis nostræ non numerum modo animarum inire, sed etiam statum conditionemq; cuiusque scire, atque cognoscere possimus.

*De Aduenis à Parocho obseruandis.* *Cap. 629.*

ADVENARVM, peregrinorumque, qui aliunde in suam Parochiam immigrauerint, statum Parochus studiosè cognoscat. Primùm quidem an vlla in ijs minus sanctè cultæ Catholicæ religionis suspicio sit, deinde an se statis temporibus Sacramentis ritè procurent; an secum mulierem aliquam adduxerint, an vxor illa, an propinqua sit, an suspicio vlla impudicitiæ subsit; quæ si suberit, nos statim de eo faciat certiores.

*De egentibus à Parocho cognoscendis.* *Cap. 630.*

DILIGENTIAM præterea vel maximam in eo habeat Parochus, vt pauperes egentesq; suæ Parochiæ cognoscat, non eos solùm, qui palam ad singula ostia stipem, atque alimenta quæritant, sed eos multo magis, qui in pari inopia pudore tamen a mendicando deterrentur. Præsertim verò aduertat, si quæ in his nubiles puellæ, si quæ viduæ, si pupilli, si morbo, si senio laborantes. Quibus omnibus cum ipse pro suis facultatibus, subsidium, atq; opem ferat, & vt suo, exemplo ab alijs feratur studiosè curet, tum nos in primis faciat certiores, qui quibus poterimus rationibus eorum egestati subueniemus.

*De Parochorum prompta ad omne officium opera.* *Cap. 631.*

ET si alijs locis sæpe monuimus Parochos, vt eorum operam ad animæ curationem cupientibus, nunquam non præsto sint, tamen idem hic quoq; monere superuacaneum non duximus; quando ad eorum officium pertinere id quidem in primis videtur. Itaq; aut vltro expetentibus, indigentibusq; eorum semper occurrat studium, aut appellantibus moram ne faciant, vt neq; si mane accersantur in commodius tempus differant; minimè verò rem suam vllam huic officio præuertant, ac ne si nocte quidem intempesta rogentur, lucem opperiantur. Sæpe enim aut incuria, aut segnitie Parochi breue interiectum tempus, vt æger nulla expiatus confessione, nullisq; Sacramentis procuratus decesserit, fecit. At qui in ea deprehensus culpa Parochus fuerit, seuerè pro eius merito a nobis punietur.

*De diligentia Parochi vitia suorum cognoscendi corrigendique.* *Cap. 632.*

IN id quoque magnopere Parochi excubet diligentia, vt exploret, inuestigetque, an blasphemi aliqui, ac ita irreligiosi, atq; adeo impij in sua Parochia sint,

qui

qui in ipsum Deum maledicta iactare audeat, a quo creati, cuius sanguine, ac supplicijs a sæua seruitute redempti sumus, cui summum cultum, summamque venerationem debemus. An præterea fœneratores vlli, an adulteri, an concubinarij, an aleatores, an ebriosi, alijque palam improbi, & flagitijs perditi sint. Quos Parochus partim castigando, paterneque monendo, partim terrendo, ac periculum, iudiciumque denunciando, sanare, & ab eo scelere, atque impuritate reuocare contendet; preces quoq; pro ijs Deo offeret, offerrique ab alijs curabit. Quibus si parum se proficere intelliget, tum eorum nomina flagitiaque ad nos deferet, qui nihil prætermittemus, quòd a nobis officij nostri ratio exigere videbitur. Ipsum verò Parochum etiam, atque etiam cauere iubemus, ne remissus in eo incuriosusque sit. Neque verò potentioribus, ac primarijs parcens, tenuiores tãtùm aggrediatur. Quin quantum quique alios opibus, aut dignitate anteerunt, tantum eorum exemplo, alij veluti contagione corrumpuntur, vnde à Parocho studiosius hi atque acuratius corripiendi, coercendique erunt.

*De Parochi pio ergà defunctos instituto.* Cap. 633.

PAROCHVS ne quod caritatis officiũ, quod à parente expectare filij possint prætermittat, & ex oĩbus partibus eximia eius in suos se se pietas ostẽdat, illud quoque suscipiat institutum, vt eum excessisse vita è Parochiæ suæ incolis aliquem acceperit, statim Ecclesiam ingressus genibus positis Psalmum De profundis, orationemque huius officij propriam religiosè recitet; Deumq; vt defuncti animæ misereatur, nec in iudicium intret cum seruo suo, piè ac suppliciter precetur, populumq; suum edoctum habeat, vt signo accepto, quod ipse tum campana dabit, idem mortuo pietatis officium, quocunque ex loco persoluat.

*De Parochi studio tuendæ inter suos pacis.* Cap. 634.

OFFICIORVM, quæ Parochus suis debet, haud postremum fuerit studium tuendi inter eos concordiam, odiaq; ex omnium animis detergendi. Cùm igitur in alloquendo populo sæpe pacis, ac mutuæ beneuolentiæ bona commemorabit, tum quoties dissidere aliquos senserit, antequam in apertas inimicitias erumpant, atque etiam postquam eruperint, eos omni studio in gratiam reducere conabitur, adhibito etiam consilio, atq; opera communium amicorum. Quod si ne hac quidem diligentia assequetur, vt grauius irritatos animos sedare, & componere possit, rem ad nos deferet, qui quod maximè opportunum iudicauerimus, remedium adhibebimus.

*De festis diebus alijsque à Parocho indicendi.* Cap. 635.

NVnquam intermittat Parochus, quin omnibus dominicis diebus ineuntis septimanæ festos dies populo indicat, prænuncietque; ac præterea quibus

officijs hi colendi concelebrandiq; dies sint, in memoriam reuocet. Vigiliarum quoq; ac ieiuniorum tempora si qua incident, significet. Item stationes, atq; indulgentias, quæ ex Episcopi auctoritate statutæ Ecclesiam aliquam visitantibus erunt; item supplicationes, processionesque, & publicam orationem, si alicubi habendam Episcopus indixerit. Atque etiam si iusta mortuis in ipsa Parochiali Ecclesia facienda, funebriaq; officia persoluenda erunt, de eo populũ certiorem faciet, quo fideles, aut officijs ipsis, atq; funeri præsentem operam impendant, aut absentes quoq; cũ eius rei signum campana acceperint, precationes officiaq;, quę in Ecclesia fieri intelligũt, gnari iam causę, pia & ipsi prece officioq; prosequãtur.

### *De nouo precandi instituto a Parochis suscipiendo.* Cap. 636.

VT per omnia fidelis populi religio, pietasq; incitetur, & Apostoli præcepto obtemperetur, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate cõstituti sunt, fieri iubentis, nouum, piumq; institutum suscipiant Parochi, monẽdi Dominicis diebus populum, vt vnusquisque antequam ab Ecclesia discedat ternas Dominicas orationes, totidemque Angelicas Salutationes recitet Deum sanctè precando.

Pro Catholicæ Ecclesiæ propagatione.

Pro Pontifice Maximo.

Pro Episcopo suo.

Pro Magistratibus.

Pro peccatoribus, vt eos flagitiorum suorum pœnitentia capiat, vitæq; se meliori se reddant.

Pro hæreticis, vt mentibus eorum veritate illustratis ad Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem redeant.

Pro infidelibus, vt abiectis impietatis erroribus, christianam fidẽ amplectantur.

Pro mortuis, præsertim ijs quorum corpora in illa Ecclesia condita sunt, vt diuina clementia purgatorij supplicijs eximantur.

Pro auertenda si qua calamitas impendet.

Pro eo denique quod aut Episcopus iusserit, aut priuatim etiam aliquis e Parochia rogauerit.

### *De Vesperarum officio à Parocho in Ecclesia recitando.* Cap. 637.

NON omiserit Parochus Dominicis, atque festis diebus Vesperarum officium in Ecclesia ipsa, vt ritus est, peragere. Si adiutorem saltem vnum habeat, quo cùm alternare Psalmorum carmina possit, solito omnia cantu exequatur. Sin solus erit, cantum quidem omittat, cæterum omnia sublata, & clara voce ita recitet, vt ab ijs qui præsentes in Ecclesia adsunt, facile exaudiat. Iuuabit enim ea quoq; res fidelium piam volũtatem, religioso Parochi officio operam dantiũ.

Parochi

*Parochi in ministrandi sacramentis de eorum natura disserant.*
*Cap. 638.*

MEMINERINT Parochi, quod eos supra etiam monuimus, cùm sacramentum aliquod ministraturi sunt, ante de illius dignitate atque sanctitate pauca disserere; vt omnes naturam singulorum, vimque intelligentes, maiori inde religione, atque pietate ad ea suscipienda adeant, maiorique eorum studio teneantur. Hanc autem Sacramentorum doctrinam cum ex probatissimo quoque sacrarum rerum scriptore Parochi petent, tum maximè explicatam Romano Cathechismo haurire poterunt.

*Parochus Ecclesiam suam vt sponsam excolat.* Cap. 639.

ECCLESIA, quæ Parochi curæ traditur, sponsa eius dicitur; vereque inter se veluti sancto coniugio sociantur. Quod si carnalis maritus sponsæ suæ forma, nitore, ornatu, amore, hilaritate, si verò castimonia, fide, probitate tantopère delectatur, tantumque in ea excolenda studij ponit, nulli vt ob id sumptui, nulli labori, nulli rei parcat, eamque rem maximę sibi voluptati, maximo apud alios honori esse ducit; haud sanè spiritualem sponsam suam Parochus vel minori caritate diligere, vel minori studio colere, atque ornare, minusque illius munditia, forma, ac decore capi debet, aut ex eius dignitate minus ad se redire laudis, fructusque veræ voluptatis existimare. Igitur totus in Ecclesia sua excolenda, perpoliendaque Parochus sit; vt semper munda, semper nitens, semper læta videatur; ita verò suos probis moribus, & christianæ disciplinæ institutis imbuat, erudiatque, vt totius populi vita veluti sponsæ vnius pudor, honestas, obsequium, sanctitas, religioque explendescat. Id facile præstabit Parochus, si ab ipso statim initio verum erga suam Ecclesiam, veluti in sponsam, amorem induet, si non ex illius dote atque opibus ditescere, & nummulos seponere, sed omnia ad illius cultum, ornatumque conferenda sibi esse statuerit; si deniq; victis cupiditatũ illecebris, veram gloriam, veraque præmia, quæ Deus rectè factis, ac ueræ caritati statuit, spectabit.

*Parochus suam Ecclesiam celebrandi causa in alia ne deserat.*
*Cap. 640.*

DIEBVS festis Parochus in alia Ecclesia vt celebret suam ne deserat, aut si eius rei a nobis iusta aliqua de causa facultatem impetrauerit, alteri Sacerdoti vices suas deleget; atque is si desit, tum etiam a nobis concessa facultate vti eum vetamus, & operam quam debet Ecclesiæ suę nauare iubemus; nisi forte alia Ecclesia in Parochia fuerit, in qua sacrificium ea die fiat, ac ne sic quidem ante discedet, quàm populum de eo admonuerit.

*Parochi decreta ad ipsos pertinentia teneant.* Cap. 641.

PAROCHOS omnes magnopere monemus, vt tam ea quæ hoc loco ad ipsorum officium propriè spectantia tradidimus, quàm quæ alibi tota hac Synodo idem attingentia officium, decreta iussaq; a nobis sunt, colligant, teneãt, præstentque omnia, quæ nos sicuti nunc quidem repetere necessarium non duximus, ita eorum rationem ab singulis in visitatione reposcemus.

*De supellectili in singulis Parochialibus Ecclesijs comparanda.* Cap. 642.

QVIA fit interdum vt Parochi vel quadam curæ atq; officij sui remissione, vel studio rei suæ parcẽdi, multa rerũ supellectili, quæ ad diuina officia ritè obeunda, tractandaq; necessaria, aut certe decens congruensq; esset, carere Ecclesiá suam patiantur, nos Parochis omnibus præcipimus, vt quisque in sua Parochiali Ecclesia hæc, quæ huic decreto subscripta sunt habeat omnia, cõparetuè intra anni vnius spatium. Aut nos doceat, quamobrem iussui nostro non paruerit; qui cuiusq; siue inopiæ, siue alterius impedimenti causa cognita, id statuemus, quod e re Ecclesiæ esse, ac diuino cultui maximè conducere iudicauerimus.

Tabernaculum in quo Sanctiss. Sacramentum asseruetur ad formam supra in Eucharistia præscriptam.

Conopeum.

Tentoriolum seu Baldachinum supra Tabernaculum expassum.

Tentoriolum sacramento ad ægrotos ferendo.

Tabernaculum ad vsum Processionum.

Pixides duæ.

Vela serico texta ad pixides tegendas.

Vela item duo ad Eucharistiam ægris ferendam.

Lampades.

Altare lapideum.

Ligneus gradus seu predella Altaris.

Cruces duę.

Candelabra sex.

Extinctoria duo.

Emunctoria duo.

Tabella Secretorum.

Tabella pacis.

Cerustata duo.

Tintinnabula parua duo.

Crotala duo, quorum vsus est in maiori hebdomada.

Turibulum.

Acerra.

Coclear.

Cande-

Candelabrum cerei Paschalis.
Candelabrum triangulare sustinendis candelis in maiori hebdomada.
Lectorilia duo.
Laternæ duæ hastilibus impositæ, quæ Eucharistiæ præferantur cum ad ægrotos (affertur.
Crucifixus paruus ad ægrotos, cùm est òpus ferendus.
Scamna prælonga quot Ecclesiæ ratio postulat ad vsum communionis.
Confessionalia duo.
Vexillum sancti patroni Ecclesiæ pro processionibus.
Feretrum.
Cœnothaphium seu Tumba.
Tabella Sacrarum reliquiarum.
Tabella indulgentiarum.
Tabella præcationum ante & post Missam dicendarum.
Tripus cũ patella igni candentibusque carbonibus ad vsum Ecclesiæ cõtinendis.
Forcipes ferrei igni tractando.
Cochlear ferreum carbonibus ministrandis.
Scopæ maiores ad verrenda pauimenta.
Scopulæ ex palustribus cannis ad vestes tergendas.
Scala gestatoria.
Ligo.
Batillum.
Malleolus.
Claui.
Perticæ.
Longurij.
Instrumentum ferreum ad conficiendas hostias.
Crepidarum paria duo.
Calices tres.
Patenæ tres.
Vrceolorum paria duo.
Peluiculæ duæ.
Vasculum aquæ benedictæ ad ægrotos ferendæ cum suo aspersorio.
Vas aliud aquę benedictæ gestatorium ad vsum Ecclesiæ cum suo aspersorio.
Vasa duo e quibus libandum vinum purificandi causa populo in communione
Lagenæ duæ quibus ipsum vinum afferatur. (præbeatur.
Vasa sacrorum oleorum ternis litteris distincta, quibus aliud ab alio discernatur.
Vasa alia in quibus olea ipsa sacra asseruentur.
Capsula maior magnis hostijs asseruandis.
Capsula parua circulari forma hostijs circuncisis asseruandis.
Capsula corporalibus condendis.
Vas æreum ad Calices, patenas, corporalia, & purificatoria lauanda.

Vreeus vnde oleum in lampades fundatur.
Mappæ seu Tobaliæ maiores tres.
Mappæ minores sex.
Mappę pro Altari Sacristiæ tres.
Mappę oblongę ad vsum communicandi populum quatuor.
Mappæ paruę tenuiores supponendæ Eucharistiæ dum ministratur tres.
Mantilia tergendis manibus in Sacristia quatuor.
Amictus sex.
Albæ sex.
Corporalia quatuor.
Pallæ quatuor.
Purificatoria decem.
Sudariola tergendis manibus in missa decem.
Sudariola abstergendo baptizatorum capiti quatuor.
Sudariola emungendis naribus ad Altare sex.
Funiculæ candidæ cum suis globulis suspendendis cingulo sudariolis sex.
Sacculi linei pro vnoquoque Calice inuoluendo bini.
Cotræ tres.
Cingula candida quinque.
Palia Altaris quinque, quinque colorum Albi, Rubri, Violacei, Viridis, Nigri.
Planetæ quinque, quinque colorum.
Stolæ quinque, quinque colorum.
Manipuli quinque, quinque colorum.
Pluuiales quinque, quinque colorum.
Dalmaticæ decanales quinque, quinque colorum.
Tunicellæ Subdiaconales quinque, quinque colorum.
Vela serica tegendo Calici quinque, quinque colorum.
Sacculi Corporalium seu Bursæ quinque, quinque colorum.
Tegumenta libri Missalis quinque, quinque colorum.
Signacula Missalis quina, quinque colorum.
Puluinaria Missalis quina, quinque colorum.
Vela serica tegendæ in sacrificio patenæ quinque, quinque colorum.
Tapetum seu laneum stragulum tegendo Altaris gradui seu prædellæ.
Tapetum seu stragulum sedili ornando in quo Sacerdos consideт cum solemniter celebret.
Stragulum funebre quod cadaueri cum efferendum est substernitur.
Stragulum funebre, quo cadauer tegitur.
Missalia duo.

Breuiaria magna duo. Rituale.
Calendarium. Sacerdotale.
Antiphonarium. Cathechismus Romanus.
Martirologium. Biblia Sacra.

Concilium Tridentinum.
Sinodus Diœcesana.
Liber baptizatorum.
Liber confirmatorum.
Liber Matrimoniorum.
Liber eorum qui in Pascha communicarunt.
Liber de statu animarum.
Liber Mortuorum sepultorumque.
Liber descriptionis bonorum Ecclesiæ.

*De Parochis ad aliam Parochiam decedentibus.* *Cap. 643.*

PAROCHVS qui fortè alteri Parochiæ præficietur, de priori non ante decedat, quàm successorem de Parochiæ statu diligenter instruat, librosque ei tradat Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimonio iunctorum, bonorum, vectigalium, omniumque Ecclesię iurium, capitum item hominum, ac indicem præterea omnium rerum, quæ in Sacristia atque in Ecclesia erunt. Quo aduenienś nouus Parochus distributa constitutaque omnia inueniat.

*De Parochorum conuentibus.* *Cap. 644.*

PAROCHORVM inter se, ad conferenda, de rebus Parochiale munus curamque animarum attingentibus, capita, crebræ congressiones, cætusque magnam videntur ad omnia vtilitatem opportunitatemque habere, & prorsus tuendæ Parochorum disciplinæ esse. Quem nos morem cùm in bene constitutis Ecclesijs magno cum fructu teneri aduerterimus, transferendum in nostrā Diœcesim atque in consuetudinem deducendum esse duximus. Quocirca statuimus, vt singulis mensibus initio sumpto sexaginta dies post promulgata hæc decreta, semel tam vrbani, quam Diœcesani Parochi conueniant, vnaque de officij sui rationibus colloquantur, atque consultent, quæque in ea consultatione, & congressione didicerint, ea inde præstent, atque in vsum inducant.

*De ratione, quam sequi in conueniendo Parochi debebunt.* *Cap. 645.*

DIœcesani Parochi ne longius iter suscipere necesse habeant, in duas partes diuidantur, alteram eorum, qui ab Vrbe in orientem, alteram qui in occidentem vergunt. Dies ad conueniendum festos ne deligant. His enim diebus manère eos apud Ecclesiam, rem diuinam facere, concionem habere, aliaque obire diuina officia decet, quæ deseri conuentus causa ab ijs non oportet. Mane cùm ad locum vbi congressuri sunt venerint, primùm omnium vnusquisque Ecclesiam intret, ac positis genibus piè Deum adoret, atque inde diuinum sacrificium

cium faciat, nisi id ante in sua Ecclesia fecerit. Deinde loci ipsius Parochus, aut alius cui Parochus concesserit, Missam mortuorum sueto cum cantu, cui operam omnes dabunt, qui conuenere, celebret. Omnesque inde supplicatum per cœmiterium eant, sepulchra de more aspergant, & ritus precationesque alias, quibus propitiatur mortuis Deus, persequantur; & Parochus quando hi futuri apud se conuentus erunt, præmonitum Populum habeat, quò qui voluerint celebrare ea die Ecclesiam, piaque in Mortuos obire officia, possint.

*De concione in conuentibus Parochorum habenda.*

*Cap. 646.*

AB eo qui solemne sacrum faciet, aut ab alio cui aliqua dicendi facultas suppetat, post recitatum Euangelium concio ad Populum habeatur. Qua quidem in concione ea maximè vitia exagitentur, in quæ facile populus labi solet, Blasphemiæ, ludi, obtrectationes, iurgia, rixæ, odia, inimicitiæ, furta, doli, fenerationes, ac maximè a flagitiosis amoribus, malisque libidinibus & quibus hæc aluntur, irritanturque choreis, saltationibus aliisque Virorum, & Mulierum cœtibus, quantum poterit audientes deterreat. Contra ad crebrum, religiosumque Sacramentorum Pœnitentię, atq; Eucharistiæ vsum, ad officia humanitatis, charitatisque, ad festorum dierum cultum ad frequentandas, celebrandasque Ecclesias, in ijsque piè, ac sanctè versandum, atque ad alia christianæ disciplinæ instituta magnopere adhortetur.

*De Prandio Parochorum in conuentibus. Cap. 647.*

DIVINIS officijs peractis, in Parochi ædes conueniant omnes, vnaque Prandium sumant, cui nemo laycorum adhibeatur; omnes antequam discumbant solemni ritu Mensæ benedicant; omnes, sublata mensa, gratias de more Deo agant. Conuiuæ vnico coctorum ciborum ferculo, eoque vulgari, & parabili contenti sint, cum iure, aut pulmento aliquo; nulla exquisita conditione, nullo gulæ lenocinio: neque enim quod curandis, colendisque animis institutum est, id ad luxum conuiuandiq; voluptatem verti debet. Quin huic legi vnici ferculi, ita obtemperari ab omnibus volumus, vt si quis eam neglexerit, violatitque, ei trium scutorum mulctam statuamus, eamq; pecuniam Sacristiæ illius Ecclesiæ esse iubeamus. Quamdiu durabit prandium, summum ab omnibus silentium teneatur; omnes aliquem Ecclesiasticum librū legenti operam dent; qui leget Clericali saltem ordine sit prædictus.

*De his quæ in conuentu agenda erunt. Cap. 648.*

REFECTIS cibo corporibus, si qui adsunt layci homines excludantur omnes, & Paro chus cuius in domo conuentus habetur, capita aliquod e

Sinodo

Sinodo hac nostra, siue de sacrificio Missæ, siue de Parochorũ officio, siue de sacramentorum administratione leget, silentibus alijs, atque explicabit. His lectis idem Parochus quæstionem aliquam seu de ratione, ac vi sacramentorum, siue alia de re, è Romano Cathechismo maximè desumptam proponet, deque ea suo quisque loco, quod sententiæ habuerit, explicatè edisseret. Nec quisquam alteri verbo assentietur, quamuis eius sententiam probaret, sed ipse quoque quid eadem de re sentiat distinctè promet; quod si quis memoriæ suæ diffideret, ei licere volumus sententiam suam etiam de scripto recitare; & vt spatium ad rem meditandam, penitusque cognoscendam omnibus sit, volumus vt singulis congressionibus argumentum statuatur, de quo insequenti colloquio dicendum, agendumque erit. In dicendis autẽ sententijs, nemo ordinem peruertat, nemo alium interpellet, nemo non expectet, vt a Parocho relatore rogetur, aut nutu dicere iubeatur: Post hæc si quis habuerit de quo consulere conuentum velit, siue id ad cõscientiæ casus, siue ad sacramentorum administrationem, siue ad ritum, rationemque diuinorũ officiorum pertineat, venia dicendi prius a Parocho impetrata rem exponat; sententiæque ordine dicantur. Postremò dies, locusque, quo postero mense conueniendum, & item quæstio de qua disserendum in colloquio erit decernatur, in quo illud cauere iubemus, ne de subtilioribus, abstrusioribusque rebus argumenta proponantur: sed cõmunia & in medio posita, & ad Parochiale maximè munus spectantia, deligantur. Concio quoque a quo haberi debeat statuatur. Atque his ita actis, conuentus dimittatur.

## DE CLERICIS. CAP. 649.

CLERICORVM nomen omnes quicunque Ecclesiasticis ordinibus imbuti sunt, atque adeo etiam prima tantum tonsura initiatos, qui in ordinũ numerum non referuntur, sed aditus ad eos dicitur, complectitur. Omnes enim in eandem adscripti militiam, Deo exercituum se vitamq; deuouerunt, & quod ipsum vocabolum significat, in sortem recepti Dei sunt, siue adeo eorum sors Deus ipse est. quocirca pro se quisque eniti debet, vt tali sorte indignus ne existimetur, vereque illud prædicare de se possit, Dominus pars hæreditatis meæ, & pars mea Dominus in terra viuentium.

### *De Clericorum moribus. Cap. 650.*

ET si passim, omnibus huius Sinodi decretis, idem sæpe repetiuimus, inculcauimusque de vita, atque innocentia clericorum; tamen quia summum in ea re momentum ad populos in christianæ disciplinæ studijs retinendos, atque in salutis ratione tradenda propagandaque situm esse intelligimus, numquam hic locus dubis satis tractatus, explicatusque videri potest. Huc igitur omnes omniũ ordinum ætatisque clerici pro se quisque diligentissimè incumbamus, vt qui in

Dei Castra adscripti milites sumus e sanctæ militiæ munia, laboresq; ne detrectamus, neuè hunc honorem atq; hæc stipendia, curis, solicitudinibusq; merenda ad voluptates, ad luxum, ad vitæ commoda vertamus. Nihil a recta viuendi via, nihil a sanctæ caritatis officijs deflectamus, nihil in nobis non simplex, non castũ, non integrum, cernatur. Modestiæ, frugalitatis, humanitatis, & quam Deus tantopere suis cõmendauit, humilitatis a nobis exempla petãtur. Deniq; in incessu, statu, sermone, actione clericalis pudor, honestas, dignitasque eniteseat. His nixi virtutibus duces nos populis ad cęlestem vitam prębeamus, & quæ doctrinæ, ingenij, eloquentiæ vi docere alios volumus, ea ipsi vitæ laudibus speciminеque anteire studeamus; in quo & maior quàm in ipsa orationis copia, atq; eruditione vis erit, & fructus vberior. Hæc si ita præstiterimus, si omnium oculis morum, ac vitę nostræ integritas, religioque obuersabitur, profectò & populus glorificabit patrem, qui in cœlis est; & fidei nostræ, nostræque pietatis exemplis, magis quã doctrinæ præceptis ad imitationem virtutis, studiaque pietatis commo uebitur, incitabiturque.

*De sacramentis a Clericis frequentandis.* *Cap. 651.*

MAXIME omnium Clerici ad frequentem sanctissimę Eucharistiæ, atque sacræ confessionis vsum allicere, atque adhortari populum debent. Neque enim ad conciliandam nobis diuinam gratiam, atq; animæ nostræ labes maculasque abluendas sanandasque præsentius, certiusque vllum inneniri remedium potest; sed nulla adhortatio efficacior, quàm ipsum Clericorum exemplũ, vt supra ostendimus, fuerit. Itaque Sacerdores non solùm singulis dominicis, & festis diebus (quod nos fieri ab ijs ex auctoritate Tridentini Concilij ante præcepimus) diuino sacrificio operentur; sed ita sanctissimum illud munus obire studeant, vt ea re populi religio ad eorum imitationem accendatur. Quam ob rem reliquos etiam Clericos in sacris quidem ordinibus constitutos, alternis saltem septimanis, minoribus autem initiatos singulis mensibus, de Sacerdotis solemniter sacrificantis manu, sanctissimam sumere Eucharistiam iubemus. Ad eam autem sumendam Cotta indutos omnes accedant. Qui facere sine necessaria causa neglexerint, eos Chori Præfectus admoneat, ac si non paruerint, rem ad nos deferat.

*Clerici non alio quàm clericali uestitu vtantur.*
*Cap. 652.*

CLERICORVM Diœcesis nostræ nemo, aut sacris initiatus, aut beneficio Ecclesiastico præditus, etiam si studiorum causa abesset, publicoque in Gimnasio versaretur, audeat alio quàm clericali ornatu vestituque in publicum prodire; ac ne domi quidem suæ vllam, quæ clericum minus deceat, vestem adhibere.

hibere. Qui secus fecerit, ab omni ordinum suorum munere suspensus, ac beneficiorum fructibus anni vnius priuatus sit, quos fructus iam nunc sacristię Ecclesiæ donamus, attribuimusque. Quod si is Ecclesiastico beneficio caruerit, præter suspensionem ab ordinibus, alijs præterea pęnis arbitrio nostro punietur. Qui verò contumaces fuerint, etiam beneficijs ipsis, quæ habent, si ita mereri videbuntur, exuentur.

*De vestitu, atque ornatu Clericorum.* *Cap. 653.*

CAPVT Clerici operiant quadrato, & in crucis formam consuto integumento, quod birretum vocatur. Reticulum, seu subirretum nisi valetudinis ratio poscat ne ferant, tum certè deponant cum diuino sacrificio operantur Pileum item nisi pluuio tempore ne adhibeant, & neutiquam in choro, nec ille militaris, aut muliebris sit, sed ea forma, quæ Ecclesiasticum hominem deceat. Nemo Clericorũ nisi lõga, & ad talos vsq; demissa veste vtatur, siue toga, siue tunica, siue pallium sit, præterquam si nos adolescentibus Clericis in Ecclesia ministrantibus, quo magis expediti ad iussa munia sint, breuiores concesserimus. Qui pallio quod vocant feraiolum vtique amiciri, quàm toga maluerit, quando id iã vsus obtinuit, illud quoque ipsum ad talos defluat, & tunicam æquet, nõ, quod quidam parũ decenter faciunt, vix vt ad suras pertingat. Toga si quis hanc pallio præferat, non latis & turgidis manicis, & a ceruice in dorsum reflexa, sed aptè collum complexa, sub mento paruis vncis decorè annectatur. In itinere si equo vehantur, tunica contractiori expeditiorique, infra genua tamen demisse vti licebit, quàm penula, aut pallio paulò longiori contegent. Totus autem viatorius Clerici ornatus sit huiusmodi, ex quo Ecclesiastici ordinis hominem eum esse facile intelligatur. Nulla nisi lanea, & nigri coloris vestis Clerico adhibeatur. Serico tam domi quam foris omnes abstineant; lineas interiores tunicas nemo collum circa, manusque crispatas rugosasque, nemo artificiosius elaboratas habeat, sed quarum collare simplex, & modicè latum paulum reclinetur, & è manibus non nihil item reflectatur. Caligis non laxis, turpidisque, non ad elegantiam, atque ornatum dissectis, non acu pictis, non auro sericoue intextis, sed quæ Clericali modestiæ conueniant, vtatur; item calceis, & crepidis è simplici coreo, neque ornatus causa incisis. Torques, armillæ, monilia prorsus reijciantur: ac ne annulos quidem induat quisquam, nisi id dignitas & officij munus postulet; ac sic quoque non nisi vnicum, & modici pretij, nec nisi digito annulari, qui minimo proximus est. Vnguentis, odoribusque, quibus effeminantur animi, abstineant. Denique in Clericorum ornatu, vestituque nihil nouum appetatur, nihil inane, nihil exquisitũ, nihil sumptuosum, nulla ostentatio, nullus luxus; at contra nullæ sordes, nulla abiectior negligentia conspiciatur; ac tam muliebres munditiæ, & in colendo molliendoque corpore nimia cura, studiumque refutetur, quàm virilis elegantia ne negligatur; quid enim sordido, pannoso, obsoleto clerico ab-

Z horrentius?

horr entius? omnia denique omnibus ad honestatem, ad modestiam, ad decorem referantur.

*Clericus cum Cotta per publicum ne incedat.*
*Cap. 654.*

LINTEAM superiorem vestem, quæ Cotta dicitur, non alio tempore induere, ac ferre Clerici, quocunque præditi ordine sint, debent, nisi cùm vel in Ecclesia diuinis officijs operam dant, vel supplicatum procedunt, vel ad ministranda Sacramenta, vel ad aliud Clericalis officij munus, quod eum ornatum requirat egrediuntur. Caueant igitur omnes, ne aut foribus Ecclesiæ cum Cotta obuersentur, aut proximas officinas obeant, aut publica via incedant, aut, omnino pedem eo Clericalis ordinis insigni induti Ecclesia efferant.

*De clericali habitu non vulgando.* *Cap. 655.*

NE qui proprius Clericalis ordinis esse, & quo Clerici ab alijs distingui debent, ornatus, vulgo vsurpetur, edicimus, ne quis non prima saltem tonsura initiatus, Clericalem vestitum suscipere, eoque indutus incedere audeat, nisi cui facta eius rei potestas à nobis fuerit.

*De clericali ornatu ad ludicra non adhibendo.* *Cap. 656.*

NE honor, qui Clericorum ordini debetur, vllo modo ludibrio habeatur, statuimus, nemini personato licere Clerici ornatum induere; aut omnino in scænis, ludicrisque adhibere. Quod si quis adeo sacrari ordinis contemptor, irrisorque fuerit, qui contra huius decreti voluntatem facere audeat, is temeritatem, contumaciamque suam grauibus pęnis arbitratu nostro luet.

*De Parochorum Clericorumque vestitu Ruri agentium.*
*Cap. 657.*

INOPIAM suam Parochi, Clericique Diœcesis nostræ, qui Ruri degunt ne in cultu corporis nimium negligendo ostentent; non tam enim inde affectatæ parsimoniæ, & humilitatis commendationem ferent, quàm cupiditatis ac sordium suspicionem incurrent; sine talari veste vtrique in publico, atque in Ecclesia præsertim cùm frequens populus conuenit, ne versentur; nisi si aliquod officij sui munus obituri, quod Cottam requirat, aut iter pedibus via impedita facturi sint. Nam quorundam Parochorum licentiam valde reprehendimus, &, nisi ea abstiterint, etiam pœnis à nobis coercebuntur, qui per publicum nulla Toga, nulla Tunica, nullo pallio, cum lineo tantum torace, & caligis, interdum & sine tibialibus, more rusticorum

corum incedere, & vagari per agros, nullo Sacerdotalis decoris pudore, non verentur, quæ res eos in magno apud omnes contemptu ponit. Memores ergo dignitatis suę, eius numquam non retinentes sint; sine decenti vestitu in publicum ne prodeant; & pariter corporis habitu, & animi motibus à vulgo distinguantur. Vestes ad talos demittant, ac tam interiores quam exteriores non alio, quàm nigro colore sint. Nam caligæ, aut certe tibialia alba ex linea tela clericum non sanè decent. Si lanea hæc propter tenuitatem facere nequeant, ipsum quoque linum nigro colore infici curent. In Ecclesia quo tempore Cotta vtuntur, cum pileo ne sint, sed clericali birreto tum semper vtantur; & in omni re decori, atque honestati studeant; & qui patris nomen munusque apud suos obtinent, paternam quandam grauitatem ipso quoque habitu præferant.

*Clerici mortuorum causa vestem ne mutent.* *Cap.* 658.

COMMVNEM inter seculares homines morem ob suorum funera lugubrem vestem sumendi, eamque pro gradu propinquitatis, quo mortuũ attingebant, diu gestandi, in clericis minimè probamus. Hos enim Deo addictos non lugere suorum mortem decet, luctusque insigne præferre, sed animã humanis miserijs defunctam sanctis, ac pijs precibus Deo commendare; Ac suã erga propinquos pietatem, ac beneuolentiam hoc genere officij potius, quàm vestimenti mutatione testari. Et non fractum dolore, atque luctu, sed constantem, æquabilem, & res humanas humaniter ferentem animum, in vnumque intentum Deum profiteri. Igitur posthac qui clericali in veste incedunt, eam ne in parentum quidem funeribus ponant, & cum attata, lugubrique commutent.

*De Clericorum tonsura.* *Cap.* 659.

CLERICI omnes tam qui minoribus, quàm qui sacris ordinibus initiati sunt, caput ita tondeant, vt in medio vertice orbis ad cuiusque dignitatis, atque ordinis modum, aut penitus erasus, aut depressius tonsus emicet, appareatque; Sacerdotibus ad Hostiæ ferè magnitudinem, cæteris pro suo cuique ordine minor, isque saltem decimoquinto quoque die renouetur. Comam nemo nutriat, nemo capillos, nisi simplici cultu habeat, à quorundam adolescentium, aut plus quàm adolescentes desipientium virorum turpi sanè more, atque indecoro, qui plus æquo iam inualuit, capillatam frontem, ac sinciput, circuntonsa reliqua capitis parte gestandi, Clericis omnibus prorsus interdicimus. Nam prçterquam quod summam arguit leuitatem, etiam deformis aspectu res est. Quãuis illi capillorum manipulo frontem aspergente, augeri formę dignitatem, inepte existiment.

*De Clericorum Barba. Cap. 660.*

DEPONENDÆ, atque adeo radendæ Barbæ mos vetustus in primis est, Ecclesiasticisque hominibus diutissime retentus. Nam & mysteriũ, ac significationem Clericali dignitati, atque instituto accommodatam habet, & obeundis diuinis officijs, diuinoque sacrificio peragendo, promissa barba, & impedimentum affert, & indecora, atque adeo interdum parum munda res est, tam mundã Hostiam tamq; sanctam contrectanti imolantique; & ea quoq; re à laycis distingui haud parum ad Sacerdotum dignationem videtur pertinere; si tamen cum superfluis corporis inanes quoque animi curæ, quod hæc barbę, & capillorum amputatio declarat, abijciantur; nosque vt oris habitu, ita rerum humanarum contemptu, ac sacrarum studio, ab alijs discernamur. Quid enim prosit abrasam in capite coronam, detonsamque barbam ostentare, cultuque & ornatu clericali à vulgo distingui, & vulgi deprauatis moribus viuere? vulgi negotijs implicari, vulgi voluptatibus duci; & nihil vita, nihil continentia, nihil abstinentia, nihil deniq; sanctæ caritatis officijs, à corrupta multitudinis consuetudine discrepare? Demus operam, vt animis vanam fiduciam nostri exigamus, inaniumque rerum non actionibus modo, sed cogitationibus etiam temperemus. Vitæ officia non prauis vulgi cupiditatibus infici patiamur, sed fide, cultuque cœlestis muneris, quo inter homines fungimur, metiamur, huiusque tam sancti consilij, vitæque instituti speciem, corporis quoque, atque oris habitu præferamus. Ergo Barbam Clerici ne alant; quin vel penitus abradant, vel vndique ad viuum æqualiter tondeant; maximè Sacerdores à superiori labro omnes remoueant, ac resecent pilos; ne quid consecrati vini, atq; adeo diuini iam sanguinis haurientis labro adhæreat, madeantq, cœlestis Hostiæ humore, plus æquo excrescentes pili. Caueant verò Clerici, ne quod barbaruli quidam adolescentes, & adolescentibus corruptiores viri faciunt, genas ad mentum vsque studiosè deradant, mento barbam, veluti compositam palustribus calamis scopulam, quod visu quoque fœdum est promittant, & cum cura inde nutriant, comantque.

*De domestica Clericorum disciplina. Cap. 661.*

NON foris solùm, atque in Ecclesia, sed domi quoque atque intra parietes Clerici mores vitaque commendentur, & ab aliorum viuendi licentia, grauitate, humanitate, modestia distinguantur. Qui vitam cum parentibus, cum fratribus, cum suis agunt, non ipsi laycorum consuetudine infici, ac labefactari Clericalem disciplinam patiantur, sed suo potius exemplo solutam aliorum consuetudinem non nihil astringi, modestioresque eos, & Clericalis ordinis reuerentiores fieri curent. Eorum cœtibus, liberioribusque

congres-

congressibus, quantum licet temperent; in cubiculum se suum recipiant, & ibi studijs honestarum rerum operentur. Cùm ad cibum capiendũ prodibunt, neminem ante accumbere patiantur, quã ipsi mensæ suetis precationibus benedixerint; neminem à mensa discedere priusquam Deo gratiæ pari ritu actæ fuerint. Frugaliter semper temperatéque edant, communi & parabili cibo contenti, omnia gulæ lenocinia irritamentaque aspernentur, suos assuefaciat mane cum surgunt, ante omnia pijs se Deo precibus commendare, idem vesperi cùm se cubitum conferunt facere. Si quæ domi tabulæ profanarum imaginum sint, auferri iubeant; nec nisi quæ religionem commouere, augereque possint haberi patiantur; curentq; in singulis cubiculis aliquam sacram imaginem esse, cui ab intrantibus honor habeatur, apud quam sæpe Deus adoretur; inania ædium ornamenta omnia reijciant, canes acipitresque ne alant, neuè venentur.

*Clerici cum Mulieribus ne habitent.* Cap. 662.

CLERICI qui separare à propinquis domum possunt, ne cum eorũ vxoribus, alijsque mulieribus habitent, prudenter sanè, & ex veterum Patrum more, rationeque facient, si id exequantur. Decet enim Ecclesiasticum hominem non crimen solùm, sed etiam criminis suspicionem vitare; præterquam quod domestica, & cotidiana fœminarum etiam propinquorum consuetudine mollitur animus, sensimque flexus, a constantiæ, & continentiæ consilijs descicit. Illi autem qui à suis proprias in ædes secesserint, cum ijs vllam omnino fœminam habitare prohibemus, nisi à nobis eius rei facultatem scriptam obtinuerint, qui & necessitatis eorum, & mulieris ætatis, famæque, & morum rationem ducemus.

*Clerici mulieres ne doceant.* Cap. 663.

CVM nulla virorum cum fœminis consuetudo periculo careat, nos vt clericis nostris hac in re quantum possumus, caueamus, ijs omnibus quacunque ætate, quocunque ordine sint, præcipimus, ne mulieres vllas, vllam artem doceant; non legere, non scribere, non canere, non psallere; non denique quicquam, nisi eius rei à nobis scriptam facultatem obtinuerint, qui ætate, moribusque vtrinque perpensis, quàm res poscere visa fuerit, cautionem, rationemque adhibebimus.

*Contra Clericos concubinarios.* Cap. 664.

SI qui fortè in Diœcesi nostra Clerici sunt, quod non putamus, qui suspectam mulierem, aut non dubiam Concubinam, vel domi suæ habeant, vel in aliena alant, eiusque consuetudine vtantur, eos ex auctoritate maximè Tri-

 dentini

dentini Concilij monemus, atque adeo planè præcipimus, vt intra nonum diem à die promulgati huius decreti eas domibus suis dimittant, exigantque, ac penitus se ab eorum vsu, & consuetudine remoueant, omnemque inde suspicionem ab se detestentur; qui non paruerint in eos ex ipsius Concilij statutis grauiter, ac seuerè, perinde ac rei indignitas, ac turpitudo meretur animaduertemus; impurosque homines non fructibus solùm beneficiorum mulctabimus, sed beneficijs ipsis abdicabimus, ordinum vsu prohibebimus, excommunicatione, carceribus, omnibus denique pœnis ex sacrorum canonum iure, pro cuiusque merito coercebimus, atque insectabimur. Ignorare autem neque ipsos, neq; alios volumus, quicunque Sacerdotio præditus, huius, aut non absimilis flagitij infamia ita laboret, vt manifesto crimine teneatur, resque palam, & non dubia sit, is si diuino sacrificio admouere manus, ac Missam celebrare audeat, eo irregularitatis piaculo se obstricturum, quo nisi à Pontifice Max. solui non possit, idem si Diaconus, aut Subdiaconus in pari crimine, ordinis sui munus exerceat, subiturum noxę esse, ne ignoret.

*Clerici noctu se domi contineant.* Cap. 665.

PRIMIS noctis tenebris Domum se Clerici recipiant, neque nocturno tempore pedem ianua efferant, nisi necessaria aliqua causa inciderit. Ac tum quoque nisi prælato lumine. Quod si quis post primam noctis horam per tenebras vagans deprehensus fuerit, de eo illud scilicet Euangelij coniectantes, qui malè agit odit lucem, in carcerem duci, & facti sui rationem nobis reddere, iubebimus, & perinde ac meritus fuerit seuerè mulctabitur.

*Clerici armati ne incedant.* Cap. 666.

NON dici potest quàm omnium oculos offendat armati Clerici aspectus; quamque absurda, alienaque ab eius ordinis humilitate earum rerum tractatio sit, quę immitem, ferocem, & maleficio paratum animum indicant. Vera enim Clericorum arma piæ preces sunt, pro his quoque, qui eos persequuntur. Itaque edicimus, ne cui Clerico siue interdiu, siue noctu, ferrum, telum, armorumque vllum genus, tam quibus infertur ictus, quàm quibus arcetur, ferre liceat, præter cultellos ad communem mensę vsum. In itinere si id per infesta latrocinij loca, aut aliter periculosa factum sit, arma ferre permittimus, dum ne sclopis hastaue vtantur.

*Clerici spectaculis ne intersint.*
Cap. 667.

CLERICI, quemadmodum cæteros religionis dignitate præstant, ita præter cęteros profanis, atq; irreligiosis rebus abstinere debet, & vulgi studijs volupta-

voluptatibusq; minimè se immiscere; multo minus actores ipsos talium rerum esse. Caueant igitur clerici omnes ne personati incedant, ne choreas ducant, neuè spectent, ne comedias agant; neu publicis spectaculis, præsertim in quibus periculum vitæ ludentes adeant, vt concurrentium hastatorum equitum certaminibus, taurorumque indomitorum venationibus, ne intersint, item alia huius generis spectacula, populique conuentus vitent, ne aures, oculique diuinis officijs addicti, procacibus, impurisque actionibus, sermonibusque polluantur, & animus a sacrorum munerum cogitatione abductus, ad alia distrahatur.

*Clerici supplicia sontium ne spectent.* Cap. 668.

NON solùm ab omni nece patranda, cogitandaque longe abesse Clericorum pietas, atque humanitas debet, sed etiam oculos ab eius aspectu continere. Valde enim deforme est, Ecclesiasticum hominem in turba, atque tumultu plebis, ad supplicia, quæ publicè iussu magistratus de sontibus sumuntur, spectanda concurrentis, conspici; & intentis oculis miserorum mortes, pœnasque intueri eum, quem maximè auertere ab ijs cruciatibus animum, & pereuntium vicem misereri conuenit; Præcipimus itaque omnibus omnium ordinum clericis, vt ne quis cum damnati ducuntur, necanturque, aut quouis modo publicè torquetur, ac puniuntur, eorum supplicijs cruciamentisque intersit, nisi fortè, ad pium officium consolandi eos, atque vt forti, & christiano animo pœnam subeant, hortandi adhibitus fuerit.

*Clerici armis decertantes ne spectent.* Cap. 669.

SINGVLARIA certamina duellaque, quæ diuino instinctu concilij Tridentini patres sustulere, non est quod Clericos moneamus ne spectent. Cùm enim grauissimæ pœnæ in eos constitutæ sint, qui inire eas pugnas, aut spectare auderent, ne fore quidem quemquam adeo Religionis, ac sacrarum legum contemptorem credibile est, qui tam nefarij, atque impij facinoris patrator iam amplius existat; sed nos Clericos nostros etiam rixis, quæ sæpe inter priuatos concitantur, si ad prouocationem, ad gladios, ad arma prorumpant, abscedere seseque auertere iubemus, cùm eas plerumque vulnera sequantur, interdum etiam cędes.

*Clerici ludo abstineant.* Cap. 670.

LVSORES etiam milites, & corruptissimi homines, & quibus nulla honesti, decorique cura, passim reprehenduntur. Et meritò, maximas enim benè cōstitutis familijs clades hæc vna pestis sæpe intulit, sæpeque præclara Adolescentum ingenia huius contagio mali transuersa egit, euertitque. Et quis in Clerico ferat, quod ne dissolutis quidem, ac perditis conceditur? omni igitur

ludo

ludo qui quæstus, & lucri causa ludatur clericis interdicimus, maximè verò omnium aleæ, tesserarum, talorum, pictarumque tabellarum. Ab illo quoque clericos prohibemus, quo ligneus globus ferrato malleo impulsus adigitur; est enim periculo plenus, & ob id clerico in primis cauendus. Follis item, & maioris pilæ ludo abstinere eos iubemus, in quo violentior motus corporis, & Clerico indecorus est. Atque his quidem non ludere solùm Clericos ludis, sed ludentes spectare vetamus. In sua verò domo vetitis ludis ludendi potestatem alijs facere perinde peccare decernimus, ac si ipsi luderent. Quod si valetudinis causa parua pila ludere, aut alio exercitationis genere, vti Clericis libuerit, id quidem illis permittimus, dum ne publicè faciant, neuè pecuniæ, aut alterius rei quod pecunia æstimari possit, damnum lucrumuè intercedat.

*Clerici conuiuia ne celebrent.* Cap. 671.

APOSTOLI Pauli verbis admonemur, comesationes, & ebrietates vitare, ac sobriè, & castè viuere. Declinent ergo Clerici lautiora, & solutiora conuiuia, & si quando inuitanti ad epulas, quin morem gerant facere non poterunt, sobriè, ac temperatè epulentur, modestiamque per omnia retineant. Non risus, cachinnosque tollant, non vino largius indulgeant, indulgendique alijs auctores sint. Externo autem illo a Germanis inuecto more propinandi inuicem, & certis legibus pocula exhauriendi, penitus abstineant, raro enim turpem illam compotationem non turpior ebrietas sequitur: quod non solùm a Clericorum temperantia, sed a patria etiam consuetudine abhorret. Si ipsos dare epulas clericos, seu festorum dierum, siue exequiarum, seu iusta alia de causa cōtigerit, id nullo luxu, nulla exquisitiori ciborum conditione, nullis gulæ irritamentis faciant; a frugalitate ac temperantia ne discedant. Nec incipiant solùm, concludantque benedictione, & gratiarum actione mensam, sed conuiuantes sacra aliqua lectione detineat, quo vno tempore, & corpus, & animus suo quisque cibo recreetur. Cauponarum, quæ nunquam flagitij occasione carent, aditu Clericos penitus arcemus, præterquam cùm iter faciunt, ac tum quoque cum mulieribus discumbere eos vetamus.

*Clerici prophanis cantibus operam ne nauent.* Cap. 672.

QVemadmodū à Clericorum studijs non solùm, non aliena, sed etiam expetenda, ac prope necessaria cantus, atque musicæ ars est, quo vocem numerosque moderari, & psallere, & canere in choro diuina carmina scienter, & ex musicę legibus norint; ita cauere eos iubemus, ne quod excitandis ad religionem, & diuinas laudes concelebrandas hominum mentibus, comparatum est, id ad secularium oblectationes, & quod absurdius est, ad voluptatem, atque ad amatorias vanitates transferatur. Ne igitur se Clerici in nuptijs, in conuiuijs,

uiuijs, atque in id genus, profanis secularium hominum cętibus, adduci patiantur, vt operam suam commodent: meminisse enim eos volumus, veteri Canone Clericis inter epulas canere vetitum esse; multo minus audeant noctu ex publicis vijs ad fœminarum aures oblectandas, deliniendasque ad fidium sonum cantus edere; quod quia flagitij suspitione non caret, si in eo deprehensi fuerint, grauiter a nobis punientur.

*Clerici causas ne actitent. Cap. 673.*

REMOVERE se Clerici quam maximè a profanarum rerũ actionibus debẽt, vt magis diuinis officijs, quibus vnis se vitamque addixerunt, vacent; qui enim Deo militamus, quicquid auocare animum ab huius militiæ muneribus potest, respuere debemus. Proinde nemo Ecclesiastico beneficio præditus, aut sacris initiatus, alienas causas ad seculare tribunal actitet, nemo procuret, nemo aduocatus adsit, nisi suæ ipsius, aut Ecclesiæ suæ, aut propinquorum, aut egentium, ac destitutorum res tuenda, causaque defendenda sit. At ne has quidem suscipere ei liceat, nisi id a nobis permissum scripto illi fuerit. Multo minus tabularij, seu Notarij officio profanis in rebus conscribendis, confirmandisque fungatur. Item tutelam cuiusquam ne gerat, neu pro alijs fideiubeat,

*Clerici in seculari iudicio testimonium ne dicant.*
*Cap. 674.*

VT in omnibus rebus discrimen inter Clericos laycosque appareat, Clericisque per omnia caueatur, statuimus nullum clericum in seculare iudicium ad testimonium dicendum examinandumque adduci posse, nisi eius rei veniam a nobis impetrauerit, ac nisi ab eo nõ secularis Iudex secularisuè Iudicis minister, sed Sacerdos aliquis iusiurandum exegerit. Quod ni ita fiat, testimonium ipsum, omniaq; quæ quæsita ab eo fuerint, nulla fide niti, nullam auctoritatem habere, sed inania prorsus, irritaque esse decernimus. Quin illud quoque adijcimus, nemini veniam, facultatemque examinandi dari debere, nisi prius Vicarius noster, aut nos ipsi quibus de rebus eum Iudex percunctaturus sit, edocti fuerimus; vt ex ijs an permittendum Clerico sit examinari, statuere possimus; ac ipse quoque Clericus ante a nobis, aut Vicario nostro ijs de rebus interrogetur, ac si periculum sit, ne Clerici testimonium aut capitis pœna, aut membri abscissio, aut grauis rerum famæque iactura sequatur, illius aduersus quem dixerit, vnde Clerico ipsi irregularitatis noxa contrahatur, tum nullo modo examinandi facultas ei concedatur. Quo circa in ipsis concessæ facultatis litteris, capita rerum, quarum ille testis asciscitur, exponi mandamus.

*Clerici medicinam ne faciant.* Cap. 675.

ANIMIS non corporibus mederi clericorum artis est. Nam medicinam facere nec decorum clerico, nec tutum fuerit. Cùm enim coniecturis magis duci, quàm certa explorataque earum rerum scientia, quas tractant Medici videantur, accidere etiam interdum potest, vt ęgro mortis causam medentium imprudentia, errorque afferat; quod Clerico sacra tractanti, sine graui piaculo non accideret. Ergo medendi arte abstinere eos prorsus iubemus.

*Clerici ne negotientur.* Cap. 676.

QVIBVS medicinę arte forensibusque actionibus interdicitur, hos multo minus mercaturæ quæstibus sese ordinisque sui dignitatem dedecorare conuenit. Igitur Clerici neque ipsi vllam vlli negotiationi operam dent neque dantibus interpretes se mercede interponant. Item quod negotiationis instar est, ne alienos fundos, prædiaque lucri causa conducant, neuè ipsi ædes suas, seu Ecclesiæ suæ mulieribus famosis aut infamibus hominibus locent. Qui contra fecerint, ea pęna a nobis afficiētur, quam meriti nobis videbūtur.

*Clerici potentioribus ne famulentur.* Cap. 677.

CLERICI quamuis angusta domi re vtantur, tamen dignitatis, atque ordinis sui retinentes in ipsa quoque egestate sint, neque se adeo abijciant vnquam, vt secularibus diribus hominibus, ac ne principibus quidem in famulatū se dedanr; aut si vtique dedere necessitate adigantur, humilibus, & Sacerdotali decore indignis officijs mancipari, subijcique se ne patiantur; fœminis quamuis illustribus ne appareant, neu brachium, quo illæ per vias incedentes nitantur, porrigant, neuè earum mensis assistant, ancillenturque. Nullo denique modo operam suam seculari homini addieant, nisi ante facultatem eius rei scriptam a nobis impetrauerint.

*Nemo Clericorum non alicui Ecclesiæ operam præstet.* Cap. 678.

INDIGNA Clericali ordine, ac munere rès est, clericum diuino cultui mancipatum omnis Clericalis officij exortem, aut torpere otio, omnique solutam opere vitam agere, aut certè nullam vlli Ecclesiæ operam nauare. Id ne fiat, & qui vel Ecclesiasticorum ordinū honore fruuntur, vel ex Ecclesiasticis bonis fructus percipiunt, Ecclesia quoque aliquem ex ijs fructum percipiat, statuimus, vt qui sunt in Ciuitate nostra Clerici, omnes Dominicis & festis diebus in Cathedralem Ecclesiam mane saltem ad Missam, quæ cantu celebratur, deinde ad Vesperas

cum

cum lintea superiori veste, aut Cotta conueniant, atque in Choro cũ reliquis Clericis ordinis sui officia obeant. Item cùm sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, aut Tabernaculo promptum adorandum populo exponitur, aut expositum reconditur, aut per ipsam Ecclesiam vel per vrbẽ supplicandi causa circumfertur, Cotta pariter tecti adsint, operamque præstent. Idem fieri tota Diœcisi nostra in Parochiali cuiusque loci Ecclesia iubemus.

*Contra Clericos non ex clericali disciplina viuentes.*
*Cap. 679.*

QVI Clericorum in minoribus ordinibus constituti, neque vlli Ecclesiæ vllam operam nauant, neque tonsuram, neque vestitum Clericalem ferunt, & vitam nulla Clericali lege astrictam laycorum penitus licentia viuunt, ne qua macula ex eorum solutis, inquinatisque moribus Clericorum nomini aspergatur, ab ijs huius decreti sanctione omnẽ Clericalem immunitatem, priuilegiumque abdicamus, & a Canonico reiectos, seculari ac ciuili iuri subiungimus, vt hac ignominiæ nota excitati, aut animum ad Ecclesiasticæ disciplinæ obseruantiam normamque reuocent, aut eorum contagio ad Ecclesiasticos homines ne pertineat.

*De Clericis Canonicas horas omittentibus.* *Cap. 680.*

NEMINEM quidem esse vsque adeo Clericalis disciplinæ expertem arbitramur, qui sacris initiatus, aut beneficio Ecclesiastico præditus, canonicas horas si non statis temporibus, at certè intra diei spatium omnes non recitet. Verùm si quis salutis suæ, atque officij (cuius causa, ipsa sunt beneficia instituta) immemor, horas Canonicas ex breuiarij præscripto recitare intermiserit, in eum a nobis ex Pij Quinti Pont. Max. lege, quæ neglecti huius officij vindex rationem pœnæ constituit, animaduertetur. Item in eos, quibus cùm ex beneficijs Ecclesiasticis certæ pensiones persoluantur, persoluere ipsi officium Beatæ Mariæ Virginis, quod ex eadem lege debent, prætermittunt.

*De ratione recitandi Canonicas horas.* *Cap. 681*

OPVS Dei nullum negligenter agas. Preces certè, quæ ex Catholicæ Ecclesiæ disciplina, atque ex Sacrorum Canonum statutis cotidie partitis distributisque in certas diei horas temporibus, ab hominibus Ecclesiasticis ad Deum fiunt, quàm maximè supplici, & ad religionem composita mente fieri debent, quemadmodum, & a veteribus Patribus, viris sanctissimis factitatum esse accepimus, & in Lateranensi Concilio ab Innocentio tertio Pontifice maximo traditum est; cùm non Populo solùm, atque illius animæ, cuius beneficium habemus, propitian-

propitiandus Deus sit, sed pro nobis quoque ipsis, qui circundati infirmitatibus sumus, implorandus, & obsecrandus. Itaque Clericos nostros monemus, vt cũ priuatim sanctum hoc Canonicarum horarum officium persoluunt, id non tam quam aliud agentes, non spatiantes, non successiuis temporibus faciãt, sed statis, & in ipsa Ecclesia si ei adiunctam domum habeant, aut certè locum in ædibus remotum deligant, ne quid audire, aut videre possint, quod animum ab tam pio opere auocet. Ita denique se comparent, vt quod ore effantur, & quò verba dirigunt, eò etiam mente, atque animo sequantur.

*De præcipuo honore Sacerdotibus tribuendo.* Cap. 682.

CLERICIS quidem omnibus (omnes enim in sortem Domini vocati sunt) sed maximè omnium Sacerdotibus præcipuus honor debetur, quibus vnis sacrificandi, atque imolandi diuinam illam victimam ius est, qua Deus mortalibus propitiatur, placaturque. Quorumque vis ac dignitas ita omnes humanos honores atque vires antecellit, vt se illis æquare siue amplitudine muneris, siue iure potestatis nullæ regum opes, nulla maiestas possit. Hos igitur a secularibus hominibus omnibus in Ciuitate, ac Diœcesi nostra debito in honore haberi, vbique ijs digniori loco cedi, obuiam factos honorificè salutari, nunquam sine dignitatis eorum respectu appellari, atque in omni re parentum eis obseruantiam tribui, vt æquum est, iubemus. Et magnopere omnes hortamur, vt quamuis diuitijs, quamuis familiæ splendore præstare se intelligant, tamen id ægrè, grauat èque ne faciant. Quippe sanctissimo Sacerdotio, quo illi præditi sunt, habitus honor, & Deo ipsi habetur, & in eos qui habent cumulatè recidit: sicuti contra qui contemptum eius ordinis præferunt, & omnia generi, omnia pecunijs suis tribui censent debere, ij profectò plus inuidiæ, atque offensionis ex hac vanitate, atque arrogantia sua ferunt, quàm honoris, aut existimationis acquirunt. Quid enim deformius quàm Sacerdotem infra secularem hominem positum cernere? Quem honesto loco natum, ingenuis moribus, ne dicam christiana disciplina institutum non pudeat, medium inter duos sacerdotes incedere? At ipsos multo maximè monemus Sacerdotes, ita se, vitamque suam comparent, ita grauitate, ac sanctitate morum, atque omnibus honestarum artium ornamentis, probari & commendari studeant, vt eos non ordinis solùm honore, quo excellunt, sed etiam ipsorum merito homines vltro ac libenter reuereantur & colant.

*De litterarum studijs clericorum.* Cap. 683.

SECVNDVM religionis & sacrarum rerum studia, quibus assiduam operam Clerici debent, in earum maximè litterarum ac doctrinæ exercitationibus versentur, eorumq; auctorũ volumina terant, ex quibus veræ sapientiæ præ-

cepta

cepta hauriant, quæque non solùm ingenium erudiant, sed animum excolant, & ad Christianæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ cultum instituant, vt quidquid inde doctrina, eruditione, vitæ ratione præstare, efficere, & conari poterunt, id totum sanctæ caritatis placitis imbutum, ad Dei gloriam, ad Ecclesiæ dignitatem, ad hominum fructum, vtilitatemque conferatur. Libros respuant abijciantque omnes, qui res vel inanes, vel iocosas, vel impuras, atque obscœnas, vel irreligiosas, & tantùm humanis imbutas consilijs, ac rationibus continent. Hi enim libri legentium animos pro eo vt instituant, atque exornent, à caritate sapientiaque, à timore Dei, & à conformatione proborum morum, qui verus est omnis liberalis doctrinæ fructus, auertunt atque alienant.

*De studio sacrorum Cerimoniæ Clericorum.* *Cap. 684.*

NON in postrema cura Clericis sit studium, & exercitatio sacrarum cerimoniarum, & certorum rituum, quibus sacra tractantur, diuinaq; officia obeuntur. Vt & quæ agenda, & quo quidque modo, quoque tempore, quaque actione sint, percipiant, & percepta aptè, scitè, decenterque agant. Vtrunq; vt assequantur, non solùm auctores eos legant, qui harum rerum præcepta, disciplinamque tradiderunt, sed etiam res ipsas vsu tractatuque exequantur. Pleraque enim sunt huiusmodi, quæ nisi multa exercitatione nemo facilè, rectèque obierit.

*De Clericis qui studiorum causa absunt.* *Cap. 685.*

NEMINI Clericorum, cui Beneficium Ecclesiasticum sit, quod præsentis operam assiduitatemque requirat, ab eo discedere, ne studiorum quidem causa liceat, nisi ei litteris nostris discedendi facultas permissa fuerit. Cui quidē facultati adijci semper, præscribique iubemus, vt quæ de vestitu, de frequenti sacramentorum vsu, deque vitæ disciplina clericorum hac ipsa Sinodo statuimus, ea perinde teneant, obseruentque, ac si præsentes in Diœcesi nostra adessent. Ac prætereà volumus, vt de his ita præstitis obseruatisque, quemadmodum mādatum à nobis est, testimonium ab eius loci vbi deget Episcopo, ad nos afferat; item à Doctoribus quos audierit, de progressione eius in litteris, par nobis testimonium detur.

*De Cleri statu cognoscendo.* *Cap. 686.*

VT nobis Cleri nostri totius status cōditioq; cognita pspectaq; sit, volumus vt in librum hac de causa comparatum, ab eo cui nos id negotium dederimus, omniū Diœcesis nostræ Clericorum nomina, cognomina, patria, ætas, beneficia, ordines quibus præditus quisque fuerit, ac prætereà ingenium, doctrina, mores, vitæ ratio, studiaque referantur; liberque inde nobis tradatur, vt ex eo quanti quisque sit scire vno propè aspectu possimus.

*De Clericorum amicitijs.* *Cap.* 687.

OMNIBVS quidem hominibus, sedante omnes Clericis, magno delectu iungendæ amicitiæ sunt. Ex ijs enim non solùm quale cuiusque ingenium sit, iudicari maximè solet, sed ad vitam rectè sanctèque instituendam plurimum in amicis, amicorumq; consuetudine positum est. Quo circa studeāt Clerici ad eorum se potissimum amicitias conferre, ex quorum familiaritate ac vitæ exemplis in Ecclesiasticæ, atque spiritualis disciplinæ exercitationibus cotidie aliquid proficere, & mores suos ad pietatis officia, rationemq; conformare, atque instituere possint. At verò ab eorum vsu, atque necessitudine, quorū aut suspecta fama, aut cognita vitia, flagitiaque sunt, quibus porro se vitamque fœdare, ac contaminare pergunt, cùm reliquos omnes declinarè, tū iuniores Clericos, vt à peste longissimè refugere iubemus; cùm enim infirma, & ad voluptates prona eorum ætas sit, necdum satis adultis virtutum incrementis præfulta, facilè in eundem vitiorum lutum præcipites laberentur, in quo illi ipsi, quorum vitari amicitiam monemus, assiduè volutantur.

*De Clericorum Hospitalitate.* *Cap.* 688.

HOSPITALIS officij ius sanctum omnis antiquitas habuit. Quippe magnum in eo tuendæ humanæ societatis vinculum. Christianis certè hominibus, & inter Christianos Clericis, maximè coli videtur debere, quos omnium maximè, omnia humanitatis, & caritatis officia decent. Clericos igitur quicunq; Ecclesiastica beneficia obtinent, monemus, vt memores Christū Dominum sæpe suorum hospitium subijsse, salutemque inde hospitibus attulisse, hospitalitatē benignè exerceant, non eam quidem ambitiosam, & lautitiæ, & luxui ostentando quæsitam, qua ditissimus, & gratiosissimus quisque excipitur, vt inde officium cum fœnore rependat; sed qua tenuiores in primis, & egentes caritatis, & pietatis gratia comiter, & amanter inuitentur, recreentur, reficianturque; hi enim nobis ipsius sunt Dei uoce commendati, qui etiam repositurum nobis quicquid illis benignè fecerimus promisit.

*Episcopus vt accipere Episcopum hospitio debeat.* *Cap.* 689.

HOspitij ius inter se Episcoporum maximum Episcopum, & Martirē Clementem sanxisse Apostolica constitutione accepimus. Qua aduenientem aliunde Episcopum non benignè solùm, & cum honore excipiendum hospitio esse tradit sed; illud in primis eius dignitati tribuendum, vt die festo si ea die permanserit sermonem habeat, quod grata, vt ipse ait, atque vtilis hospitis hortatio sit. At populo vt benedicat etiam renuentem sancta quadam caritatis vi esse cogendum idem sanctus tradidit Clemens.

*Episcopus vt Legatum Apostolicum, aut Cardinalem excipere debeat.*
*Cap. 690.*

SI Apostolicum Legatum, aut S.R.E. Cardinalem venire in Vrbem, aut diœcesim nostram contigerit, Episcopi partes erunt, aduenientem perhonorifica obuiam itione accipere, in domum suam deducere, ac nullum erga eum comitatis, humanitatis, obseruantiæ officium prætermittere. Illud præterea in honorem illius seruare debebit, vt quoties in congressum conspectumq; eius venerit seu publicè, seu priuatim, Mozettam deponat, Rochetum non nisi Mantelletto tectum ferat. Quem honorem etiam Apostolico suæ Ecclesiæ Visitatori, vt habeat, ius mosque postulat.

*De Clericorum Confessore constituendo. Cap. 691.*

CREBRA Confessorum mutatio, conscientiæ, atq; moribus regendis, & in Dei timore ac pietatis cultu continendis, neque satis accommodata, neque omnino vtilis existimatur. Ad eundem enim semper peccata sua, atque animi infirmitatem in easdem vsque sordes prolabentis, deferre, magnum, atque salutarem pœnitenti incutit pudorem, & magnum ex eo continentiæ frenũ pronæ ad vitia naturæ inijcitur. Quo pudore, frenoque illi non cohibentur, qui vaga Confessione vtuntur, nouasque subinde ad aures adeunt. Hoc sanctæ, ac salutiferæ verecundiæ temperamento, modoque, atque hac tam vtili sacræ Confessionis disciplina, Clerus noster ne careat, atque in nostram Diœcesim, de optimè constitutis Ecclesijs sumptum morem, vt inducamus, decernimus, ne vllus posthac Clericus quocunque ordinum gradu præditus sit, alteri quàm ei, quem nos Cleri Confessorem constituerimus, confiteatur. Quod vt ita planè fiat, reliquis Sacerdotibus Confessoribusque omnibus tam secularibus, quã regularibus, tota Diœcesi nostra, facultatem audiendi Clericorum Confessiones abrogamus, nisi eam à nobis scriptam obtinuerint: Qui vt omnium necessitati commoditatique consulamus, vnum aut plures, pro cuiusq; loci numero Clericorum Confessores instituemus, totamque hanc rem, vt conducere Clericorum vtilitati, salutique existimabimus, regemus.

*De pœnis non parentium hisce decretis. Cap. 692.*

HÆC omnia, quæ de vitæ disciplina, ac moribus Clericorum præscripsimus, ab omnibus Diœcesis nostræ Clericis teneri obseruariq; mandamus; qui non paruerint, in eos à nobis seuerè animaduertetur. Et pro cuiusque merito seu pecunia mulctabuntur, quam in pium aliquod opus impendendam assignabimus, aut ordinum suorum munere prohibebuntur, aut carcerum pœna coercebuntur, aut etiam si res poscet in exilium pellentur.

## DE CANTIBVS ECCLESIARVM. CAP. 693.

QVEADMODVM ad diuinas concinendas laudes Catholica Ecclesia organorum sonum,& cantuum varietates in templis diuinisq; officijs adhiberi patitur; quorum modis, numerisque demulsæ hominũ aures,& libentius operam sacris impendant,& interior inde in singulorum animis cęlestium rerum amor,ac studium pietatis excitetur, accendaturque;ita ab hac moderandæ,ac variè agendę,flectendęq; vocis ratione omnis abesse lasciuia, omnia Canticorum vitia debent. Neq; enim ad deliniendos,& veluti perfundẽdos voluptate sensus effeminandosq; molli,ac dulci modulatione inuẽta res est, sed vt admixta grauitati suauitate,audientium mentes ad religionem commoueat,multosque ea quoq; aurium oblectatione ad res diuinas concelebrandas illiciat. Non solùm igitur in Ecclesia nihil profanum,sed ne profanè quidem canatur;& cùm molles,& lasciuæ vocum flexiones vitentur,& tota canendi ratio ita temperetur, vt singula verba ore exprimantur,non gutture hausta, oppressaque nihil intelligantur;tum absurdæ concitationes,& sublati ad cœlum stridores,ac veluti tumultu emissi spiritus clamoresque fugiantur, item peruersi quidã oris hiatus,& distorti vultuum motus caueantur, & omnia decorè,grauiter, & quemadmodum Dei domum decet peragantur.

### De cantorum moribus. Cap. 694.

CANTVS quidem vocesq; decenter moderari in diuinis officijs laudibusque celebrandis conuenit,sed eos à quibus illæ celebrantur,quiq; modulatione,atq; artificio vocis in domo Dei hominum mentes ad pietatem,ac religionem excitandas suscipiunt,multo decet magis sibi ipsis moderari, & ijs uiuere moribus,vt ne probè sacra canere, & turpiter profanis se vitijs cõtaminare dicantur. Quem igitur cęlestiũ rerum amorem in alienis animis cantu ciere,atq; accendere student,eũ exsuscitent prius cõmoueantq; in suis,& quas sono vocis concinunt Dei laudes,mente etiã colant,& sibi in primis canant;ne ijs illud ex diuinis litteris obijciatur,Populus hic labijs me honorat,cor autem eorũ lõgè est à me. In ipso choro modestè,castoq; agant,non iurgijs solùm,& contentionibus,mutuisque increpationibus,sed etiam inanium rerũ colloquijs abstineant. Nemo alteri quicquã præcipiat,nisi cantus ipsius moderator,ac Magister,aut cui Magister id iuris tribuerit;ne pluribus imperãtibus,tota disciplinæ ratio perturbetur; sobrietati studeant, qua & alent tuebunturque vocem, & clariorem, magisque canoram efficient.

### De cantorum vestitu. Cap. 695.

CAntores quidem omnes & sacrorum carminum Modulatores clericos esse cupimus;ad hos.n.maximè pertinet diuinas cõcinere laudes. At sicubi lay-

cos adhibere ad id Clericorũ paucitas cogat, hos quoque non aliter, quàm Clericali in veste in Ecclesia, atque in suo versari munere volumus; Talari togæ lineam cottam superinduant, caputque Clericali bireto tegant, Pileum ne ferant, neuè lineæ interioris tunicæ crispatum, rugosumque collare, neu turgidas, neu versicollores caligas, nec nisi è nigro coreo calceos, vt non solùm officio, sed ornatu quoque Clerici personam præferant.

*De Cantorum Magistro. Cap. 696.*

QVI Cantantibus in choro Magister præsit, totamque canendi rationem scienter, ac peritè regat, moderetur que, & cui cæteri omnes pareant, dictoque audientes eo in loco sint, magnopere ad rem rectè, atq; ordine tractandam videtur esse necessarius; sed nisi labori, atq, industriæ eius præmij aliquid constituatur, qui id oneris gratis subire velit; breui futurus videtur nemo. Itaq; Capitulum iubemus, duos è Canonicorum numero deligere, quibus cum rationem inire possimus mercedis aliquid Cantorum Magistro statuendi. Quod cùm factum fuerit, plurimum sanè studij adhibendum erit, vt quàm peritissimus artificij eius Magister delegatur, cui in concinendi ratione vniuersus obsequi, atq; obtemperare chorus debeat. Cauendum enim est, ne quod suauitate concentus incitare ad religionem animos debet, discordibus inde, atq; absonis vocibus, nec vnquam satis congruentibus, risum, stomacumq; commoueat.

*De Organo, & Organistæ officio. Cap. 697.*

QVÆ vocum, atque cantuum, eadem organorum ratio est, eademque cautio, vt ne ex his quidem lasciui, ac profani quicquam resonet, sed omnia ad religionem temperentur, omniaque ita mulceant aures, vt multo magis animos ad pietatem emolliant, Organistæ itaque denunciamus, solutioribus amotorijsque cantibus prorsus abstineat, cogitetque non in conuiuijs se, aut in foro per lasciuiam saltantibus, sed in templo inter aras sacra; pio studio diuinis officijs diuinisque laudibus operantibus canere. Si secus fecerit, à nobis pro eius merito punietur; & ab ipso Organistæ munere mouebitur; probè autem partes suas norit, in ijsque exequendis modum teneat; vt neque diu continuato sono audientium aures fatiget, & longiores quàm par est, diuinis officijs moras interijciat; neque rursus studio breuitatis cantus ipsos intercidat. In Vesperis Canticum Magnificat inchoari semper ac primùm eius versum à choro pronunciari sinat, alterum ipse excipiat, vicesque inde cum choro alternet. Idem in exordiendis hymnis obseruet. At chorus etiam quos organus personat versus, ipse summisse semper pronunciet.

*De Organistæ officio in Episcopum.* *Cap.* 698.

DILIGENTER præterea Organista obseruet, Dominicis, ac festis diebus Episcopum ad diuina officia aduenientem, ac vbi illum ad fores Ecclesiæ adesse conspexerit, graui canoraque organi modulatione intrantem excipiat, nec canere inde desistat, donec ille sua in sede constiterit. Pari quoque officio peractis sacris abeuntem prosequatur. Cùm autem Episcopus, aut solemne sacrificium, aut Vesperarũ officium facturus ipse erit, aut aliud Pontificale munus obiturus, dum sacras induit vestes, Organista pari grauitate, ac modulatione continenter organum pulset, nisi canendum à Choro cum aliquid sit. Id autem organista ijs modo diebus præstare debebit, quibus diuina officia organorũ cantu celebrantur. Caueat autem Organista, ne in hoc fungendo exequendoque munere, negligens sit, ne à nobis mulcta quam inde meritus videbitur, afficiatur.

## DE INVOCATIONE SANCTORVM. CAP. 699.

IMPIE sentire eos, qui sanctos sempiterna felicitate in cœlo fruentes, pro hominibus orare, aut hominum optata ad eorum opem confugientium audire, negant, œcumenica Synodus Tridentina statuit. Ne quis autem errore labatur, & à sanctis, vt à Deo veniam posci, implorarique existimet, sanctos inuocare non aliud esse Parochi doceant, quàm quos in cælestium numerum receptos, & cùm Christo regnare credimus, eos rogare, vt deprecatores se pro nobis apud Deum præbeant; vt quorum summa iam perfectaque caritas est, naturæ nostræ infirmitatem passi, nobis eodem, quò ipsi peruenerunt, tendentibus, erratisq; nostris ignosci à Deo orantibus, auxilio sint, & gratia, qua apud Deum valent, nostras preces ad impetrandum quod oramus, iuuent; cui enim dubium sit, quos corporis carcere inclusos pro hominũ sceleribus precari solitos scimus, eos humanis vinculis solutos, ac præsente Deo fruentes, tanto pro nobis studiosius suas interponere preces, quanto illis miseriæ nostræ, nostræque necessitates notiores apertioresque sunt, atque hæc inuocatio sanctorum est.

*De adoratione, & veneratione.* *Cap.* 700.

ADORARE non semper, ne in diuinis quidem litteris ad eum cultum refertur, qui vni Deo debetur, quem Theologi latriam, græco vocabulo vocant. Nam Reges, aliosque persæpe sanctos adorasse legimus, id est supplices, ac venerabundos adijsse. Sic cœlestes animas, sanctosque in cęlestium numerum receptos, inuocari, adorarique à nobis verè, ac rectè dici potest; cùm tamen ijs nihilo plus honoris, ac venerationis, quàm quantum beatis spiritibus debetur, tribuamus. Verùm vt Dei cultus à sanctorum cultu distinguatur,

suum cuique vocabulum Theologi assignarunt; sic cùm sanctos inuocamus, ab ijs scilicet, vt deprecatores pro nobis sint, petimus. At a quibus aliquid petimus, ijs etiam cultum aliquem, honoremque habemus. Hunc itaque cultum, honoremque, venerationem sanctorum Theologi appellarunt, adorandi verbo veluti diuinitatis proprio vni Deo attributo; quo, non honor, & veneratio tantùm, sed seruitutis ille, ac religionis cultus, qui vni ipsi, tanquam humani generis, ac mundi conditori, conseruatori, gubernatori debitus, significatur. Deũ igitur solum adorare, & colere dicimur; sanctos verò ac beatos spiritus tantùm venerari.

*Sanctis alegandis nullam Deo iniuriam fieri.*

Cap. 701.

AVSA dicere Hæreticorum factio est, iniuriam Deo fieri, sanctis ad eum allegandis. Id Parochi falsum, vt cętera hæreticorum, docebunt. & sæpe Diuum Paulum ostendent ab alijs petijsse, vt pro se Deum rogarent, & eiusdẽ rei plura ex veteri quoque testamento exempla referri. Posse ergo, ac licere homines ab hominibus postulare, vt suas pro alio præces apud Deũ interponãt, neq ea re offendi, sed conciliari diuinum numen. Quod si homines mortali corpore obsessos, quos probos & Deo dilectos opinamur, in quo tamen nostra nos fallere opinio potest, piè ac ritè Apostoli exemplo, ad eum allegamus, quæ (malum) amentia est, eos negare adhibendos, qui in cœlum recepti assident Deo, eiusque non dubia gratia potiuntur? An ille mortalium præces suscipiat, cęlestium aspernetur? & imbecillæ, infirmæ, ac ne certę quidem hominum gratiæ, plus quam confirmatæ, & non dubiæ sanctorum caritati, tribuat? At quis Regum cùm vni sibi fidem, vni obsequium præstari, ab vno omnia peti iubet, intimos amicorum quosque in principem gratiæ, ac beneuolentiæ locum asciuit, deferentes ad se humiliorum præces repellat, & illorum officium in suam contumeliam vertat? Igitur perpetuum & cœlesti doctrinæ consentaneum, & vnde tot in genus humanum beneficia profecta sunt, Catholicæ Ecclesiæ institutum teneamus, vt laudemus Dominum in sanctis eius, sanctosque cum Christo in cœlo regnantes veneremur, eosque votorum, optatorumque nostrorum interpretes, atque internuntios apud Deum adhibeamus, ac nostræ salutis veluti patronos adoptemus, damnata reiectaque hæreticorum calumnia, moreque sanctæ matris Ecclesiæ auctoritati impiè semper obtrectandi.

DE RELIQVIIS. CAP. 702.

PARTEM honoris, qui sanctis debetur, esse eorum corpora, reliquiasque quæ vasa Spiritus sancti fuerunt, venerari, perpetuus Catholicæ Ecclesiæ mos, atque vsus sanciuit; maximosque ex ea re fructus percepit; cùm innumera-

merabilia miracula, beneficiaque satis constet per sanctos hominibus præstita a Deo præstarique. Has igitur Reliquias, quasi pignus promissi eius temporis, cùm omne reuixisset humanum genus, extinctaque corpora, admirabili modo sua membra recipient, & circundata immortalitate cupienti animæ reddentur, magno cultu, honoreque habendas sancti Patres decreuere; magnumque studium in ijs condendis, promendis, asseruandis, transferendis, esse adhibendum.

*De Reliquijs recognoscendis.* *Cap.* 703.

OMNIBVS Ecclesiarū Diœcesis nostrę rectoribus, in quibus aliquæ sanctorum Reliquiæ sint, præcipimus, vt vnusquisque eas diligenter recognoscat. Ac primùm quidem monumenta litterarum, annalium, tabularum, lapidum, schedularum, quibus illæ nituntur, quibusque de illarum translatione, donatione, collocatione, cognosci aliquid possit, omnia colligant; deinde testes conquirant, si qui erunt, qui quæ de ijs ex antiqua, constanti, perpetua, & veluti per manus tradita fama acceperunt edant, eorumque dicta, testimoniaque a Notario excipiantur, tabulisque consignentur; tabularumque exemplum aliud in Ecclesiæ ipsius sacristia habeāt, aliud ad nos deferant, vt in librum, quem nos huius rei causa comparari iusserimus, ordine referantur; liberque in Episcopale Archiuium reconditus perpetuò asseruetur. In eundem librum ijsdem cum monumentis rem comprobantibus, reliquias omnes referri iubemus quæcunque, aut in Diœcesi nostra repertæ, aut aliunde allatæ fuerint, si tamen ipsi prius eas recognouerimus, probauerimusque.

*De Reliquijs abditis.* *Cap.* 704.

IN recognoscendis Reliquijs, quæ non dubiè extabunt, curent Ecclesiarum Rectores, vt etiam cerni, cùm opus erit, viderique possint. Quæ autem sub Altaribus, alijsque subterraneis locis conditæ, collocatæque sunt, si nec ostium, nec fenestram vllam locus habet, vnde Reliquiæ inspici queant, locum ipsum effodi, aperirique, & ipsas inde extrahi, auferrique reliquias prorsus vetamus, nisi de ea re certiores ipsi facti fuerimus; qui adhibitis in consilium religiosis, peritisque hominibus, quod animarum saluti, atque Ecclesiæ ipsius rationi conducere existimabimus, statuemus.

*De corporibus sanctorum.* *Cap.* 705.

VBI sanctorum integra corpora, ossaque conduntur, vt incorrupta, inuiolataque & a puluere, atque omni sorde pura, ab omnique iniuria, atque vi tuta conseruentur, Arca in qua reposita erunt, vndiq, ferreis fibulis firmissimè

simè reuinciatur, constringaturque, sic vt ne paruis quidem rimis vlla in parte hiet. In ea minor alia includatur Arca prætiosiori materia, aurea, argentea, stamnea, plumbeauè, in qua ipsa sacra ossa inuoluta serico panno velamentoque eius coloris, qui ex Ecclesiastica disciplina illi sancto adhibetur, recondantur. Ipsa prętcrea Arca statis præcationibus, ex libro Pontificali benedicatur. Quod si plurium sanctorum ossa eadem essent Arca reponenda, Arca in totidem partes distinguatur, quot corpora ipsa erunt, vt internosci discerniq; commode possint, ac singulis loculis tabella addatur, quæ scripta sanctorum nomina habeat, & quę cuiusque sint ossa indicet.

*De Capitibus sanctorum.* *Cap.* 706.

SICVBI sanctorum Capita a corporibus separata asseruantur, ea thecis aureis, argenteisuè, aut si Ecclesiæ inopia hoc non ferat, æreis auro illitis includantur. Thecæ humani capitis speciem cum collo, & parte pectoris referant. In vertice fenestram habeant, quæ cùm vsus poscit, aperiri possit, ac per eam calua, seu cranium sacri capitis inspici possit.

*Lampas ante Reliquias ardeat.* *Cap.* 707.

QVO maior Reliquijs sacris honor, veneratioque ab omnibus habeatur, locusque vbi illæ asseruantur, conspectior sit, ante eas perpetuum lumen ex lampade luceat, vtique si in Ecclesia corpus ipsum sancti eius Patroni, aut corporis insignis pars sit. Verùm si Reliquiarum locus ita hæreret, proximusque esset Tabernaculo sanctissimæ Eucharistiæ, vt illius luminibus etiam reliquiarum cultui satisfieri videretur, omitti proprium lumen poterit; item si tanta Ecclesiæ populique tenuitas inopiaque fuerit, vt eam ferre impensam non posit, quam rem ad arbitrium nostrum referri volumus.

*De Reliquijs in Ecclesia non in priuatis ædibus asseruandis.* *Cap.* 708.

IN priuatis ædibus sacrę Reliquię ne asseruentur; neuè apud seculares homines, sed in Ecclesia loco maximè rei accomodato, conspicuo, ornato, septo. Item in Arculis, Vasculis, loculis decenter concinnatis inclusæ recondantur. Porro locus ipse sera, clauique diligenter claudatur, clauis penes Rectorem Ecclesiæ, in qua Reliquiæ sunt, custodiatur, nisi aliter aut loci consuetudo ferat, aut nobis Ecclesię rationibus conducere visum fuerit. Licere tamen volumus etiam in priuatis oratorijs religionis causa aliquas haberi Reliquias, dum nobis inspectus locus probetur, & decenter, tutoque in eo fore videantur.

De

*De Reliquijs ad Infirmos non deferendis.* Cap. 709.

AMOVERI è suis receptaculis, armarijsque vbi reconditæ asseruantur, & huc illhuc ferri referrique sacræ Reliquiæ non debent, nec vllo modo ad ęgrotos exportari; quod quidem nos fieri prorsus vetamus, etiam sicubi eius rei consuetudo inualuisset; neque enim alia siue ad leuandos ægrotantium morbos, salutemque a Deo impetrandam, siue ad animam extremum spiritum agentem, consolandam, confirmandamque spiritualia remedia, subsidiaque desunt, quæ piè ac religiosè, grauiter & periculosè affectis, adhibeantur.

*De Armario Reliquiarum.* Cap. 710.

AD sacras Reliquias sanctè, ac decenter recondendas, aut in Ecclesia, aut in Sacristia pro locorum situ, & Ecclesiarum facultatibus, armarium ædificetur, siue illud parieti adhæreat, siue in eam ad ipsius modum excauatam inseratur, infigaturque. ea sit magnitudine quam Reliquiarum copia, paucitasuè, quæ asseruandæ in eo erunt, postulabit. A pauimento tam altè remoueatur, vt Altare ante ipsum statui, ab imaque eius parte prominere possit. Firmis vndiq; asseribus muniatur, sepiaturque. Asseres intus aliquo panno serico circunuestiantur. Totum opus extrinsecus quam maximè ornetur; Picturis etiam, historijsq; ex ipsorum sanctorum vita desumptis, collustretur. Valuis, clauibus, serisque claudatur; Valuæ cardinibus firmè, aptèque voluantur. Atque hoc quidem Armario Reliquiarum Vasa reponantur.

*De Reliquiarum Vasculis, & Loculis.* Cap. 711.

VASCVLA Reliquiarum, & forma, & materia, & opere varientur, vt variæ ipsæ erūt Reliquię, & vt Ecclesiæ cuiusque facultates ferent; si enim e gemmis, ex auro, ex agento, ex christallo fieri nequeant, ex nitido saltem ac pellucido vitro, aut ex ære auro illito, aut ex ligno aurato confici, & quam maximè elaborari, ornarique debebunt. Quæ autem reliquię adeo tenues, minutæque erunt, vt non vasculis, sed paruis loculis condendæ videantur, his quoque rectè, ac separatim collocandis, tabula nucea comparetur, quæ Artificis opere politè elaborata, paruis capsulis, loculisque distinguatur; capsulæ serico vestiantur, ac tabula omnis vitreo inde opere ita claudatur, contegaturque, vt quid in quoque loculo sit, perspiciatur; omnia verò quantum per facultates Ecclesiæ licebit, perornentur.

*De Reliquijs in Vasa condendis.* Cap. 712.

COMPARATIS Vasculis, loculisque in quibus Reliquiæ sacræ asseruandæ erunt, in ea non ante conijciantur, quàm panno veloue serico, aut si possit, etiam auro argentoue intexto, inuolutæ fuerint. Velaque ipsa coloribus ita varientur, vt suus cuique sancto color ex Ecclesiæ instituto adhibeatur, vt scilicet Apostolorum ac Martyrum rubeo, Confessorum ac Virginum Reliquiæ albo serico circundentur. Adijciatur præterea singulis inscriptio, pergamena in carta exarata, quæ cuius quæque Sancti Reliquiæ sint, patentibus litterulis significetur, chartaque ipsi serico assuatur.

*De Vasculis Reliquiarum inscribendis.* Cap. 713.

VNVMQVODQVE vasculum, in quo reliquiæ conditæ sunt, inscriptam pergamena carta schedulam præferat, glutino applicatam, aut acu assutam; schedulaque descriptas Reliquias, quæ Vase continentur habeat. si qua schedula vetustate corrosa, exesaque reperiatur, renouari eadem pergamena carta iubemus. Quæ verò integræ erunt, retineri conseruarique, ac tantùm vt rectè Vasculo adhærescant curari. Quibus nulla inscripta schedula erit, si quorum reliquiæ sint non dubitabitur, addatur schedula pariter pergamena charta exarata, cum sanctorum nominibus, quorum reliquias esse constiterit.

*De Reliquijs inter se permixtis.* Cap. 714.

SI nomina quidem sanctorum, quorum reliquiæ sunt, extent, sed plures eodem vase commixtæ inter se, confusæque ita inueniuntur, vt cuius quæq; propriæ sint distingui, dijudicarique non possit, hę omnes in vnum coniectæ Vasculum asseruentur. Vasculo ipsi sanctorum ipsorum singula nomina adscribantur, vt saltem quorum illæ sint, ne ignoretur. At si ne nomina quidem sanctorum extabunt, Reliquiæ, quarum ignota nomina sunt, inscribantur.

*De Reliquijs proferendis ostendendisque.* Cap. 715.

CVM sacræ Reliquiæ ex Armarijs, locisque suis proferuntur, vt vel in Altare collocentur, vel populo ostendantur, vel per Ecclesiam aliquò transportentur, vel etiam in publicis supplicationibus circunferantur, qui eas profert Pluuiali, aut certè Cotta sit indutus, a Clericis binæ saltem faces præferantur, thus adhibeatur, odoreque ac fumo eius afflentur, atque per viam quoque portantem eas Sacerdotem clericus cum Turibulo incenso anteeat. Non passim ostendantur, non omnibus festis diebus, sed solemnioribus, celebrioribusque, Natali scilicet Domini, Epiphania, Pascha, Ascensione, Pentecoste, die

etiam sacro ipsi sancto cuius reliquiæ sunt, vel Ecclesiæ in qua sunt, vel quoties ex iusta causa Episcopus iusserit. Nunquam tamen in cuiusquam gratiam ex operimentis, loculisque suis extrahantur, vt nudæ ostendantur.

*De Reliquijs celebrioribus diebus exponendis.* Cap. 716.

CVM festis celebrioribusque diebus frequenti populo proferendæ exponendæque reliquiæ erunt, quò in omnium animis religio excitetur, maior que ijs honor, cultusque habeatur, primò Clerici eius Ecclesiæ omnes ordine supplicatum ad locum vnde promendę sunt procedant, certò luminum numero prælato. Ab eo autem Reliquiæ efferantur, qui in ea Ecclesia primum Sacerdotalis dignitatis locum obtinebit, atque is Cotta, stola, Pluuiali indutus, pio illo munere fungatur, nisi eo fungi Episcopus ipse maluerit. Dum proferuntur Hymni cantentur, Antiphonæque, & postremo loco orationes ipsis maximè sanctis, quorum Reliquiæ sunt, congruentes.

*De Concione in exponendis Reliquijs habenda.* Cap. 717.

RELIQVIIS depromptis, atque ordine in Altare dispositis, quatuor saltem in eo grandioribus candelis collucentibus, a Sacerdote concio habeatur, qua cùm vita, resque gestæ illorum Sanctorum enarrentur, tum eximiæ virtutes laudesque celebrentur, quò ad eas imitandas, aut certè sancta veneratione suspiciendas colendasque audientium, ac spectantium animi accedantur. Vbi Concio haberi non possit, at saltem ex libello, tabellaque quam supra conscribi iussimus, vulgari sermone sanctorum ipsorum vita pronuncietur.

*Expositis Reliquijs Custodes adhibeantur.* Cap. 718.

DVM sacrę Reliquię in altari expositæ populo spectandę venerandæque habentur, nunquam ab earum custodia vnus duoue Clerici cotta induti sacris ordinibus prędili, & vita spectati, abscedant; neque verò id munus sæcularibus hominibus vnquam mandetur. Clerici ne quis sacras Reliquias attingat, neuè quis propius, quàm par est accedat prohibeant; iidem oblatas studio pietatis coronas, suscipiant, singulisque de more vasculis loculisque Reliquiarum admoueant, eosque contingant, & coronas inde dominis reddant, atque huius rei causę binę compararentur virgę, saltem tricubitales, in quarum summa parte parui vnci sint, quibus coronę suspensę ad contingenda vascula extendantur.

*Reliquiæ sacræ à secularibus ne attingantur.*
*Cap. 719.*

DIVVS Gregorius Pontifex Max. sacras Reliquias à secularibus attingi sacrilegum facinus esse pronunciauit; æquum est enim res sacras non alijs quàm sacratis hominibus contrectari, & quibus tantum venerationis debetur, ab ijs profanas arceri manus conuenit; proinde reliquias sanctorum à secu cularibus attingi, attrectarique vetamus, cuiuiscunque ordinis illi, dignitatisque sint.

*De sacris reliquijs transferendis. Cap. 720.*

SI quando ab vna in aliam Vrbem, vel etiam ab vna in aliam Ecclesiam sanctorum corpora, Reliquiæque præsertim insignes, transferendæ erunt, id nō nisi magna cerimonia, magnaq; celebritate, atq; apparatu ex antiquissimo Ecclesiæ instituto fiat. Deligatur ab Episcopo aliquis Ecclesiastica dignitate præditus, qui Reliquias transferendas, adhibitis testibus recognoscat, à Clero eius Ecclesiæ in quam transferendæ erunt, pridie eius diei ieiunium seruetur, magnoque campanarum sonitu futuræ celebritatis signum populo detur. Translatio autem coacto vndique Clero solemni pompa ac supplicatione celebretur. In Ecclesia, quò transportantur, concio de sanctorum vita, quorum reliquiæ fuerint, habeatur. Item aliæ adhibeantur, quæ ex harum rerum auctoribus, & maximè ex Concilio Mediolanensi quarto peti poterunt. Translationis verò tabulæ à Notario solemni ritu conficiantur, & in librum Reliquiarum sacristiæ referantur.

*De Vitis Sanctorum scribendis. Cap. 721.*

IN quibus Ecclesijs, aut integra Sanctorum Corpora, aut insignia membra conduntur, earum Rectorum piæ diligentiæ, atque studij erit curare, vt ipsorum sanctorum vitæ, res gestæ, martiriaue, ex historijs probatisque auctoribus petita collectaque, ac breui, & absoluta narratione conscripta, in libellum, siue in tabellam referantur, quæ inde in sacristia certo loco asseruetur; si tamen prius recognita à nobis, probataque fuerit. Atque vbi res siue ex certis monumentis, siue ex antiqua traditione constiterit, etiam quo tempore, quoque modo sacræ illæ Reliquiæ collocatæ in Ecclesia sint, historiæ addatur. Quod quidem nos in sanctis Firmina, & Olimpiade Ecclesiæ, atque Vrbis nostræ præsidibus præstitimus, quorum vitam mortemque pro Christi nomine fortiter oppetitam, haud dubijs auctoribus traditam scripsimus.

*De nouis Reliquijs.* *Cap. 722.*

NEMO tota Diœcesi nostra audeat, ne Regulares quidem, vllas nouas Reliquias euulgare, populoque venerandas proponere, nisi ante inspectæ à nobis, recognitæque, & nostra auctoritate approbatæ fuerint. Qua quidem in re omnia à nobis seruabuntur, quæ à Tridentino Concilio præscripta sunt. Præcipimus item ne quis Reliquias ab vno in alium locum transferat, nisi scriptam eius rei facultatem à nobis acceperit.

*De nouis miraculis sine Episcopi auctoritate non admittendis.*
*Cap. 723.*

QVEMADMODVM miraculorum religio longè maxima est, maximamque vim habet ad commouendos, ac diuini numinis metu concutiendos hominum animos; ac proinde cùm diuinitus fiunt, magna pietate agnosci, colique debent; ita magnopere prouidendum est, ne qua humana fraus intercedat, neuè leuitate, ac temeritate vulgi falsa rebus miracula affingantur; catholica enim fides, quæ vna veritate nititur, vnaque firmissime consistit, omnem mendacij, ac falsitatis suspicionem respuit, penitusque detestatur. Itaque nunciato miraculo, nemo aut Altare ponere, aut vllam propterea excolere imaginem, aut tabellas, votaque suspendere, aut oblata eius rei causa dona suscipere, aut omnino quicquam noui agere, statuereque, nisi re prius ad nos delata, & decreto nostro expectato, audeat; qui adhibitis in consilium doctis, ac religiosis hominibus, & re diligenter explorata, perquisitaque, & à iuratis testibus approbata, id statuemus, quod veritati, ac pietati consentaneum esse visum fuerit.

*De repellenda vulgi temeritate in miraculis asserendis.*
*Cap. 724.*

AT si multitudinis inconsulta temeritas pergat porro clamore ac tumultu rem ignoratam incompertamque in miraculum vertere, & pro miraculo in vulgus edere, mandamus Parocho loci, aut Ecclesiæ Rectori, vt piè modesteque conetur discutere turbas, concursumque arcere; quod si aliter nequeat, Ecclesiæ fores obijciat, obdatque, donec de tota re fuerit diligenter quæsitum, & vt postulare veritas, ratioque videbitur, statutum.

In

*In rebus dubijs sedem Apostolicam esse consulendam.*
*Cap.* 725.

SI qua praua consuetudo inualuit, quam nulla ratio, sed vel cupiditas, & quæstus, vel inscitia aluisse videatur, ea vtique abroganda tollendaque erit; at si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus, quod tamen factu arduū sit, aut omnino grauior aliqua his de rebus quæstio incidat, Episcopus antequā controuersiam decernat (quod Tridentinum Concilium monuit) Pontificem Maximum consulat, auctoritatemque eius expectet, sequaturque.

## DE VETVSTO VSV SACRARVM IMAGINVM.
C A P. 726.

SACRARVM imaginum vsum non ab ipso solùm primordio sui probauit, suscepitque Catholica Ecclesia, sed eo Concilio, quod secundò apud Niceam hac maximè de causa frequentissimum est habitum, ante mille tercentos fermè annos, ita hunc aspernantes vsum repressit, refutauitque, vt iisdam natis, atque anathemate percussis, sacras imagines retinendas, atque habendas esse grauissimis decretis sanciuerit.

*Qui sacris imaginibus honor tribuendus.* *Cap.* 727.

MAGNVS sacris imaginibus honos debetur, sed magna quoque adhibenda cautio est, ne imperiti modum excedant. Doceri ergo à Parochis populum iubemus, honorem quidem, ac venerationem imaginibus sacris tribuendam; non tamen credendum diuinitatis quicquam illis, aut cęlestem vllam inesse vim, propter quam colendæ nobis sint, vel à quibus poscendum quid, tamquam dare ipsæ, & animi nostri optatis respondere possint; vel omnino in quibus vlla nobis, spes, fiduciaque ponenda sit; quod olim impio errore de simulachis suis Idolisque gentes opinatæ sunt; ijsque veluti Dijs sacrificia, votaque faciebant: Longè ab hac prauitate piorum mentes, & Catholicę Ecclesiæ sensus abest, quæ tributam imagini venerationem omnem ad ipsum refert, cuius illa imago est. Vt cùm Iesu Christi pictam sculptamuè speciem intuemur, eique aut osculum figimus, aut datis ad terram genibus cultum impartimur, Christum ipsum Redemptorem nostrum adoramus, in eumque ab imagine, quam coram habemus, animum, mentemque dirigimus. Item cùm sancti alicuius simulacrum aspicimus, adhibita illi veneratio, ad ipsum sancti prototypum omnis refertur.

*De fructu sacrarum Imaginum.* *Cap.* 728.

NON id solùm sacræ imagines passim totis positæ templis præstant, vt earum aspectu ipsa, seu Christi Domini, seu Virginis genetricis seu sanctorum gesta in memoriam reuocent, animumque ad religionem cultumque eorum commoueant, & eorum sanctitatem, ac pietatem imitandi studium excitent; sed etiam vt indocti, ignarique litterarum (in quorum numero maxima pars hominum est) in ipsis picturis expressas sacrorum librorum historias veluti oculis hauriant, noscantque; ac mysteria salutis & redemptionis nostræ, quæ audita exeidissent, intuentes recolant, penitusque memoriæ mandent. Ac plerosque etiam minus rudes, nec litterarum expertes, illa species, ingenio artificis, rem, vt acta, gestaque est oculis intuentium obijciens, atque illi imaginum veluti motus, atque actiones, multo magis, quàm ipsa earundem rerum lectio commouet, eruditque. Ac præterea admonentur fideles maximorum beneficiorum, ac miraculorum, quæ Deus hominibus per sanctos suos præstat; vt ijs quæ alioqui ignorarent, ex pictura cognitis, Deo eorum datori, effectorique grates agant, eumque demissioribus inde animis, & intentiori pietate colant, adorentque.

*De nouis Imaginibus sine Episcopi permissu non ponendis.*
*Cap.* 729.

VERVM quia persæpe accidit, vt quorundam vel simplicitate, atq; adeo etiam superstitione, vel artificum licentia, atque inscitia in pingendis effingendisque sacris imaginibus, magnopere erretur, multaque à Domo Dei, quam decet sanctitudo, aliena, absurdaque in Ecclesijs pingantur, ponanturque; ex Tridentini Concilij iussis statuimus, ne quis vlla in Ecclesia etiam exempta, aut vllo omnino in loco vllam insolitam, nouamq; tabulam, nouamq; vel Christi Domini, vel sanctorum imaginem ponere, vel ponendam curare audeat, sine auctoritate, approbatione, ac permissu nostro, aut eius cui nos inspiciendæ rei negotium dederimus; qui secus fecerint, tam artifices ipsi, quàm quorum iussu sumptuque imagines pictę positæque erunt, arbitratu nostro punientur. Parochis autem curæ erit de eo nos, quoties opus esse intelligent, admonere. Qui ipsi si quam poni imaginem contra Tridentini Concilij decretum permiserint, grauiter à nobis plectentur.

*De his, quæ in sacris Imaginibus sunt cauenda.*
*Cap.* 730.

MVLTIFARIAM in picturis sacrarum Imaginum; artificum temeritate, atque licentia peccatur. Cui rei occurrere, ac modum statuere ad nostram sanè diligentiam maximè pertinet. Cauere igitur primum omnium iubemus, ne quid, quod à sacrarum litterarum doctrina, & ab

Ecclesia-

Ecclesiasticæ traditionis, Historiæque veritate dissentiat, pingatur, fingaturuè. Deinde ne quid inhonestum, ne quid procax, ne quid præposterum, absurdumque: Omnia itē, quæ aut Ecclesiæ, aut Ecclesiasticorum scriptorum auctoritate non nitantur, sed tantùm vulgi opinione approbata, ac inducta sint, reijci mandamus. Aduerti quoque volumus imagines, imaginumque partes, ora, corpora, corporum habitus, status, ornatus, à prototypi dignitate, sanctitateq́ue ne discrepent; vt eorum aspectu religio, & pietas excitetur, non autem vt ex nudatis membris, & ad imitationem præstantis formæ molliter expressis, cogitationes prauæ gignantur, animosque intuentium subeant. In quo quidem Pictorum vtique cohibenda, reprimendaque licentia est; qui ea maximè re commendari artificium suum velle videntur. Nos quidem eos tota Diœcesi nostra conuocatos, quæ sequenda vitandaque in sacris imaginibus sint ex Tridentini Concilij decretis monebimus, ac si ab ijs discesserint, vt meriti fuerint puniemus.

*Diuinitatem pingi non posse.* Cap. 731.

NEMO tanta ingenij fiducia, vanitateque efferri se patiatur, vt diuinitatem ipsam artificiò suo effingere, ac figurare conetur. Quibus enim coloribus, figurisque confingat, conformetque, quod neque sub aspectum nostrum cadit, & cùm immensum, infinitum, & corporis expers sit, corporeis cerni oculis, & omnino vllis circumscribi terminis, lineamentisque non potest? Non tamen contra Ecclesiæ morem fiet, si aliqua Sanctissimæ Trinitatis persona, signo aliquo exprimatur; neque enim tam rudem esse quemquam existimandum est, qui ea forma diuinitatem esse credat, ac non proprias quasdam actiones à Deo manantes, Deoque tributas illis declarari signis intelligat; veluti cū Angelis humanam speciem ingentesque alas effingimus, quid aliud quàm celeritatem eorum, & promptam, paratamq; diuinis ministerijs, iussisq; capessendis voluntatem, operamque, & erga humanum genus propensum studium significari volumus?

*Cruces imaginesque indignis locis ne pingantur.* Cap. 732.

QVIBVS veneratio honorque debetur, videndum est, ne ad ignominiam contemptumq; exponantur. Igitur sacram imaginem, aut sanctum crucis signum humi stratoque pauimento insculpi effingiuè prorsus vetamus; item in sepulchris, aut sepulchrorum operculis; ne inde, quod indignum est, omnium pedibus conculcentur, proterantúrque. idē de sordidis abiectisq; locis, ac vliginosis parietibus extra Ecclesiā sitis, statuimus; quibus picturæ ipsæ breui corrumpuntur, deformántúrque; & ob id ne infestis quidem pluuia locis, aut vbi figendi sæpe claui sint, sacræ imagines pingi debent. Hæc enim augendæ incitandæque religioni, atq; pietati, non spernendæ despicatuique ha-

bendæ inuenta sunt. Quin Cruces ipsæ, sanctæq; imagines, quę in Ecclesijs ponendę erunt, prius vt soleni ritu, suetisq; pręcationibus benedicãtur, curandũ erit.

*De Imagunculis Monialium studio effictis.* *Cap.* 733.

FICTILES quasdam imagunculas, aut quas tomento infarcitas maximè Monialium studium effingit, fucisq; inde, ac pigmentis suis, ita illiniunt, & muliebrem candorem, ruboremq; imitantur, ita verò totas exornant, excoluntque, vt ne famosæ quidem illiciendis amatorum oculis se se pluribus cincinnis, maiorique arte comant, molliantque, aut ditiori ornatu componant, quàm istę sanctarum Virginum imagines concinnant, expoliuntque; & ornandis Altaribus adhibent. Has igitur inspici ab ijs, quibus id negotij à nobis dabitur iubemus, qui si quid quod dignitatem, sanctitatemq; eius sancti sanctæuè cuius imaginẽ referunt, minus decere, aut omnino vllam offensionem præbere posse iudicauerint, amoueri protinus iubebunt.

*De imaginibus vetustate collapsis.* *Cap.* 734.

TABVLAS, signauè lignea, quæ vetustate, situ, carie, sordibusque, collapsa, deleta, fractauè erunt, & ea re offensionem potius intuentium oculis, quã religionem prębere videbuntur, detrahi, tolliq; iubemus; & eorum sumptibus, ad quos ipsa res pertinet; refici, renouarique. Ea autem non in vllos verti profanos vsus, sed igne absumi, eorumq; cineres non abijci, ne pedibus conculcentur, sed in ipsa Ecclesia apto loco, effosso pauimento, abdi potius debebunt.

*De brutis pingendis.* *Cap.* 735.

IVMENTORVM, Canum, piscium, auium, aliorumque animantium effigies, pingi, fingiuè in Ecclesijs sacrisque locis non sanè debent; abhorrere enim brutorum imagines à templorum altariumq; maiestate, sanctitateq; vidètur, vbi nulla nisi diuinarum rerum, ac beatorum spirituum species adorantium oculis occurrere debet. Verùm si ratio exprimendæ sacræ Historiæ id exegerit, hæc quoue pingi non vetantur, dum à Sanctæ matris Ecclesiæ more, & consuetudine non discedatur.

*De imaginibus quam verissimè fingendis.* *Cap.* 736.

IN Sanctorum imaginibus pingendis, magnum studium adhibendum est; vt ipsis sanctis quam simillimæ exprimantur, exemplaque non ex ingenio artificis, sed vel ab Historijs, vel ab ea forma petantur, quam per manus tradita, diuturna Ecclesiæ consuetudo recepit, probauitque. Minimè verò mutanda ea species, formaque erit, vt hominis cuiuspiã, vel nuper mortui, vel adhuc viuentis,

tis, effigies referatur, Minuit quodam modo ea res sacræ imaginis maiestatem, religionemque. Nec vanitatis reprehensionem effugiunt, qui eo monumenti genere, quasi hominum memoriæ commendari se appetunt.

*De quibusdam sanctorum insignibus.* *Cap.* 737.

SANCTORVM insignia triplicia fermè traduntur; alia enim vniuscuiusque sunt propria, alia communia omnium, alia verò cuique ordini attributa. Scilicet Apostolorum Principis propriæ Claues, Martirum palmæ, omnium corona, rotundi scuti instar vertici apposita. Quæ Christo quoque Domino adhibetur, sed introrsus crucis signo ab alijs distincta. Illud quoque aduerti debet, vt neque sancti imago vlla sine ea corona depingatur, neque vlli præterea id addatur insigne, quem Canonizatum & auctoritate Ecclesiæ in sanctorum numerum relatum esse non constet. Quod si imaginibus singulis nomina quoque sanctorum, quos referunt inscribentur, factum ex veteri more erit.

*De his quæ picturæ ornatus causa adduntur.*
*Cap.* 738.

QVÆDAM ad ipsam ornandam illuminandamque Picturam artifices addere, atque inrerijcere solent. Ea quoque videndum est, ne a sacrarum imaginum grauitate, sanctitateque dissentiant; ne voluptaria, ne delicata nimis molliaque sint, neuè prophana; non monstra diuersarum figurarum, non humanorum capitum deformes vultus, quos mascarones vulgus appellat, non denique alia id genus: sed ea exprimantur, quæ cum ipsa sacrarum rerum Historia, quam pingit artifex, aptè congruere intelliget.

*De tabellis votorum causa positis.* *Cap.* 739.

MAGNA in id quoque adhibenda cautio est, vt tam in tabellis, quam in sigillis ex fusili cera effectis, quæ templorum parietibus ab his suspenduntur, qui aut damnati voti, aut e grauibus morbis aut magni discriminis periculo diuina ope elapsi, pio gratoq; animo salutem suam Deo acceptam referunt, remque picta tabella testantur, ne quid falsò, ne quid indecorè, ne quid turpiter, ne quid superstitiosè, affingatur; sed omnia verè, decenter, honestè, religiosè exprimantur.

*De imaginibus quæ priuatis in ædibus habentur.* *Cap.* 740.

IN tabulis ijs pingendis, quæ in suis quisque ædibus Religionis causa habet, eadem caueri, eademque seruari, quæ supra tradidimus debent, eadem ratio teneri.

nezi. Nemo autem committat, vt non aliquam ſacram imaginem, & maximè conditoris, ac Saluatoris noſtri, & ſanctiſſimæ eius Genitricis in cubiculo, conclauique ſuo habeat; quam aſſiduo quodam ac peculiari honore colat. Ei egrediens, ei ingrediens, eidem pertranſiens caput aperiat; ad eam mane cum ſurgit, noctu cum ſe cubitum confert, poſitis genibus, oret; neque in conclauibus ſolùm, ſed etiam in ſuis Opifices tabernis aliquam ſemper habere ſacram imaginem decet, quàm pariter venerentur. Contra verò & domo, & officinis omnes hortamur, vt prophanas & parum pudicas imagines protinus auferant.

## REPRÆSENTATIONES QVAM OB REM SVBLATÆ. CAP. 741.

ACTIONES quibus, more antiquitus tradito, & Domini noſtri cruciatuum, mortiſque perpeſſio, & fortia martyrum facta, exemplaque veræ virtutis, ab ardentibus Chriſtianæ pietatis ſtudio animis, edita, repręſentabantur, quemadmodum ad commouendos, afficiendoſque miſeratione hominum animos, & ad illius ſæuas ærumnas, atque acerbitates noſtra cauſa ſuſceptas, veris ac pijs lacrimis proſequendas, veniamque inde peccatis noſtris ſuppliciter implorandam, piè iuuentæ inductæque erant; ita poſteaquam vitio, ac peruerſitate humani ingenij, res in ludicrum vertere cœpit, & a lacrimis ad riſum, iocoſque, a religione ad voluptatem, ac ſcenam traducta eſt; ſtatutum ſapientiſſimè videtur, vt ijs abſtineatur; ne ſalutis noſtræ ſacroſancta myſteria ludibrio habeantur. itaque decernimus Domini Noſtri paſſionem, aliaque ſanctorum geſta in Eccleſia, aut omnino vſpiam repręſentare ſine permiſſu noſtro non licere.

*Repræſentationum quæ noua ratio. Cap. 742.*

NE tamen quantum cum animarum fructu, atque compendio poteſt, non aliquando aliqua Paſſionis Domini ſpecies oculis ſubijciatur, volumus, vt concionatores propoſito Domini ipſius Cruci ſuffixi ſimulacro, omnibus orationis ſuæ neruis contendant, ſæua illius ſupplicia, immaneſque cruciatus exponere; & dare operam, vt, qui concionum vberrimi fructus ſunt, auditores quam maximè ad pietatem, lachrimaſque commoueantur. Quam rem in maiori vtique hebdomada adiuuabunt etiam externa aliqua actione; ſcilicet, Cruci membra configentium, & clauos malleo impellentium ictus imitantes, & alia huiuſmodi, quæ Eccleſiæ conſuetudo retinuit. Martyrum autem, ac ſanctorum res non actionibus, ſed arte dicendi, ita piè, religioſeque narrabunt, explicabuntque, vt audientium animi ad eorum venerationem, imitationemque accendantur.

## DE FESTIS DIEBVS. CAP. 743.

FESTORVM dierum cultum Catholica Ecclesia nequaquam epularum, & publicorum ludorum muneruműque celebritati, atque inconditæ vulgi lętitiæ, sed recolendis cœlestium rerum, atque humanæ salutis mysterijs, ac Deo, Deoque dilectis sanctis debito honori habendo, præstandoque, instituit: Eamq; ob rem cessare nos ab omni alio opere, & vni vacare religioni, vnisque pietatis studijs exerceri iussit. Quod & si omni quidem tempore locoque facere nos conuenit, cùm nullum tempus diuinorum in nos beneficiorum expers sit; nullusq; locus, vbi Deo gratias agere, eiusque infinitam benignitatẽ agnoscere non possimus; tamen certi delecti dies sunt, quibus frequentes omnes in templa conueniamus, ac piè diuinis officijs operemur, atque alter alteri mutuò exemplo ad colendum, propitiandumque Deum simus.

*De deprauato festorum dierum vsu.* Cap. 744.

A Pio sanctæ matris Ecclesiæ in colendis festis diebus instituto, malæ consuetudinis corruptela vsque adeo deflexum est, vt iam qui dies pijs consecrati officijs sunt, non solùm ex pręscripto Ecclesiæ non sanctè colantur, sed contrarijs rebus, actionibusque nefariè violentur. In Ecclesiam non tam ad sacra, quàm ad colloquia, ad vestium, auri, gemmarum, aliarumque rerum luxum ostentandum, & ad lasciuos amores mutuis oculorum coniectibus prouocandos, conuenitur. In festos dies nundinæ, Choreæ, saltationes, conuiuia, nuptiæ, comediæ, personatorum fœdę lusiones, tesserarum, alearumq; ludi, conferantur. vt nihil de opificijs, rusticisque operibus, rerumque ac sarcinarum vectionibus, quæ iam dedita opera veluti in succisiuum tempus, in festos dies reijciuntur, dicamus. Cui quidem deprauato vsui nos studiosè, diligenterque occurrere Deo adiuuante decretum habemus.

*Diebus festis quæ fieri vetantur.* Cap. 745.

IGITVR ex veterum Patrum institutis Conciliorumque & Pontificum Max. iussis, & auctoritate, statuimus, atque edicimus, ne festis diebus quicquam seruilis operis fiat, quicquamuè eorum, quæ fieri, agi, gerique, non liceat. Tabernæ ne aperiantur, opificiaque omnia intermittantur, nemo terram colat, aratro scindat, ligone fodiat, vertatque, ne semen quis iaciat, ne metat, neu fruges colligat, comportetuè, neuè ligna cędat, aut omnino vllum rusticum opus faciat. Mercatus item, emporia, nundinæque ne agantur, nec quicquam quod ad nundinarum apparatum pertineat ædificetur, instruaturque, quamuis in posteram diem nundinæ ipsæ inciderent. Ne contractus vllius generis, ne executiones vllæ fiant, nisi cùm iure nominatim permissum est, Ne collectæ, taleæque in oppidis,

pidis, pagis, vicis, festis diebus exigantur, eo præsertim tempore, cùm sacra fiunt, vel concio habetur, vel supplicationes, vel alia diuina officia celebrantur; atque adeo ne vllis hæc diebus in Ecclesia, Ecclesiæque vestibulo, aut cæmiterio exigi liceat. Ne libri, ne imagines, signaue, & alia id genus vsquam venum exponantur, aut vendendi causa circumferantur, Ne laruæ, ne vestes ad mentiendas personas, neuè aleæ, tali, tesseræ, tabellæ, aliaque ludorum instrumenta vendantur, locenturuè.

*De rebus ad victum necessarijs.* Cap. 746.

IN ijs quoque rebus, quæ ad victum necessariæ sunt, quasque vendi vtique licet, aliqua adhibenda ratio modusque est, ne violari ea re festorum dierum cultus videatur. Edicimus igitur ne isthæc ipsa in vestibulo propiusuè Ecclesiam, aut omnino in eius conspectu venalia proponantur. Ne autem præterquam panis à sole, ac pluuia defendendi causa, vlla in foris, in plateis, publicisuè locis, Tentoria, Rastraue ad res ipsas exponendas statuantur; neque earundem rerum gratia officinæ vllæ, tabernæque apertæ habeantur; neque in tabernarum rastris scamnisuè, aut pulpitis suspendatur quicquam, aut exponatur, sed tantùm ostiolum paruulum pateat, reliqua Ianuæ parte clausa; quin certum quoque tempus harum rerum venditioni a nobis, vt ex vsu esse existimabimus, præscribetur, ne qua offensio, aut distractio a diuinis officijs inde sequatur.

*De officinis quarum est paulo magis necessarius vsus.* Cap. 747.

TABERNÆ, officinæque earum rerum, quarum magis necessarius est vsus, vt Pistorum, Tonsorum, Pharmacopolarum ita aperiri possint, vt pars tantùm aliqua Ianuę pateat; quò ægris alijsque res necessarias petendi copia sit; sartorum, sutorumque tabernæ tantùm mane admodum mature, paruo ostiolo adiri possint, aperiri nullo modo possint; ac ne ostiolo quidem, post cępta in Ecclesijs diuina officia; alioquin pœnis violati dierum festorum cultus opifices quorum illæ fuerint, teneantur.

*De Choreis & saltationibus.* Cap. 748.

LICENTIA saltationum, & Chorearum, quam iuuenum lasciuia inuenit, multa flagitiorum semina spargi, eaque naturę vitijs excepta, altas nequitię radices agere, omni tempore compertum est. Hoc fonte turpes cogitationes, hoc obscena verba, hoc verbis facta fœdiora, stupra, adulteria, innumera mala profluunt; hoc tot illicebre libidinum, tot corruptelæ morum, tot denique diuini numinis offensiones erumpunt; hinc dissidiorum, discordiarumque ingens materia, hinc rixæ, inimicitiæ, atque adeo cędes sæpissime oriuntur; &, quod deflen

dum

dum sanè est, ad hoc peccatorum omnium quasi seminarium, diebus maximè festis conueniatur; & quod tempus sancta mater Ecclesia Deo propitiando, conciliandoque delegit, eo nos potissimum ad Deum grauissimis offensis irritandum nobis, alienandumq; vtimur. Quod quia arbitramur satis patere quam execrandum sit, fideles vehementer in Domino hortamur, vt ab his satanę blanditijs se abstineant; vtique choreas, saltationes, tripudia fieri, ducique ijs horis, quibus diuina officia in Ecclesia peraguntur, penitus interdicimus.

*De Histrionibus, circulatoribus, & circunforaneis.*
*Cap. 749.*

PAREM propè morum corruptelam scena spectaculaque afferunt, non solùm conuentu illo fęminarum lasciuientiumque iuuenum, & procacibus oculorum inter se occursibus, totaque illa multitudinis licentia, sed ipso quoque comędiarum genere, quæ nihil iam aliud, quàm aut incestos amores, amorumque turpes casus, artesque, aut scurriles, & obscenos iocos referunt; & iam etiam exhausti pudoris fœminas ad captandam illiciendamque iuuentutem in scenam inducunt; quibus rebus non auertitur solùm animus a diuinarum rerum officiorumque cogitatione, atque cultu, sed inhonestis artibus imbuitur, & flagitiorũ veluti contagione inficitur, ac deprauatur. Ad comœdiarum corruptelas accedunt equorum cursus, equitumque hastis congredientium ludi, athletarum luctationes, aliaque huius generis spectacula, & præter hæc concursus, concionesque, quas circulatores, ac Plani alijque circunforanei Nugatores habent: qui omnes quò maiorem sibi frequentiam faciant, festos maximè dies ad imponendum stolidæ plebi, aucupantur. Nos igitur tam histriones, & comœdiarum actores, quàm circunforaneos istos nebulones, & aliorum quoque ludorum, ac spectaculorum artifices quicquam agere, aut omnino vendere festis diebus vetamus, grauibus pœnis mulctisque si non paruerint, arbitrio nostro constitutis.

*De Carneualibus & eorum corruptelis a festis diebus remouendis.*
*Cap. 750.*

PRONVM sponte sua ad voluptates humanum ingenium, si publico insuper consensu, moreque impellatur, in omnia præceps vitia corruptelasque ruit. Hinc factum (adeo nos praua peruertit consuetudo) vt Septuagesimam inter & Quadragesimam interiecti dies, quos sancta mater Ecclesia magno mysterio veluti lugubres, funebresque habet, præualens lasciuiæ, risus, hilaritatis amor non in lætitiam solùm, inconditumque gaudium verterit, sed penè cõmuni cuidam insaniæ dedicarit; eoque prouecta licentia sit, vt ipsas quoq; leges, ipsos magistratus traxerit; & quod ne priuato quidem cuiq; vlla bene morata ciuitas cõcederet, id penitus iam publica auctoritate nitatur, & populi, veluti obliti nomi-

nis, quo feruntur, in ipsos prophanarum gentium ritus, moresq; degenerarint. Et quemadmodum certos illæ dies Saturno, & Pani impiæ vanitatis ac superstitionis dijs sacratos, Saturnalia, Lupercaliaque nominarunt; in quibus Iuuenes nudos per vrbem discurrere, procaciterq; lasciuire in honorem eius Dei fas erat; ita nos verius, & ab ipsa re ducto vocabulo hos ipsos publicæ amentiæ dies Carneualia appellauerimus. Quo tempore nequius, corruptiusq; excogitari nihil potest, nihil quod magis omnium flagitiorum licentia sit imbutum, cùm homines alioquin minime leues, minimeque impuri, à se alienum nihil putent, quod à modestia, grauitate, honestate alienissimum sit. Atque illud quoque mos impro bus obtinuit, vt scenici ludi, spectacula, saltationes, laruartorum fœdæ personæ maximè in festos dies conferantur. At nos hæc omnia a sanctis Ecclesiæ institutis abhorrentia, si aboleri nequeant, festis vtique diebus intermitti prorsus iubemus.

### *De Conuiuijs festo die non celebrandis.* Cap. 751.

OMNI quidem tempore omnibus vitandus Epularum est luxus; ac ne in ipsis quidem conuiuijs à christiana temperantia, atq; frugalitate discedendum; sed festos dies, quod à plerisque præsertim in solemnibus nuptiarum dapibus fit, per vinum, & comessationem transigere, à sanctitate ipsorum dierum sanè abhorret. Cùm igitur omnes hortamur, vt etiam, quæ pro consuetudine omitti non possunt, conuiuia in festos dies ne conferant, tum verò Clericos, qui alterius inuitatu ad concelebrāda festo die in aliqua Ecclesia diuina officia, quod sæpe, præsertim in pagis fit, conueniunt, & mos obtinuit, vt ab inuitante epulis accipiantur, hunc ita morem obseruare iubemus, vt non conuiuium illud, & largius præbitæ dapes, sed simplex, & frugale prandium, quale Sacerdotalem modestiam decet dici possit; & pia potius lectione, sermoneue, q̃ vllo ciborum ap paratu condiatur. Caueat verò illius Ecclesiæ Rector apud quem festus dies celebratur, ne choreas duci, saltariq;, aut vllum prophanum ludum, quasi in sancti honorem, cuius dies agitur, edi, aut omnino quicquam fieri, quod à piorum institutorum cultu alienum sit, patiatur.

### *De Sacerdotibus festo die ad alienam Ecclesiam conuenientibus.* Cap. 752.

CVM ad concelebranda diuina officia Sacerdotes ad alienam Ecclesiā inuitatu Rectoris conueniunt, hanc rationem teneri iubemus. Plures quàm quatuor, aut summum sex ne euocentur, nisi fortè pij legati instituto iureq; plures adhiberi debeant. Vbi aliorum Sacerdotum copia sit, Parochi ne inuitentur, sed ad curam Ecclesiæ suæ relinquantur. Vbi aliorum Sacerdotum facultas desit, viciniores tantùm Parochi accersantur. Parochi autem, qui die festo alienæ

Ecclesiæ

Ecclesiæ operam commodaturi sunt, id pridie eius diei populo suo nuncient; cumque, aut ad illam ipsam Ecclesiam inuitent, quò profecturi ipsi sunt, aut viciniorem aliam adire Ecclesiam, & ibi sacro interesse iubeant, aut etiã ipsi prius in sua Ecclesia missam celebrent; deinde ad nauandam alijs diuinis officijs in aliena operam, contẽdant; curent denique vt ita alienis inseruiant, ne suis desint. Sacerdotes autem euocati omnes cum Cotta in choro assistant, diuinaque officia obeant; qui verò vocati non fuerint, neque in Chorum asciscantur, neq; eleemosinarum participes sint, neque mensæ adhibeantur. Qui huic præscriptæ à nobis rationi non steterit, à nobis pro eius merito punietur.

*De iter facientibus.* *Cap.* 753.

NVLLO quemquam tempore officij quod Deo debetur negligentem esse decet, nec quia iter habeamus, propterea omittere curam Sacrum festis diebus obeundi debemus; Nemo igitur Dominico, aut festo die ante iter ingrediatur, quàm diuino sacrificio interfuerit, nisi eo proficiscatur, vbi in tempore adfuturus sit. Quod cum ab omnibus tum maximè ab Ecclesiasticis hominibus seruari, atque illud præterea caueri iubemus, vt ne sacris illis diebus chorum temerè ac diuina officia deserant, iterque nisi graui ac necessaria de causa suscipiant, vt hac quoque in re cæteri eorum exemplo, missam itineris causa facile ne omittant.

*De Calendis Maij.* *Cap.* 754.

CONCEDI populis quædam interdùm oblectamenta solent, quæ, vt ex ludicris fere lasciuia gignitur, diuturno inde vsu in malum vertunt. Vt mos ille, qui maximè agrestibus vsurpatur, Cal. Maij cæsam prælongam, ac proceram arborem in plateis, triuijsque erigendi, statuendiq; decisisque ramis ac detracto cortice, quo lenior, atque ascensu difficilior sit, lacertorum atque crurum amplexu, nixuque scandere conantur, ad summamq; altitudinem pertingere. Ac multa ex hoc ludicro manant incommoda. Primùm quidem cum Cal. Maij sanctis Apostolis Philippo, & Iacobo dicatæ sint, diesque in primis festus solemnisq; pleriq; studio lusus illius, sacrificio ea die interesse negligunt; deinde illas ipsas arbores aliena ex silua, agroue cædunt; plerumq; furto, ac sæpissime, veluti licentia, & consuetudo ipsa ius faciat, ex Ecclesiasticis prædijs auferunt. Hinc conuicia, rixæ, contentiones, iniuriæ, odia cum Ecclesiasticis hominibus, aut cũ villicis, ac ministris eorum, Ecclesiæ rem tuentibus. Præterea rem clamoribus, timpanis, sclopis etiam ac scloporum crepitibus celebrant, ac strepitu diuina officia perturbant. Hæc sequuntur comesationes, compotationesque, & ebrietates, atq; hanc deinceps obscæna dicta, factaque, & alia à christiano more, atq; instituto aliena. Quibus commõstratis Parochi reuocare suos, atq; abducere ab tam deprauata consuetudine conabuntur; nos verò etiam pœnis festum illum diem seruili aliquo opere vel alia re violantẽs arbitratu nostro coercebimus.

Cc Festi

*Festi dies à quibus verè coli dicantur.* Cap. 755.

TRADITIS, quæ respuere festorum dierum religio videtur, nunc quibus ij maximè coli celebrarique debeant, attingemus. Illis igitur verè hi dies sancti, sanctéque culti dici posse videntur, qui sacrosancto Missæ sacrificio non corpore solùm assistunt, sed animo in cœlestia illa mysteria assiduè intento, ac vera pietate affecto adsunt, & quantum possunt singulas sacrificij partes sancta meditatione prosequuntur. Qui mane concioni, à prandio lectioni, sicubi hæc habebuntur operã dant, & Vesperarũ officijs piè, ac religiosè intersunt. Qui ægros inuisendo, mœrentes consolando, egentibus subueniendo, se sanctis christianę pietatis, & charitatis exercent officijs. Qui deniq; illorum dierum tempus, quod Deo eiusque cultui debetur, totum sanctis actionibus consumunt, ab ijsque penitus se abstinent, quæ vllam peccãdi materiam, occasionemq; præbere possunt.

*De festis diebus à seculari magistratu colendis.* Cap. 756.

QVoniam, qui populis præsunt, sicuti alios honore dignitatis excellunt, ita ad studia religionis, diuinarumq; rerum officia præire exẽplo debent, nos magistratus omnes hortamur, & pro officij nostri munere monemus, vt ipsi festis diebus omnibus, vtiq; celebrioribus Ameriæ quidem ad Cathedralem, alijs in locis, ad maiorem Ecclesiã cum frequenti populo conueniant, mane solemni sacrificio intersint, meridie diuina Vesperarũ officia obeant, & publicis præterea supplicationibus, quoties habentur, quin operam dent, nunquã prætermittant.

*De diebus qui festi sunt & de ijs indicendis.* Cap. 757.

NE quis ignoret, qui dies ex sanctæ matris Ecclesiæ, & ex ciuitatis ac Diœcesis nostræ consuetudine colendi in festósque referendi sint, hos ab omnibus coli, & festos haberi iubemus.

Dies Circuncisionis.
Epiphaniæ.
Purificationis B. Mariæ.
S. Matthiæ Apostoli.
Annunciationis B. Marię.
S. Marci Euangelistæ.
SS. Iacobi, & Philippi Apostolorũ.
Inuentionis S. Crucis.
Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ.
SS. Petri, & Pauli Apostolorum.
Visitationis B. Marię.
S. Iacobi Apostoli.
S. Laurentij Martyris.
Assumptionis Beatæ Mariæ.
S. Bartholomęi Apostoli.
Natiuitatis B. Mariæ.
S. Matthæi Apostoli.
S. Michaelis Archangeli.
SS. Simonis, & Iudæ Apostolorum.
Omnium Sanctorum.
S. Martini Episcopi.
S. Andreæ Apostoli.
Conceptionis B. Mariæ.
S. Thomæ Apostoli.
Natiuitatis Domini N. Iesu Christi.
S. Stephani.

S. Ioannis Apostoli.
SS. Innocentium.
S. Siluestri.
Paschæ Resurrectionis cum duobus sequentibus diebus.
Rogationum mane dum fiunt.
Ascensionis.
Pentecostes cum duobus seq. diebus.
Corporis Christi.
Dies Dominici omnes.

Hos autem dies festos, die Dominico, qui eos antecedet Parochus populo ex cõsuetudine prænuntiet, indicatque, vt quisque ad eos ritè, & ex sanctæ matris Ecclesiæ instituto, colendos peragendosque se comparet; item de vigilijs, alijsque ieiuniorum diebus, deque eorum cultu, ac religione populum admonebit; In quo si negligens fuerit, à nobis pro eius merito punietur.

*De festo die sanctæ Firminæ.* Cap. 758.

FESTVS dies Sanctę Firminæ custodis ac præsidis huius Ecclesiæ, atque vrbis, cuius nomine ipsa Cathedralis Ecclesia nostra nuncupatur, solemni in primis cerimonia, ac religione colendus nobis, celebrandusq; est. Hortamur itaq; omnes, primùm quidem vt pridie eius diei ieiunium celebrent; quod etsi non pręcipiat Ecclesia, postulat tamen sanctæ ipsius dignitas, vt vltro à nobis suscipiatur; deinde vt diem ipsum ea, quam supra tradidimus, disciplina, instituto que transigant, debitumq; tutelari sanctæ honorem tribuant. Quam non virginitatis solũ laus, sed etiam martyrij pro Christiano nomine fortiter oppetiti gloria in cœlum extulit; cuiusque tutelam præsensq; numen hæc Ciuitas sæpe grauissimis suis temporibus experta est. Volumus præterea, vt ea die in honorem eius concio habeatur, qua maximè & vitæ illius innocentissimè traductæ exempla referantur, & vitę integritas sanctiori, & constantiori morte conclusa, narretur, quò ad ipsius cultum, imitationemque audientium animi quotannis magis incitentur.

*De studio ornandi festis diebus Ecclesias.* Cap. 759.

SINGVLIS quidem diebus festis, pro eorum celebritate, ornandæ excolendæq; Ecclesiæ sunt, sed die vnicuiq; solemni, & pręterea Natali Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, magnum in eam rem ac præcipuum studium, vt cuiusque Ecclesiæ facultates, atq; opes tulerint, conferendum erit. Ianuæ festa fronde ornentur, parietes interiores, atque intercolumnia auleis, tapetibus, sacrarum imaginum tabulis rectè, atq; ordine collocatis, aut si hæc desint, ijsdem frondibus ramisq; viridantibus ornentur, vt hoc quoq; apparatu populus & alliciatur, & religio veneratioque sacrarum rerum in omnium animis augeatur.

*De temporis spatio quo dies festi continentur.* Cap. 760.

TEMPORIS spatiũ, quod dies festus Catholicę Ecclesiæ instituto com-

plectitur, est viginti quatuor horarum, cuius initium à media nocte ipsum diem antecedente sumitur, & ad mediam noctem, quæ ipsum subsequitur diem, continuatur. Quo tempore omnia, quæ supra tradidimus vetantur, idq; cum cœteris omnibus tum maximè Mulionibus, Vectoribus, Fabris, Tonsoribus, Sartoribus, Sutoribus, eorumque operis, ac ministris indicimus. Qui si intra definitum spatium opus fecerint, violati festi pœnis teneri se intelligant.

## DE PVBLICIS SVPPLICATIONIBVS. CAP. 761.

QVOTIES Clero supplicatum publicè, cuiuscunq; rei causa, eundũ erit, cura adhibeatur primùm quidem, vt omnes piè, sanctéq́, eo officio fungatur; deinde vt sine tumultu, sine contentione, sine strepitu vllo rectè, atque ordine omnes progrediantur; si quidẽ non aliud in Catholica Ecclesia hoc supplicandi institutum esse videtur, quàm quædam Ecclesiæ ipsius cõmunis vox, per templa perque vias Deũ adorantis, atq; ei grates pro summis beneficijs, quæ cotidie ab illius immensa benignitate in nos proficiscuntur, referentis; & vt eadẽ nos benignitate, eadem ope, atque numine prouehat, & saluos inter tot humanarum cupiditatũ illecebras, tot æterni hostis nostri insidias, præstet orantis; eamq; ad rem etiam sanctos omnes, omnes cœlestes spiritus deprecatores allegantis.

## *De ordine supplicandi.* Cap. 762.

FVturæ supplicationes, earumq; dies publicè ante indicantur: & Parochi populum moneant, vt & ad rem celebrandam frequentissimus adsit, & in eo officio sanctè, modesteq; versetur. Quod si extraordinarie ex Pont. Max. auctoritate, siue Iubilei, siue alterius rei causa, susceptæ supplicationes erunt, curæ Episcopo sit, vt etiam Concionatores in Cathedrali Ecclesia e suggestu rem Populo nunciẽt, & accurata oratione audientium animos ad piè officium obeundum incitare conentur; & quid cuique præstandum sit, vt prolatis ab Ecclesiæ thesauris potiatur, edisserat. Pridie eius diei quo futuræ supplicationes erunt, initio à Cathedrali Ecclesia facto, reliquæ etiam Ecclesiæ omnes, tam Regularium, quàm Secularium pulsu campanarum signum eius rei populo dent. Iubeantur verò laycorum sodalitates omnes, omnes cleri ordines tam Seculares, quàm Regulares, ijs exceptis, qui arctiori disciplina claustris suis attinentur, statuto tempore, ad Cathedralem Ecclesiam, aut ad eam vnde suplicandi initium faciendũ erit, conuenire. Hic cum suis quique separatim consistant, exeundi tempus opperientes; atq; interim pijs officijs precationibusque operentur, nec vagari quisquã aut intempestiuos serere sermones audeat. Peracto demum diuino sacrificio, inde ordine omnes progrediantur, sua quemque cum cruce, atque insigni, eodemque reuertantur, nec quisquàm nisi post impertitam omnibus ab Episcopo benedictionem discedat. Abeuntibus eadem præferatur crux, idem ince-

incedendi ordo teneatur, idē concinendi nisi fortè Episcopus in Vrbe; in diœcesi foraneus Vicarius, alibi eos missos fecerit. Omnes aūt Clerici seculares talari cum tunica sint, & linea cum Cotta, candida, putaque, & alia quam cuiusque dignitas poscet Sacerdotali veste; Item Regulares proprio quique cū sui ordinis ornatu. Cruces quoque qui ferunt, talari veste, & linea cotta vtantur, nec layci ad id opus conducantur, vbi Clericorum, qui illud præstare possint, facultas sit. Hi graui temperatoque incessu gradiantur, & secum assiduè mysteria sanctissimæ crucis cuius præferunt insigne, reputēt. Qui serius post sanctissimæ Trinitatis inuocationē aduenerint, pro absentibus habeantur, & arbitrio Episcopi mulctentur.

*De Incessu pompæ, & quæ cuique in eo cauenda.*
*Cap. 763.*

IN incessu pompæ, si qua de loco ac dignitate contentio inter ordines, siue seculares, siue regulares, siue laycorum sodalitates, exoriatur, eam Episcopus arbitratu suo dirimat, & quod fieri velit decernat; ab illius decreto prouocatio nulla sit. Clerici bini gradiantur, iustis inter se distincti spatijs; ordinem Cleri populus sequatur. Feminæ non vno agmine cum viris, sed separatim postremò loco incedāt; Progredientem è templo pompam festus campanarum sonus prosequatur, idem redeuntem quoq; excipiat; Idemque Ecclesiæ omnes, per quas transitus fuerit, faciant; neque eo tempore sacrificet quisquam. Inter eundum nemo spectandi causa subsistat, nemo colloquia inanibus, aut adeo non necessarijs de rebus, serat; multo minus cachinnis, atque indecoro risu notetur. Nemo manus chirothecis induat. Nemo florum fasciculos, quos identidem naribus admoueat, ferat. Nemo ocreatus, aut pileatus; Nemo item cum pallio, quod ferraiolum vocant, nisi fortè imber esset. Nemo cum per Ecclesiam iter est, non capite sit aperto. Nemo non sanctissimum Sacramentum genu veneretur. Nemo denique quicquam petulanter dicat, aut faciat. In pagis cum agri, vineæq; lustrantur, abrogate parochi conentur morem afferendi cibos, vinumque, & inter ipsas supplicationes edendi, bibendique, atque inter se inuitandi. Quod ab illius religione officij magnopere abhorret.

*De supplicationum cantibus. Cap. 764.*

QVÆ in supplicationibus carmina, qui psalmi, quæ preces hymnique canendi erunt, ante iussu Episcopi præscribantur, nisi ex libro rituum ipsius Ecclesiæ sumendi sint; concinant verò clerici, atque sodalitates omnes, aut si quibus, dum proximi artificiosius canunt, silendum sit, ij tamen cum eo quisque, qui vna graditur, summissa voce psalmos, precesque alternent, ne quis in pio officio cessare, & non pias ad Deum preces fundere videatur. A Musicis modos adhiberi, & vocem variè agi, inflectique permittimus, atq; adeo etiam volumus, cùm ea re commoueri ad pietatem animi audientium,

 creden-

credantur,& quædam diuini cultus pars esse videatur,adhibitū rebus sacris musicæ artis studium. Sed tibiarum, aut fidium, aut omnino aliorum musicorum instrumentorum cantus, à supplicationum sanctitate alienos ducimus, ac summoueri prorsus iubemus.

*De præficiendo supplicationibus, qui eas dispenat.*
*Cap. 765.*

NON facilè in celebrioribus, solemnibusque supplicationibus,quibus & Clerus vniuersus, & frequens populus adsit, ordo teneatur,cùm in multitudine, atque turba plures qui præcipiant, quàm qui pareant existere soleant, nisi vni ius imperandi alijs, & pompam, atque ordinem incedentium dirigendi, instruendique tribuatur. Igitur deligat Episcopus è Clericorum numero hominem rei peritum, atque industria spectatum, atque eum huic muneri magna cum potestate præficiat,adiunctis alijs,quorum ille opera vtatur,pęnamque statuat, iussis illius non parentibus. Is suo quosque loco progredi,ex agmine neminem decedere, neminem è layeis clericorum ordini se interijcere; Agmen ipsum nunc consistere,nunc ire, vt ratio rei postulabit iubebit,denique omnia vt ritè atque ordine fiant,curæ habebit.

*De certis diebus habendi supplicationes.*
*Cap. 766.*

NVLLVS quidem non idoneus, piū cultum beneficentissimo Deo persoluendi, dies fidelibus est; sed tamen quidam sunt, qui magis rei mysterio congruere videntur; Cùm igitur habendæ supplicationes erunt, agendi causa gratias Deo, quinta feria, & Dominici dies deligantur, cùm deprecandæ calamitates,seu pestilentia,seu bellum,seu fames,seu pluuiæ,seu aliud iusta illius ira immissum malum,quarta & sexta feria, aut Sabbato potissimum peragantur; & præterea Ecclesiarum stationes,& verba præcationum, & habitus ipse eas obeuntium rei accomodentur.

DE ORATIONE QVADRAGINTA HORARVM.
CAP. 767.

SVMMA sæpe humano generi beneficia vnius hominis precibus data à Deo esse,sæpe accensam eius in nos flagitiaq; nostra iram,vnius religione, ac deprecatione restinctam placatamque fuisse, exempla monumentaque sacrarum litterarum docent; & quisque in se ipso experitur, nihil esse quo anima nostra peccatis ægra, anxiaque magis recreetur, sublevetur que, quàm profusis ab intimo animo pijs ad Deum precibus, & eius venia castè, ac religiosè implorata; atque is quidem adhibitus Deo cultus tanto efficacior

ad illius nobis gratiam conciliandam, veniamq; impetrandam futurus videtur, quanto a pluribus eodem tēpore, eodem loco, eadem mente fuerit susceptus. Ipse enim nobis Deus pollicitus est (nec nos sanctà eius promissa fallunt) quoties erunt duo, vel plures in nomine eius congregati, ibi se cum ijs in medio futurum, eorumque preces auditurum. Vnde sanctè in Ecclesia, & magno mysterio institutum est, vt Populus vniuersus tēporibus, vicibusque distributis, continenter quadraginta horarum spatium in orando, precandoque Deo sit. Idque ex re quadraginta horarum oratio appellatur. Cuius quidem Religiosi instituti tanto studio vir priscæ sanctitatis Clemens octauus Pont. Max. tenetur, vt inito Pontificatu, nihil habuerit prius, quàm vt delectis in Vrbe nonaginta Ecclesijs, huncassiduè per quadraginta horas orandi morem in vna peractum excipi iuberet ab alia, ac deinceps alia, atque hoc veluti circuitu perpetuum faceret, obireque ipse pium officium summa cum Religione solet, ac eius exemplo excitata feruent nūc tota vrbe studia pietatis, precesque ipsæ maxima vbique frequentia, & multitudine celebrantur.

### *De Orationis Quadraginta horum loco, & apparatu.*
### *Cap. 768.*

QVADRAGINTA horarum oratio non nisi in ijs Ecclesijs fiat, in quibus sanctissima Eucharistia asseruatur; siue illæ secularium, siue Regularium sint, ac ne in ijs quidem omnibus, sed in quibus Episcopus statuerit. Habeatur in conspectu ipsum sacramentum, quod è tabernaculo suoque loculo promptum in ipso Altari collocetur, pellucido vitro inclusum, vitrūque argenteo ferculo imponatur, ac totum pertenui velo serico auroq; contexto contegatur, clausis fenestris, atque exclusa die, Altare locusque circum quam pluribus luminibus illustretur, orneturq; magnifico, quidem, ac splendido, sed qui sacra deceat, apparatu, vt eius aspectu non oculi teneantur, sed animus quadam religione perfundatur.

### *De oratione quadraginta horarum inchoanda.*
### *Cap. 769.*

VT in tanta, ac tam solemni precatione quàm maximè vniuersus Populus ad religionem commoueatur, magna res ceremonia erit inchoanda. Quo circa volumus, vt non solùm Clerus tam secularis, quàm Regularis, omnesque sodalitates conuenire suo quæque cum ornatu ad Ecclesiam iubeantur, sed & Magistratus, & Populus vniuersus edicto prius moneatur, & ad rem celebrandā inuitetur, deinde pridie eius diei quo precandi initium faciendum erit, sub primam noctis horam, & rursus ipsa quoque die sub incipiendi tempus, magno campanarum sonitu ad Ecclesiam omnes conuocentur. Cùm frequentes aderunt, Sa-

cerdos pluuiali veste indutus, sanctissimum Sacramentum venerabundus, è Tabernaculo proferat, atque humeros serico velo stratus, quo ipsum etiam Sacramentum tegatur, solemni supplicatione, clero vtroque ante eunte, & litanias, suetosque supplicationibus hymnos canente, prælatis etiam accensis cereis, sacramenti ferculum vtraque manu ferens, procedat; Regressaque inde in Ecclesiam pompa, Eucharistiam in medio Altari, vt dictum est, collocet, omnesque circum abiectis genibus diuinam hostiam adorent, & primam precandi horam summo silentio exordiantur. Dum Sacramentum in Altari propatuloque habetur, Clerici interdiu duo ab illius custodia nunquam abscedant, quorū alter Diaconus saltem sit; noctu verò vnus, isque Sacerdos assistat, aut si id fieri, ob Clericorum paucitatem non poterit, duo è sodalitate Corporis Christi, sodalitatis ipsius amictu velati, eo munere defungantur.

*De tempore alio viris, alio Fæminis assignando, ac de ratione conueniendi.*
*Cap. 770.*

QVIBVS id negocij datum erit, ita horas partiantur, atque alios alijs succedere iubeant, vt continenter nullo tempore, ne momento quidem intermisso, nocte, dieque oretur. Illud quoque prorsus teneant, ne vllam noctis horam fœminis assignent, His diurnum modo tempus obeundum attribuatur, Ac ne interdiu quidem intrent precationis locum viri, dum in eo Mulieres preces faciunt. sed si adorare quis tum velit, id extra loci septum faciat. Conueniant autem omnes, si loci ac partitionis ratio ferat, ex eadem simul Parochia, cruce prælata, quam vno agmine sequantur. Inter eundum quoque silentium teneant, & siue singuli, siue coniunctim accedant, precatiunculas quisque suas tacitè secum recitent, aut animum interim ad precandum meditandumuè comparent. Noctu incustodita, patentiaque Ecclesiæ ostia ne sint, sed clausa, Ianitorque aliquis assistat, qui etiam singulis ad precandum venientibus, aperiat.

*De horis vicibusque mutandis. Cap. 771.*

PRÆSTITVTO cuique horæ tempore exacto, e sodalitate Corporis Christi tres, sueto sacco amicti, oreque obtecto intrent, quorum medius sublatam ligneam crucem ferat, alij cum accensis cereis latera tegant, atque omnes abiectis ante sacramentum genibus, vbi paululum immorati fuerint, voce penè flebili, & maximè ad pietatem composita, Misericordiam ter repetentes implorent; tum Prioribus abeuntibus, qui nouissimè aduenere succedant, ita tamen vt semper ante ipsi precandi initium faciant, quàm alij abeundi; vt autem preces nouam vicem ineuntiū magis intendantur, curetur vt Ecclesiasticus aliquis dicendi peritus, nobisque probatus, breuem, sed ad studium precandi, ac diuina

meditandi

meditandi accommodatum sermonem habeat, quod rectius vtique tum fiet, cùm frequentior Populi ad orationem concursus fuerit.

*De exitu orationis Quadraginta Horarum.*

*Cap. 772.*

EXACTIS demum quadraginta horis, Sacramentum pari supplicationum pompa, ambituque circumlatum, in tabernaculum loculumque suum recondatur. Cùm dimittitur Populus, quadraginta dierum indulgentiam concessu nostro adeptos omnes, pronuncietur, qui aut preces obierunt, aut supplicationes celebrarunt: Nemini autem liceat sine auctoritate nostra precationis huius tempus prorogare, diutiusque in ea Ecclesia preces celebrare, quàm præfinitum est, neque enim status hic horarum numerus Mysterio caret. Verùm si noctu id terminari tempus contigerit, licebit concessu nostro, rem ad lucem producere, si fortè nocte finiri has preces minus conducere visum fuerit.

*De oratione quadraginta horarum in Monialium Ecclesiis.*

*Cap. 773.*

SI in Ecclesia Monalium instituta quadraginta horarum oratio sit, illud primùm teneri iubemus, vt nemo in eam noctu admittatur, sed fores ex consuetudine obserentur, & sanctissimum Sacramẽtum ex Altari sublatum in ipsum tabernaculum per noctem recondatur. Moniales verò partitis inter se nocturnis horis, ne statum precationis tempus interrumpatur, a precibusque cessetur, continenter ab sua interiori Ecclesia adorent. Mane summo Sacramentum iterum proferatur, & in Altari locetur, precesque tradita ratione peragantur.

*De Eleemosinis pro cultu huius orationis quærendis.*

*Cap. 774.*

SI Ecclesia vbi futuræ preces quadraginta horarum sunt, adeo inops sit, vt ferre sumptum apparatus eius non possit, licere volumus Parocho adhibitis aliquot spectatæ religionis viris, eleemosinas eo nomine quæritare, & colligere, ex quibus eleemosinis si quid necessariæ impensæ superfuerit, id inde in vsum ornatumque sanctissimi sacramenti erogari iubemus. At non propterea vllo modo ipso precationis tẽpore stipem rogitari, aut in ipso loco peluim, quidue aliud in quod eleemosinæ conijciantur, exponi, quo veluti tacito monitore ad stipem conferendam homines inuitentur, volumus; ne vel res aliquam quæstus speciem præbeat, vel piæ precationi intensi animi vlla interpellatione auertantur. Capsulas modò si nos permittendum esse censuerimus, in ipso loci aditu proponere licebit.

## DE INDVLGENTIIS CAP. 775.

QVANTA indulgentiarum vis, quantus fructus, quantum in cęlesti illo thesauro ad salutis portum tenendum, in tot peccatorum fluctibus, tempestatibusque, quibus hominum vita assidue agitatur, subsidium fidelibus sit, Parochi, Concionatoresque quoties tempus atque occasio incidet, demonstrare, ac differere acuratè debebunt. Quò re penitus perspecta, atque cognita, populus ad eam amplectendam vsque incitetur. Nam qui terrenis diuitijs comparandis tanto studio intendimus, ad petendas ex æternis illis diuinæ gratiæ ærarijs, quos sanctissima, atque indulgentissima parens Ecclesia nobis aperit, salutares opes segnes certè esse non debemus.

*Vt se quisque ad indulgentias consequendas comparare debet.* *Cap. 776.*

VT vberrimum verumque indulgentiarum fructum fideles consequantur: hortentur eos Parochi, vt non solū ea præstent, quæ Apostolicis litteris praescribuntur, de sacra confessione, de diuinæ hostiæ perceptione, de domando inedia corpore, de cœlesti ope præcibus imploranda; sed vt alijs etiam pietatis, & charitatis officijs se se exerceant, & ante omnia se quisque vitamque suam expendat, excutiatque, ac preteritorum pœnitentia dolentur exacta, quod vitiosum esse in moribus sentiet, amputet, emendetque; eosque in posterum ad Christianæ disciplinæ rationem conformare instituat, qui vel maximus ipsarum indulgentiarum fructus erit.

*Ab Indulgentiarum sanctitate quæstus omnis remoueatur.* Cap. 777.

IGNORARE Diœcesis nostræ homines nolumus, omnes rescissas, abrogatasque esse indulgentiarum concessiones, quibus adiuncta conditio sit porrigendi manus adiutrices, stipemque & pecuniam conferendi, quamuis captiuorum redimendorum causa concessæ sint; omnis enim quæstus, & sordidæ cupiditatis suspitio a tam sancto, ac tam salutari instituto remouenda, atque detestanda est. Nos igitur huius generis indulgentias in Diœcesi nostra promulgari, indicique, aut ob id vllas eleemosinas exigi, emendicariuè interdicimus, nisi si id singilatim a sanctissimo Domino nostro concessum constiterit. Quin etiam si quid vltro a fidelibus studio pietatis collatum stipis, atque eleemosinæ fuerit, id colligi cum fide a duobus Canonicis, quos ei negocio præfecerimus, ac de eo ad nos referri præcipimus; qui totum in diuinum cultum; vt irrogetur, curabimus. Canonicos autē id munus gratis obire, & nulla prorsus operæ mercede volumus.

Nullæ

*Nullæ Indulgentiæ nisi ex auctoritate Episcopi publicentur.*
*Cap. 778.*

VT Indulgentiarum sanctum, ac salutare institutũ in Diœcesi nostra tueamur, nec quicquam praui moris in earum vsum obrepere patiamur, volumus vt omnes quicunque eas à sede Apostolica impetrauerint, ante omnia nobis, aut Vicario nostro inspiciendas, legendasque tradant; Nec cuiquam, siuè secularis, siue Regularis Ecclesiæ Rectori, siue Pij loci collegio, aut societati, necomnino vlli hominum licere, decernimus, vllas cuiusuis generis Indulgentias aliter quàm ex auctoritate nostrà, aut Vicarij nostri publicare, qui adhibitis duobus Canonicis, vt a Concilio Tridentino traditum est, tempus rationemque eas promulgandi statuemus.

*De Capsa Eleemosinarũ, & Indulgentiarum diplomate.*
*Cap. 779.*

NON solùm illam ab Indulgentijs conditionem de adiutricibus manibus, deque eleemosinis conferendis abesse, idque ob omnibus sciri volumus, sed ipsum quoque morem, quem praua quorundam cupiditas induxit, eodem loco diploma Indulgentiarum explicandi, & capsam proponendi, in quã stipes, eleemosinæque conijciantur; vt abrogemus, ne quis quæstum ex ijs vllum peti suspicari possit; statuim⁹, vt diploma vel in Maiori Altari, vel in alio ad quod statio ipsarum Indulgentiarum causa sit, exponatur, vt omnibus legere cupientibus pateat; capsa verò, si eam adhiberi nos permiserimus, longe inde alio loco statuatur; & Concionatores, & Parochi in ipsis promulgandis Indulgentijs, doceãt Populum eleemosinas minimè necessariò irrogandas consequendi causa Indulgentias esse; & eas quemque etiam sine vlla eleemosina assequi posse, si, quæ in diplomate præscripta sunt, ritè præstiterit.

DE IEIVNIO. CAP. 780.

IEIVNIVM adeo vetusta res est, vt originem ab ipsis humani generis parentibus ducere existimetur, tumque institutum, cùm eos vetuit Deus ex certæ arboris fructibus comedere; mansitq; res etiam postquam illi hostili fraude inducti, a diuinis oraculis desciuere; vnde & natura suscipi ieiunium differunt, quo cibis abstinemus, vt bona atque integra valetudine vtamur; & sensuum efferuescente vi moderato ac salubri victu coercita mens intelligentiaque vegetior, & ad cognoscendum meditandumque perspicacior sit. Nam qui intemperanter vino se epulisque onerant, horum ita animus obruitur, & veluti tenebris quibusdam offunditur, vt ne cogitare quidem de Deo, nedum erigere se se atque extollere ad diuinarum rerũ inquisitionem, contemplationemque possit; atque adeo

sæpe in ipsum inde libidinum lutum deprimatur, demergaturque. Et Diuus Augustinus ieiunium inquit purgat animam, mentem subleuat, propriam carnem spiritui subijcit, cor contritum & humiliatum efficit, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit. Hoc ipsum naturæ lege ad animæ corporisque salutem institutum ieiunium, Christus quoque Dominus vsurpauit, ac nobis exemplo suo tradidit, commendauitque. Interdum & pænitenti ieiunium a Confessore iniungitur, ac tum quidem prorsus ex eius præscripto subeundum obseruandumque est; tum enim Sacerdotis ob sacramenti maiestatem Dei ipsius vicem obtinentis, tanta auctoritas est, vt ei non parere tam nefas sit, quàm diuina iussa detrectare. Idem Ecclesiæ iure, aut ab exordio eius inducta consuetudine sancitum, imperatumque ieiunium videtur, de quo hoc loco pauca quæ sequuntur disserere visum est, vt Parochi de ijs populũ diligenter instituere possint.

### *De differentia naturalis & Ecclesiastici Ieiunij.*
### *Cap. 781.*

DIFFERT Ecclesiasticum Ieiunium a superiore, quod illud extenuat, subtrahitque corpori suetum alimentum, cibumque, ne inde languore torpeat, neuè acies ingenij minus temperatis escis, potionibusque hebescat. Hoc autem etiam tempora, cibosque definit, decernitque, quibus temperemus, idq; non ob aliam, quàm macerandi, ac domandi corporis, causam. Vt ea re sedato compressoque, quo nostri sensus exultant, motu, liberior, puriorque animus ad colendum Deũ efferatur. Illud præterea tam diu ieiunium est, quam diu abstinetur a cibo. Hoc etiam sumpto semel cibo ieiunium manet. In illo post abstinentiam nihil refert si largius epuleris, & pluries. In hoc depulsa semel fame, ac refecto non vetitis cibis corpore, edere ea die amplius non licet, nisi forte aut sedandæ sitis, aut conciliandi somni, aut consulendi causa valetudini, necessum esse videatur.

### *De ratione seruandi Ieiunij.* *Cap. 782.*

DOCEANT Parochi populũ quibus diebus, Ecclesiæ ritu, instituta ieiunia sunt; ijs primum omni carnis genere, deinde omnibus quæ a carne gignuntur, ouis, butyro, caseo, lacte, lactarijs, lacticinijsque necessariò esse abstinendum: postremò non dies modò, sed dierum tmpora seruanda, vt non nisi semel, & post meridiem cibus capiatur; moneant præterea non esse in ieiunio cõuiuandum, non exquisitis, atque exquisitè conditis epulis mensas onerandas, sed omni luxu, omnib⁹ illecebris, omnibus lenocinijs gulæ reiectis, moderato ac simplici victu sustentandum potius corpus, quàm pascendum, explendũque. Neque illud docere, ac diligenter monere omiserint, qui ex consuetudine non sanè probanda sibi sumunt, vt vesperi quoque, aut vini aliquid, aut cibi adijciant

prandio

prandio, eos id facere nisi necessitate, ac medicinæ causa non debere; ac si vtiq; necessitate adiguntur, parcè admodum, ac tenuiter illis faciendum esse; aut sic habendum, ieiunij legibus ab ijs satis non fieri, & mortiferi peccati crimine teneri.

*De Ieiunio Adolescentium ac senum. Cap. 783.*

ADOLESCENTIBVS qui vigesimum primũ annũ non excesserunt, indulgenda ieiuniorum videtur esse immunitas, nonquia horum minus frenãdæ voluptates sint, minusque peccatorum illecebræ præcidendæ, aut omnino minus appetitus rationi subijciendi; sed quia ad constituendas, roborandasque corporis vires largius, pleniusque crescenti illi ætati alimentum deberi videatur. Contraria ratione senes, qui ad Septuagesimum annum peruenerunt, ieiunij lege solui creduntur, propterea quòd eorum vires attritæ, ac debilitatæ annis, sæpius cibo recreandæ sint; & eo cibo qui facilè concoqui, & nutrire plurimum existimetur. Quamquam si ea firmitas corporis, virtumque sit, quæ ferre ieiunium posse videatur, nulla ætas à lege eximitur. Quod tamen & sua religione quisque, & Confessoris consilio moderabitur.

*Quibus Ieiunij venia facilius datur. Cap. 784.*

PRÆTER senes, & adolescentes sunt quoque alij, qui Ieiunij lege non penitus astringi videntur, aut quibus legis venia facilius datur. Vt ægrotantes, vel tenui, ac minus bona valetudine vtentes. Fœminæ lactantes, prægnantesque. Opifices quorum opera maiori corporis, quàm ingenij labore cõficiuntur. Peregrinantes, Aratores, Agricolæque, & rusticæ Operæ, & egentes, quibus necessaria ad victum non suppetunt. Horum tamen omnium neminem hanc sibi sumere licentiam, neminem suo vti iudicio debere; Parochi docebunt, cùm res ad boni viri arbitrium referenda sit. Itaque vnusquisque maximè de sententia, atque consilio sui confessoris, quid sibi faciendũ sit, statuat.

*De temporibus Ieiunij ab Ecclesia statutis. Cap. 785.*

IEIVNII tempora ab Ecclesia statuta hæc sunt. Dies Quadragesimæ omnes, præter Dominicos. Quatuor anni tempora, quorum primum initur appetente verè, quarta feria post primam Dominicam Quadragesimæ; secundum appetente æstate post Pentecosten; Tertium ineunte autumno post exaltationem Sanctæ Crucis; Postremum hieme quarta feria, quæ sequitur festum diem sanctæ Luciæ. Vigiliarum præterea dies, scilicet pridie Natalis Domini, prid. Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, pridie Omnium Sanctorum, prid. Natalis S. Io. Baptistæ, prid. S. Laurentij, pridie eorum dierum omnium, qui festi sanctis

Apoſtolis ſunt, e quorum tamen numero Philippi, Iacobi, Ioannis Euangeliſtæ feſti dies eximuntur; propterea quod in Paſcale tempus, & in octauam Natalis Chriſti incidunt, quibus temporibus nulla ieiunia celebrantur. His additur triduum Rogationum, vbi conſuetudo tenuit.

*De Quadrageſimæ Ieiunio ac de Ieiunij fructu.*
*Cap.* 786.

INSTRVANT quidem ſuos Parochi in ſanctæ abſtinentię diſciplina, & in Quadrageſima condie doceant eadem omnes ieiunij lege obſtringi; etiam ſolemnibus, ac feſtis diebus, prætetquam Dominicis, quibus tantùm carne, ouis, lacticinijs veſci prohibemur. At parum in eo poſitum eſſe demonſtrent, vt vetitis cibis temperetur, & traditæ abſtinentiæ lege viuatur, niſi par curâ inceſſat, vt (quod Eccleſia mater Deum orat) quàm cato ab alimentis abſtinet, tùm mẽs à culpa ieiunet. Quid enim vini, cibique temperantia proſit, dies per ludum, & aleam, noctes per libidinem traducenti? Quid iniquo fœnore incautos egenteſque circumuenienti euertentiqui? Quid furanti? Quid omnibus procaci lingua obtrectanti, & omnium famam liuido ore carpenti lædentique? Ergo aſſidue Parochi ſuos excitent, hortenturque, vt non ſolùm ieiunium abſtinenter colant, ſed fructum, cuius cauſa inſtitutum ieiunium eſt, percipiant; corpus, ſubductis alimentis, domitum animo tradant; appetitum rationi ſubijciant, malas cupidines premant, religionem amplectantur, pietatis ſtudijs, ac diuinarum rerũ officijs ſe dedant, egentibus largè, ac munificè ſubueniant, ægros inuiſant, carceribus incluſos, quibus poſſunt rebus iuuent.

*Quædam per Quadrageſimam obſeruanda.* *Cap.* 787.

OMNES quicunque, aut morbo, aut alio iure non eximuntur, Quadrageſimæ ieiunia ſeruent, ac cibis vetitis veſci nemo audeat, niſi qui à nobis, aut ab eo, cui nos id negotij dedetimus, ſcriptam eius rei facultatem impetrauerit; quam ad rem Medici, & Confeſſoris ſui teſtimonio iuuetur. Vetiti cibi ad ægrotantium, atque imbecillium vſum ne paſſim, ſed certis locis, neuè publicè expoſiti, ſed intra officinam vendantur; officinæque ipſius ianuæ ne vtrinque, ſed vna tantùm parte pateſcant; non omnibus, ſed quibus permiſſum à nobis erit, nec omne genus carnis, ſed tantùm quod ægris vſui ſit, vendere liceat; item non niſi quibus emendi facultas facta à nobis ſit, ſcriptumque protulerint, vendant, nec facultas diutius duret, quàm cauſa, quam ob rem data fuerit. Caupones, alijque, qui hoſpitio peregrinos mercede accipiunt, nihil hoſpitibus vetitum coquant, apponantque, ac ne alibi quidem coctum apud ſe edi patiantur. Quod noſtræ Ciuitatis conſuetudinis eſt, prorſus retineatur, vt mane dum concio habetur, nemo opificum tabernam offi-

officinamuè suam patentem habeat. Quicunque contra fecerit, pœnis, mulctis, censuris à nobis afficietur, quas aduersus Quadragesimæ violatores sacri Canones, & Pontificum maximorum iura statuunt; quasque ipsi, culpæ, contumaciæque, ac personarum ratione ducta, meritos iudicauerimus.

*Quibus rebus in Quadragesima studendum, à quibus abstinendum.*
*Cap.* 788.

QVÆ superiori decreto præcepimus, ea seruari vtique iubemus. Sed Parochi præterea suos diligenti studio hortabuntur, vt memores eximiæ religionis, ac pietatis, qua olim Quadragesimæ dies plenos salutis nostræ mysterijs colere in more fuit, eundem ipsi morem pari sanctitatis studio referre conentur. Ac primò quidem sibi quisq; arctiorem quandam vitæ disciplinam indicat; vt quod tempus sancta mater Ecclesia recolendæ Iesu Christi Domini Nostri Passioni, immanibusque cruciatibus, quos pro nostra libertate, ac salute pertulit, animo repetendis, statuit; eo fideles pristinam viuendi licentiam cohibeant; rerum humanarum curas, quibus ferè mens nostra inuoluitur, tandem aliquando abijciant, aut saltem remittant; & dignas sacris diebus cogitationes exercitationesque suscipiant. Odia, inimicitias, simultates; exuant, pacemque, & caritatem colant & eo pœnitentiæ, atque religionis studio, diuina adiuuante gratia progredi contendant, vt non solùm vini, cibique tenuitate sensuum efferentem se vim frangant, comprimantque; sed vltro se loris ex sanctorum disciplina cædendo; membra pietatis causa non mollibus stratis, sed humi abijciendo, cilicijs corpus vinciendo, quod à laycis quoque hominibus factitatum accepimus, coerceant. Coniuges sanctæ continentiæ studio concordi consilio per sacrum illud tempus diuidant lectum, aut festis saltem diebus secubent, & pariter pietatis officijs intendant. Vnusquisque in Deo placando, orandoque, & in suis alienisque peccatis, quibus sanctum eius numen cotidie læditur, reminiscendis, deflendisque quam plurimum temporis impendat; eleemosinas pro suis omnes facultatibus largius, benigniusque erogent; Ecclesiam diuinaque officia solito frequentius celebrent; diuino sacrificio cotidie religiosè intersint; neque vlla occupatione ab illo se officio abduci patiantur; sacram item concionem cotidie obeant, studeantque ab illis doctorũ ac disertorũ hominũ, de diuinis rebus deq; christianæ disciplinæ ratione sermonibus, disputationibusq;, instructiores semper emendatioresq; discedere; sanctam sibi quisq; consuetudinem faciat singulis Dominicis diebus diuinam Eucharistiam sumendi, animo prius Pœnitentiæ Sacramento expiato: Qui valetudine à ieiunij religione excluduntur, id ipsum vt Sanctus Augustinus monet, & dolenti animo ferant, & ne quem suo exẽplo ad violandam Ieiunij legem prouocent, cibum seorsum capiant; Pretiosas vestes diuitesque ornatus, gemmas margaritasque deponant; & humilem,

aũt certè à pœnitentiæ ac Ieiunij tempore non alienum amictum vestitumque induãt. Iocis omnes, hilaritatibus, iucundis cætibus, cõgressibusque, ac scurrilibus dictis abstineant. Venationes quoque aucupiaque intermittant, cùm ne vesci quidem ferarum, aut auium capturis tum liceat. Piscium aliorumq; eius temporis cibariorum exquisitas conditiones, delitiasque ne sectentur; neuè mul tiplici epularum apparatu, quod à ieiunij ratione abhorret, mensas instruant, conuiuia, etiam Dominicis diebus, prorsus intermittant.

*De veteri Parochorum more instante Quadragesima.*
*Cap. 789.*

QVOD veteris in Catholica Ecclesia instituti morisque fuit, id referre Parochi nostri studeant, vt instante Quadragesima, illis ipsis diebus, qui eius initium antecedunt, populum Parochiæ quisque suæ conuocent, & graui ac pia oratione acuratè cum eo agant de reconcilianda inter infensos, ac dissidentes gratia, discordiarumque, ac dissensionum seminibus penitus tollendis; cõcubinarios, eosq; qui flagitiosi huius criminis sibi conscij sunt, etiã atq; etiam moneant, vt ab eà turpitudine animũ recipiant; quæque nos ea de re statuimus ex scripto in vulgarem linguam conuerso, legant, interpretentur, diligenterque explicent, & ab illa fœditate, erroreque in semitam iustitiæ, & in viam salutis reducere conentur. De pudore, castitate, humanitate, & in egenos benignitate, reliquisque christianis virtutibus populum commonefaciãt, item de vitijs, flagitijsque, ac malorum dæmonũ dolis, quibus assiduè nos circumuenire student. Ac postremò de fornicatione, immunditia, luxuria, veneficijs, inimicitijs, contentionibus, æmulationibus, ira, rixa, dissensionibus, sectis, inuidia, ebrietatibus, comessationibus, quæ ab Apostolo recensentur vitandis differentes, præparare animos ad sacros illos dies sanctè, ac religiosè peragendos, studeant.

*De Ieiunijs in dies festos incidentibus.*
*Cap. 790.*

TANTA abstinentiæ sanctitas est, vt à Ieiunij lege nullus dies festus, ne solemnis quidẽ præter Dominicos, eximatur. Quàm obrem neque Quadragesima, neque alijs anni temporibus ieiunium quia in festum incidat diem, omittere licet, aut in alium transferre, sed eodem prorsus ipso die præstandum celebrandumque est, præterquam si in diem Dominicum incidat, tum enim præuertitur dies, sabbatoque ieiunium repræsentatur.

De

*De Quatuor temporibus.* *Cap.* 791.

CVRÆ Parochis sit cum de alijs Ieiunij diebus, tum de quatuor anni temporibus populum præmonere, atque etiam habita concione erudire, atq; instruere, vt quod diuini ſpiritus instinctu ſuſceptum eſt, id ab omnibus ſanctè colatur; non inedia ſolùm, atque vetitorum ciborum abſtinentia, ſed maiori quodam religionis, & pietatis ſtudio; ſcilicet vt quiſque ſolito frequentius ad Eccleſiam adeat, diuinorum officiorum tempora obeat, mane quin ſanctiſſimo ſacrificio interſit non prætermittat, pauperum egeſtati, pro ſuis facultatibus liberalius ſubueniat, pijs precationibus intentius inſtet; quibus & pro ijs oret, qui eo tempore ſacris initiandi erunt, & pro commodis, quę vertente anno diuina benignitate aſſequimur, eorum datori Deo gratias agat.

## DE SACRAMENTALIBVS AC DE OLEIS SACRIS RENOVANDIS VETERIBVSQVE NON ADHIBENDIS.

CAP. 792.

MANET in Catholica Eccleſia mos ab vſque Apoſtolorũ ductus temporibus, quotannis in die cęnæ Domini noua olea Chriſmatis, Cathecumenorum, & Infirmorum conſecrandi, veteraque comburendi; vt quemadmodum illius diei memoria, quo Chriſtus Dominus diſcipulorum ſuorum ablutis pedibus, chriſma conficere nos docuit, ab Eccleſia colitur, ac ſingulis annis exemplo refertur; ita olea ipſa renouentur, nouaque ſemper eadem die conſecrentur, veteraque in lampadem ante ſanctiſſimum Sacramentum ardentem effuſa, comburantur. Caueant ergo Parochi, ne nouis conſecratis oleis, vetera amplius, niſi ſumma neceſſitas, & inſtans mortis periculum cogeret, adhibeant; nam ſi ſecus fecerint, imminuti, violatique vetuſtiſſimi ſanctæ matris Eccleſiæ inſtituti graues ab ijs pęnas repetemus.

*De nouis Oleis quotannis e Cathedrali Eccleſiæ petendis.*

*Cap.* 793.

PAROCHI ad olea ſacra accipienda quotannis ipſimet ad Cathedralem Eccleſiam veniant, aut ſi ipſi iuſtè impediantur, non alium, quàm Sacerdotem, aut certè ſacris ordinibus initiatum mittant; aboleaturque praua conſuetudo minores Clericos, atq; adeo pueros, atque interdum etiam laycos mittendi. Quin Sacerdotem ea ferentem cotta indutum eſſe ſanè decet, aut certè cum Parochiali Eccleſiæ ſuæ appropinquat, debere videtur etiam prælata Cruce luminibuſq; olea Eccleſiæ, loculiſque ſuis inferre. Ab aliena autem Cathedrali petere ne audeat. Caueant verò omnes ne quod improba cupiditas induxit,

cùm ad noua accipienda olea veniunt, quicquam cuiquam dono afferant. Caueant item Sacristę, alijq; ne quid eius rei causa accipiant. Quod si factum fuisse nobis compertum fuerit, pari vtrosque pęna afficiemus. Sed multo in eos seuerius animaduertemus, qui sacra olea, quæ à Cathedrali Ecclesia abstulerint, ipsi accepto pretio, alteri tradiderint, aut pro ijs administrádis quicquam exegerint, acceperintuè.

*De Vasculis quibus afferuntur seruanturque sacra olea.*
*Cap. 794.*

SACRORVM oleorum Vascula singulæ Parochiales Ecclesiæ duplicia habeant. Quorum alijs olea asseruentur, alia quæ vacua fuerint, abluta prius, diligenterque detersa, ad Cathedralem Ecclesiam die cœnæ Domini recipiendi causa noua olea recens consecrata, mittantur; quę cùm relata fuerint, tum statim vetera olea Parochus in lampadem, quę ante sanctissimá Eucharistiam collucet, comburenda effundat; veteri quoque bombice, oleo imbuto, in sacrario exusto; vasaque vnde vetus oleum effudit, æque diligenter abstersa in Sacristia asseruet, quę sequenti anno itidem noua olea allatum mittat. Videndum verò est, hęc vasa vitrea, fictiliauè ne sint, ne casu aliquo fracta, consecrata olea, quod sine piaculo non fieret, effundant; sed argentea, aut si hoc Ecclesiarum inopia nō patiatur, stannea vtique fiant. Terna autem esse debeat, tribus separatim oleis accipiendis. Forma ampullari sint, magna pro populi numero cuius vsui paratur. Singulorum Vasculorum os bombice obturetur, ac deinde suo quodq; operculo obtegatur. opercula eodem è stamno Vasculis fibula iungantur, vt tolli quidem ac demitti possint, auferri, amouerique non possint. Vnumquodq; autem olei nomen, quod continet, inscriptum habeat literulis maiusculis, scilicet CHR: CATH. INF. in ijs inde deligendis ne erretur Capsula, in tres distincta loculos, ferantur seruenturque. Ea lignea sit, corioque extrinsecus conuestiatur, intrinsecus serico; operculum eius non planum, sed non nihil eminens sit, & fornicatum. Seram habeat, clauemque, qua oleis acceptis aptè claudatur. Clauisq; apud parochum asseruetur.

*De Vasculis vnde olea ministrantur.*
*Cap. 795.*

ATQVE hæc, quæ descripsimus Vascula petendis è Cathedrali Ecclesia, seruandisque sacris oleis sunt. Comparari pręterea tria alia Vascula debent, argentea item aut stamnea, quę sacris ministrandis oleis adhibeantur. In his non fluens oleum, ne quid tractando effundatur, aut ne qua stillet, habetur, sed totum quod infusum est haurit, atque imbibit inditus bombix. Hęc esse minora debent; forma, non vt superiora ampullari, & turgida, sed ęquali, ac rotunda, & parui Tubi instar, apta Pollici,

lici, qui cùm est vsus Vasculo inseritur; pressoque leuiter bombice, delibutus vnctioni admouetur. Horum quoque opercula vasculis ipsis fibula nectantur, parique ratione inscripta cuiusque olei nomina habeant. Vascula, in quibus chrismatis & cathecumenorum olea sunt, licebit coniuncta habere; extremæ autem vnctionis, aut Infirmorum vas, separandum vtique erit, propriaque in Pixide asseruandum. Cùm deferendum ad ęgrotos erit, sericum in sacculum violacei coloris conijciatur; quemadmodum a nobis in Sacramẽto extremæ vnctionis præscriptum est.

*De Vasibus in quibus olea consecrantur.* *Cap. 796.*

CONFICIENDIS, consecrandisque oleis in Cathedrali Ecclesia tria comparentur vasa, eaque argento, quod Ecclesiæ & rei dignitas postular, non stamno fiant. Magnitudo eorum cum Parochialium & Diœcesis ratione conueniat; forma ampullari sint, turgido, ac tumenti ventre, opere sphęrico. Cuius superior pars in collum sensim tenuetur; collum hianti, ac patulo ore finiatur. Idque eminenti, & concamerato operculo, quod fibula ipsi nexum sit vasculo, aptè obtegatur; in eiusque fastigio paruula crux emicet. Ventris pars inferior in pedem desinat, qui primò angustior; mox tam latè in orbem pateat, vt ipsum vas tutò ac firmè consistat. Singula geminis vtrinque ansis concinnè, politeque contortis, contineantur. Totumque opus lene sit, ac nulla cælatura asperatum. In medio ventre auratis litteris grandiusculis singula conscriptum cuiusque olei nomen habeant.

*De loco vbi sacra olea asseruantur.* *Cap. 797.*

MAGNA cura custodiaque, & magna honoris specie sacra olea asseruari in Ecclesia debent. In pariete circa summum Altare, aut alio decenti commodoque Ecclesiæ loco, fenestella, armariolumuè aperiatur, qui foris marmore ornetur, muniaturque, marmor ipsum auro distinguatur, si Ecclesiæ id facultates patientur. Valuulis item concinnè fabricatis, sera, clauique concludatur. Clauem Parochus penes se habeat, nunquam eo loco relinquat, vnde se inscio, inconsultoque auferri possit; ac ne credat quidem cuiquam nisi cuius fidẽ spectatam habeat; ne quis olei aliquid maleficij causa surripere possit; idem de Tabernaculi, idem de Baptismalis fontis claui præcipimus. Armariolum ipsum intus non dealbetur solùm, sed etiam serico, aut certè panno decenter circumuestiatur. In tabernaculo ipso vbi sanctissima Eucharistia asseruatur, vllum sacrum oleum, aut omnino quicquam recondi nullo modo placet.

De

*De oleo sacro deficiente.* *Cap.* 798.

SI fortè inter annum sacrum oleum deficeret, Parochusque tempore, ab eo aliunde petendo excluderetur, licebit non consecratum oleum consecrato addere, dummodo id guttatim fiat, & pars minor maiori addatur, oleumque non alterius generis, quàm eius quod ex olearum baccis exprimitur, sit; neque enim aliter iusta Sacramenti materia fieret; ac sic quidem vterque commixtus liquor non sacer a sacro vim accipiet.

*De velis Vasorum.* *Cap.* 799.

IN consecrandis die cęnæ Domini oleis quædã adhibentur vela, quibus vnumquodque vas contegitur. Ea haud cubito breuiora esse debent, haud angustiora, quàm quantum ipsum patet velum. E serico quidem sint omnia, sed quo Vas chrismatis operitur, albus color sit, quibus reliqua, ruber.

*De Rituum libris.* *Cap.* 800.

QVO Ecclesiæ nostræ ritus in omnibus rebus cum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritibus, quæ princeps, magistra, & mater Ecclesiarum omnium est, consentiant; Parochis, sacerdotibusque Diœcesis nostræ præcipimus, vt non alios quàm ab ipsa editos Romana Ecclesia Rituales libros, sacerdotalesq; adhibeãt, reliquos ab ea discrepantes infra mensem omnes amoueri prorsus mandamus.

*De festo die Purificationis.* *Cap.* 801.

QVARTO Non. Feb. festus dies agitur Purificationis Beatæ Mariæ Virginis: Ea die magnus candelarum numerus è pura candidaque cera, certo ritu, certisque precationibus benedicuntur; & populo singulæ singulis dispartiuntur. Quæ res cum plena mysteriorum sit, & salutares habeat vtilitates, Parochi studiosè Populum de tota sancti instituti ratione edocere studebunt, vt religiosè ab omnibus suscipiantur, habeanturque. Et potissimum quò ipsa benedictionis cerimonia, precatióque referatur edisserat; vt silicet candelæ ipsæ nobis ad sanitatem animæ, corporisque tuendam, terra, marique prosint, vt quibuscunque locis illæ accendentur, inde mali Dęmones, & quicquid Dęmonum efficere, ac machinari artes possunt, auertatur, expellaturque, vt quęadmodum ardentium ipsarum candelarum lumine tenebræ discutiuntur, ita fidelium mentes diuini spiritus splendore illustrentur, & ex ijs vitiorum nox atque caligo dispellatur, ac dissipetur; vt quæ saluti suę vtilia, quæque Deo grata sint & perspiciant, & exequantur; & pariter cum fidei lumine caritatis ignis in eorum animis

animis accendatur, cuius ardore ad æternum cœlestis vitæ ignem prouehamur. Quod quisque cùm ad illas suscipiendas candelas accedit, vt sibi Christus Dominus meritis, ac precibus sanctissimæ eius genitricis exoratus concedat, supplici oratione precari debet. Volumus autem candelas ipsas non alibi, quàm in Ecclesia nec alijs, quàm qui ad eas accipiendas in Ecclesiam, conuenerint, distribui; omnesque qui acceperunt, cum ijs accensis processionem obire iubemus. Absentibus mitti, domumque ad vllum laycorum deferri vetamus.

*De die Cinerum.* *Cap.* 802.

FERIA quarta, quæ Dominicam quinquagesimæ consequitur, primus est ineuntis quadragesimæ dies; & cinerũ ex eo dicitur, quod vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ ritu, fidelibus ad Sacerdotis genua accedentibus singulis caput cinere aspergitur; ac meminisse quisquè iubetur, conflatum se coagmentatumq; e puluere esse, & breui in eandem puluerem resolutum iri. Qua quidem re conditionis nostræ eo potissimum tempore admonemur, cùm ad præteritorum pœnitentiam conuertendus, excitandusque est animus. Parochus igitur die Dominico qui hanc cinerum diem antecedit, populum suum doceat, quæ Deum Sancta Ecclesia in illis benedicendis cineribus precetur, scilicet vt ijs aspersi christianę humilitati animum summittant, vt peccatorum suorum pœnitentia, doloreque vrantur, ad eamque peragendam vt valetudo viresque suppetant, vt diuina ope a perenni salutis nostræ inimico protegamur, vt quæ voluntati eius consentanea sint à Deo petentes impetremus, vt in rectè faciendi voluntate constanter perseueremus. Has sanctæ Matris Ecclesiæ preces, vt quisque suis quoque supplicibus precibus prosequatur, Parochi diligenter fideles hortabuntur. Atque hæc omnia cum alibi explicari mysteria, tum præcipua cerimonia in cathedrali Ecclesia peragi iubemus.

*De die Palmarum.* *Cap.* 803.

DIE Dominica, quæ celebritatem Paschæ antecedit, mos est in Catholica Ecclesia antiquissimis acceptus temporibus, vt Palmarum, aut Olearum rami solemni prece, rituque benedicti, Clericis populoque distribuantur, & inde omnes simul ramos ipsos manu gestantes, supplicatum circa templi septa eant, ad repræsentandam pompæ speciem, qua Dominus noster vrbem Ierosolimã ea die iniuit; qua quidem pompa, quem mox de morte ducturus erat, triumphus significabatur; cuius significationis, actionisque mysteria, vt qua oportet religione ac frequentia a populo celebrētur, ea Parochi diligenter, atque acuratè explicabunt; & præterea quæ Sancta Mater Ecclesia Deum in illa olearum benedictione oret, demonstrabunt, scilicet vt nobis ad diuinam opem, gratiamque implorandam, robur animi, corporisque detur. & sicuti viridantem arborē manu

ferimus,

ferimus, ita actiones, vita, moresque nostri, iustitia, atque sanctitate virescant: & ita nos aduentanti Deo sanctis pietatis officijs occuramus, perque eius vestigia ad cęlum contendamus, vt Hæbreorum multitudo Domino Ierosolimam intranti, cum ijsdem ramis frondibusque obuiam prodijt. Et quemadmodum Dominus mortis, crucisque supplicijs, quæ vltro pro nostra salute subijt, salutare nobis de Dęmone perenni hoste nostro triumphum tulit; ita nos eius benignitatis, clementiæ, beneficij magnitudinem, & pulcherrimum, & plenum misericordiæ factum, nobiscum assiduè reuoluentes, ad pugnam, victoriamque de eodem Dęmone, de mundo, de carne parandam, animemur, atque incitemur. Postremò vt illi ipsi olearum rami in quemcumque locum inferentur, ei benedictionē Domini afferant, eiusque numine noxia omnia auertant.

*De accessu ad cineres, Candelas, Palmas suscipiendas.*
*Cap.* 804.

CVM Cineres, Candelæ, Palmæ, distribuuntur; adeo tumultuosè multitudo consurgere, & commoueri plerumque solet, dum quisque anteire, & præuertere alios insano studio pręoptat, vt sæpe vndantis atque irruentis turbæ impressiones sust ineri, aut certè propulsari, ac summoueri vix, aut ne vix quidem possint. Multa ex præpropera illa festinatione, & incondito motu, aliena a tam religiosæ actionis grauitate accidunt, multa indecorè fiunt. Cui nos rei vt occuramus, precipimus vt ordine omnes, ac suo quisque loco modestè, atque pia mysterij cogitatione affecto animo adeāt quando anteuertendi conatus, nullum operæ prætium habet, & tam primi, quam postremi idem consecuturi acceptu rique sunt. Quod si qui extra ordinem immodestius, petulantiusque se inferre, & alios detrudere, & præripere locum audeant, eos a Ministris prorsus eijci, repellique iubemus; neque enim sacro illo munere donari merentur, qui ad illud accipiendum, non religiosè accedere, sed audacter irrumpere velle videntur.

*De Aqua Benedicta.* *Cap.* 805.

AQVA benedicta, qua se fideles Ecclesiam ingredientes leuiter de more aspergere consueuerunt, singulis diebus dominicis renouetur. Vasque ipsum in quo asseruatur, expurgetur, extergaturque. Ac Sacerdos priusquam diuinum sacrificium inchoet, Cotta indutus, ac stola collo iniecta, aquam sale conspergat, ac solemnibus precationibus, rituque benedicat, eaque benedictione peracta Altare adeat, & diuinæ rei operetur.

*De Vase Aquæ Benedictæ.* *Cap.* 806.

IN singulis Ecclesijs vas sit, in quo aqua benedicta asseruetur. Id non foris ante valuas, sed intra Ecclesiam dextra in parte collocetur, sic vt intrantibus, aptum in conspectuque sit. Fiat e solido lapide, & vbi potest, marmoreum. Columellæ, scapoue concinnè ac decenter insculpto imponatur. Aliud item eadem forma ad leuam è quo mulieres hauriant, statuatur. Neutrum parieti inhæreat, sed ab eo quantum ratio poscere videbitur, remoueatur; labro Aspergillũ ferrea catenula illigetur, siue ex auricalco, siue e ferro politè elaboratum, cuius summæ parui parti setarũ manipuli transuersi infigantur, potius quàm spongia.

*De sanctæ Crucis insigni.* *Cap.* 807.

CRVCIS imago quemadmodum vnicum est, & clarissimum nominis, ac disciplinæ christianæ insigne, & inuictum nostræ militię vexillum, ita faciendum nobis videtur, vt omnibus in locis statutum habeamus. In templis, in domibus, in foris, in vijs, in parietibus, in vestibulis, in vrbe, in agris, passim conspiciatur, vt nusquam se oculi vertant, quin gloriosum hoc in tropheum cęlestis victoriæ, atque in hoc diuinæ misericordiæ, & humanæ saluris monumentum, incurrant, atque vt quem animis infixum gerimus, hunc etiam fulgentissimo hoc signo profiteamur Christum crucifixum. Neque enim postremum est diuinæ potentiæ argumentum, vertisse in gloriæ, atque dignitatis insigne, quod ignominiæ ante atque supplicio sontibus fuit. Dent igitur omnes, & maximè Ecclesiarum Rectores operam, vt frequentissimo quoque in loco Crux, seu lapidea, seu marmorea, seu lignea statuatur, erigaturque; quam & venerentur fideles, & eius aspectu admoneantur mysterij in ea peracti; & illud secum ipsi grata, piaque memoria prosequantur.

*De Cereis Agnis.* *Cap.* 808.

VETVS Pontificibus Maximis mos est, agnorum imagines, pura candidaque in cera formis impressas, solemni ritu, multaque; ac religiosa cerimonia, sabbato in Albis primo Pōtificatus sui anno, ac septimo quoque deinceps consecrare. Quam ad rem cùm pias in primis precationes adhibeant, multaque fidelibus sanctè exposcant, eo credibilius est illas a Deo preces exaudiri, quòd ab illis funduntur, quos Deus ipse suæ potestatis Vicarios, suę voluntatis interpretes, suæ Ecclesiæ rectores constituit. Cereæ igitur illæ imagines, & religiosè petendæ sunt, & ad eos adhibendæ vsus, ad quos ipsæ sacræ preces ex Ecclesiæ instituto referuntur.

*De Mensæ benedictione.* *Cap.* 812.

NON Ecclesiasticos modò homines, sed etiã seculares magnopere in Domino hortamur, vt capturi cibum, non ante discumbant, quàm mensæ, quod sanctum cuiusque benemoratæ familiæ, & christianæ disciplinæ institutũ postulat, de more benedictum sit. Vbi autem plures Clerici præsentes adsint, ille semper benedicendi munus subeat, qui cęteros ordinis gradu præstabit; nec vero quod à quibusdam perperam factitari intelleximus, iuniori Clerico id officiũ delegetur.

*De renouando veteri instituto ædes benedicendi.* *Cap.* 813.

MOS veteribus fuit, priuatorum ædibus, aut nuper ædificatis benedicere, beneque precari, aut malorum dæmonum terroribus infestas expiare, procurareque. Qui mos quia, vt pleraque desuetudine iam obsoleuit, nos restitui in Diœcesi nostra sanè cupimus; & fideles magnopere adhortamur, vt religiosi instituti consuetudinem haud cunctanter repetant; & Parochis animarumque curatoribus præcipimus, vt exigẽtibus id ab se munus promptè, ac libenter operam nauent. Et cùm ipsi in benedicendo Romani Sacerdotalis ritum teneant, sancteq; obseruent, atq; obeant omnia; tum ædificij Dominus spiritualia inde commoda percipere studeat.

*Quædam Sacerdoti ædibus benedicturo seruanda.* *Cap.* 814.

SACERDOS ad religiosum officium benedicendi ædes veteri more, egressurus, si facere commodè poterit, rei diuinæ prius operetur, in eaque spiritus sancti precationẽ huius rei causa extra ordinem recitet, & ad ipsas ædes Cotta, stolaque indutus adeat, nec quamdiu in benedicendi munere versabitur, deponat. Clerici, vbi eorum copia sit, tres saltem ei adsint, quorum alius Crucem præferat, alius Vasculum aquæ benedictæ, & aspergillum, tertius Thuribulum, Acerramque, & Cocleare ferat. Sacerdotes autem alij Clericique, si aderunt, suo quisque loco, bini in Cottis ordine procedant. At domui nulli, in qua excommunicatus habitet, benedictionem impartiatur; nulli quã fœneratores, meretrices, manifestique alij peccatores, & criminosi homines incolant; nulli denique, quæ aleæ, ludisque alijs vetitis publicè exposita sit. Interdicimus autem tam Sacerdoti ipsi quàm cœteris Clericis, qui ei benedicẽti operam dederint, ne quid vel minimum, huius officij causa, aut ipsi petant, exigantque, aut vltro oblatum, donoque datum accipiant; neq; enim quod religionis, & pij cuiusdam studij causa est institutum, ad cupiditatem inde, quæstumq; verti vllo modo volumus.

*De officio Patrisfamilias in suæ domus benedictione.* *Cap.* 815.

AT pius Paterfamilias, qui suę domui benedici expetierit, magna cura cum suum, suorumq; animum, ad rem sanctè celebrandam, tum domum quoque ipsam studiosè præparare debebit. Primùm omnia amoueri, auferrique iubebit, quæcunq; à Christianæ familiæ disciplina, institutisque aliena sint; Tesseras, aleas, aleatoriasque tabellas, pictasque ad aleæ ludum pagellas, procul omnes abijciet; imagines, tabulas, signa turpia, prophanaque; libros de obscenis rebus, carminaq; impudicos amores canentia, quibus mirè adolescentium animi corrumpuntur, non amouendos solùm, sed protinus inflammandos curabit; atque eorum loco libros vnde religiosa vitæ præcepta hauriri possint, reponet; & Christi Domini, & Sanctissimæ Virginis genitricis, sanctorumque aliorum imagines, vbique tota domo aptè disponet. Deindè Sacerdoti ad peragendam benedictionem aduenienti, cum tota familia ad primum ædium aditum obuiam procedet, cumque singula lustrantem religioso officio prosequetur.

## DE EXORCISMIS NON NISI PERMISSV NOSTRO EXEQVENDIS. CAP. 816.

ACCIPIVNT quidem Exorcistæ, cùm in eum ordinem cooptantur, facultatem eijciendi ab Energumenis infestos corporibus spiritus, & huius rei causa exorcismos e libris recitandi: Verùm vt res, quæ humanæ naturæ vires supergreditur, non nisi quo oportet ritu, ac religione tractetur, tam Exorcistis ipsis, quàm Sacerdotibus omnibus etiam regularibus interdicimus, ne quis iniussu nostro, aut adeo nisi scriptam facultatem eius rei a nobis acceperit, manus Energumeno vlli admouere audeat. Volumus enim ante cuiusque ætatem, moresque probare, quàm grauissimi muneris partes obire quemquam patiamur.

*Sacerdos vt se ad exorcismos comparare debet.* *Cap.* 817.

TAmetsi etiam improborum interdum opera, ad aliorũ salutem Deus, pro sua benignitate, vtatur; tamen qui ad id aggreditur, quod nullo humani ingenij nisu conatuque, sed tantùm diuina vi, atq; numine perfici potest; is profectò comparare se ita debet, vt eius a Deo officium, famulatusq; ne repudietur. Pridie quàm exorcizaturus sit, ieiunio corpus domet, & multa piaque prece mẽtem erigat, ac secum reputet esse dæmoniorum genus, quod nisi ieiunio, & oratione non eijcitur. Non prius rem incipiat, quàm diuino sacrificio Deum sibi propitiauerit; atq; eius opem clementiamq; demisse humiliterque implorauerit; ante omnia animus ab omni peccatorum vestigio, labeque expiatus immota fide consistat; qua labante, & ipsum cadere, & incassum eius omnem laborem euadere necesse erit. Hac præparatione adhibita, ipsum quoque, quantum potest, componat Energumenum, horteturq; vt intima con-

tritione,

tritione, & sacra Confessione animum expurget, pijsq; ac flagrantibus precibus a Deo contendat, vt si ita saluti suæ conducere intelligit, ab illa se miseria vindicet; moneat vt pietatis studia exercitationesque amplectatur; Ecclesias sæpe, ac illas frequentius, in quibus Sanctorum reliquiæ conditæ sunt, adeat; sanctisq; ipsis se, suamque salutem diligentissime commendet.

*Quæ Sacerdoti exploranda priusquam exorcismos incipiat.*
*Cap.* 818.

ANtequam manus Energumeno admoueat, multa diligenter Sacerdos explorare, & cognoscere debet. Primùm ne qua fraus subsit; deinde ne non infestis spiritibus ille, sed valetudine mentis agitetur; ad eamque rem discernendam, si opus esse intellexerit, Medici iudicium adhibeat; persæpe enim fit, vt cùm atræ bili, qua aliquis grauius laborat, remedium non facilè homines inueniant, causam morbi, quam ignorant, in malos dæmones conferant. Quam ad rem Sacerdos animum diligenter aduertet; & qui mores, quę vita, quod ingenium illius cum cura exquiret. Ac si naturæ morbo eum, non vi dęmonum vexari senserit, medicis tradat, ipse exorcismis prorsus abstineat.

*Quibus argumentis Energumeni ab amentibus dignoscendi sint.*
*Cap.* 819.

VT conijcere, ac diiudicare Sacerdos possit, qui sęua valetudine, qui dęmonum hostili fraude infestentur, diligenter obseruare, & colligere signa omnia debet. Intendat animum, an ille ad diuina verba vehementius commoueatur, vt furat, vt contorqueat sese atrocibus oculorum, & corporis totius motibus, an Iesu Christi mentionem horreat; an sacra auersetur, ac reformidet; an in insanis conatibus plus virium habere videatur, quàm aut ætas eius, aut sexus natura ferat; an aliqua pars corporis repentino tumore infletur; an tumor ipse designata cruce discutiatur, an aliam in partem statim veluti transmeet. Hæc enim argumenta obsessæ aduersis spiritibus mentis magna videntur. Illa verò haud dubia signa sunt, si Energumenus aliena, & ignota lingua rectè, & plura loquatur; si de rebus illi incognitis peritè, ac scienter disserat; si res longè distantes occultasque prodat, & palam faciat.

*Quæ ratio exorcizanti tenenda.* 820.

VNICVM in omni certamine aduersus hunc humani generis hostem, accerrimumq; telum est fides. Hoc instructus armatusque telo Sacerdos magna fiducia deprehensum dęmonem aggrediatur. Non aliud in ea pugna quã Dei gloriã, & Energumeni curationem spectet; nec agere, nec fari quicquã quod ad eam non pertineat, statuat. Nihil curiosè quærat, sed tantũ ea interro-

get,quæ res pofcere videatur. An fcilicet vnus,an plures, & quot nefarij fpiritus miferum illum occuparint,quæ ijs occupandi caufa fuerit,quæque occafio, quàquediu captum tenuerint. Nugantem fæpe Dęmonem, iocofque,& ridicula mifcentē,reprimat,nec ei arrideri à circunftantibus patiatur;ne ea re animi (quod ille quærit) à religione auocentur. Quin, cùm dęmonem elatum ac fuperbum effe fpiritum conftet,magnum illius contemptum Sacerdos pręferat, & quod factum à Chrifto Domino accepimus,qui nequam immundumq; appellauit, cō uicijs eum contumelijfq; inceffat, increpetque,qua re non mediocriter illum cōpertum eft commoueri. Audacter illi, vt obnoxio imperet, memor traditę fibi à Deo in dæmones omnes poteftatis. Exorcifmos ne ante ortum folis inchoet, ne poft occafum perfequatur;ne duos vno tēpore Energumenos exorcizet,fed fingillatim quemque,ac feparatim; neminem altari imponat. In toto negotio grauiter omnino ac religiosè verfetur;nec alios exorcifmos,quā traditos à Sancta Romana Ecclefia adhibeat; ijs addere, aut demere quicquam ne audeat.

*De Muliere Energumena.* *Cap.* 821.

SI Energumena Mulier fit,magna pudoris,atque honeftatis ratio habenda Sacerdoti erit;omnem cautionem adhibebit ne quid fiat,dicaturuè, vnde vlla, aut fibi ipfi,aut mulieri fubire impudica cogitatio queat,quæ animum de fufceptæ religionis inftituto deijciat;cautè,nec nifi neceffariò capiti corporiuè eius manum admoueat.Iubebit duas faltem matronas ætate,atq; integritate fpectatas,virofque itidem probatæ vitę præfentes adeffe, eofque omnes,fi fieri poterit, Energumenæ ipfius neceffarios,& quam maximè coiunctos,alienos autem abire omnes,prȩterquam fi Sacerdos aliquis adfit,iubebit.

*De loco vbi habendus exorcifmus fit.* *Cap.* 822.

CVM multa in Ecclefijs fint, quæ adiuuare Sacerdotis ftudium exorcizantis poffint,& locus ipfe decere videatur,non in priuatis laycorū ędibus, fed in Ecclefia exorcifmi habeantur,aperto & confpicuo in loco,non tamen in multitudinis inconditæ confpectu,ne concurfu,ftrepitu,ac tumultu res perturbetur, nec rurfus remotis arbitris,fed viris prȩfentibus ætate grauibus, & religione fpectatis,atq; in his vno faltem,atq; altero facerdotalis ordinis; qui omnes exorcizantem pijs ad Deum precationibus profequantur, iuuentque.

*Aduerfus exercentes exorcifmos præmio,aut fraude.* *Cap.* 823.

ADeo oīa auiditas lucri occupat,vt quod effici nifi cęlefti vi,atq; munere non poteft,id quidā q̄ftui fructuiq; habere nō vereātur;& impudenti mendacio artifices fe pellēdi dæmones,p̄dicantes,vt quofq; difficiliori morbo laborātes viderint,eos hoftilibus fpiritibus infeftari,aut maleficijs,magicifq; artibus fafcinatos aiunt,& fuæ curationi tradi poftulant, numulofq; inde à credulis,& valetudinis cupidis

cupidis auferāt exprimuntque; & cùm quibusdā antimonio aut vehemētiori alio medicamēto morbū depulerint, eos tamen ab se exorcismorum vi, & ordinis sui potestate curatos mētiuntur; & quamquam plurIū spem, credulitatemq; frustrentur, tamen nunc dęmonum pertinaciam, nunc alia causantes, artificij sui opinionem eadem fraude, mendacioque tuentur, quo pepererunt. Nos supra statuimus, ne quis nisi permissu nostro admouere Energumenis manus, & exorcismos adhibere audeat; at verò quæstum, lucrumque ex ea re omne ita vetamus, vt si quem, etiam cui nos potestatem exorcizandi fecerimus, pecuniam, mercedemque operæ vllam exegisse compertum habebimus, seuerè in eum pro culpæ modo animaduersuri simus.

## DE SIGNO SALVTANDÆ BEATÆ VIRGINIS. CAP. 824.

PIA Ecclesiæ consuetudine institutum, receptumque est, vt mane sub lucem, Vesperi occidente sole, & meridiano item tempore, Campana signum Populo adorandi Deum, & Beatę Virginis salutandæ, detur, eo igitur signo accepto omnes capite aperto, ac genibus positis tamdiu in precatione perseuerent, quamdiu ipsum signum sonitusque Campanæ durabit: Campana autem ter repetitis, ac distinctis ictibus pulsetur. Quod quidē nec festinanter fiet, vt spatium cuique colligendi animum ad Deum piè orandum sit; nec ita lentè, vt in eo plus æquo immorandi necessitas imponatur. At in Vicis, & Pagis, vbi & Campanæ sonus propter paruitatem e longinquo nō facile exauditur, & homines palati per agros sunt, pulsatio ipsa, & magis intendenda, & paulo diuturnior habenda erit. Caueant autem Parochi alijque quibus hoc dandi signum, & Campanam pulsandi mandatum officium est, vt nec illud, per incuriam prętermittant, & tempora eius diligenter teneant, obeantque. Qui in eo negligentes fuerint a nobis pro eorum merito mulctabuntur.

## *De signo dando tempestate imminente.* *Cap.* 825.

CVM ex tenebricosa cœli ac nubium caligine, crebrisque tonitribus sæua imminere tempestas, nimbi, procellæque videntur, teneatur pius sanctæ Ecclesiæ mos, vt ad eas auertendas diuina opis imploretur, atque eius rei signum Campanarum tinnitu, ac sonitu populo detur. Nam Campanis ipsis ex precatione ac benedictione, qua diuinis officijs sacratæ sunt, inesse Dei munere quædam vis creditur, aeris minas depellendi; earum igitur sono audito, omnes aut ad Ecclesiā concurrant, aut Domi, aut vbicumq; signum acceperint, pro se quisq; supplex Deū veneretur, vt procellosos imbres, ac Cęleste malū prohibeat: & Clerici, psalmis, litanijs, carminibusq; alijs, quæ Ecclesiæ ritu ad has arcendas tēpestates adhiberi consueuerunt, piè recitare, & diuinam iram deprecari debebunt.

*De obsecratione pro mortuis facienda.* Cap. 816.

POST signum, quod condito in occasum sole, obtendentibus se iam tenebris, Campana datur salutandi, ac venerandi Beatissimam Virginem Mariam, institutum persanctè est, vt sub primam inde noctis horam, idem repetatur signum, quo admoneantur fideles, pia obsecratione Deum Mortuorum animis propitiare, ac de sua quoque ipsorũ morte cogitare; quæ cogitatio sæpe peccatorum impetum retundere, ac propulsare solet. Verè enim a sapientissimo viro dictum est, Memorare nouissima tua, & non peccabis in ęternum. Vt igitur sanctum hoc institutum retineatur, ac religiosè colatur, nos omnibus, qui audito campanæ sono genibus ad terram datis Deum suppliciter deprecabuntur, vt animas, quæ purgatorio igne expiandis peccatorum reliquijs habentur, meritis supplicijs illius benignitate remissis, in Beatorum sedes transferat, & psalmum, cuius initium est De profundis, recitauerint, aut ter orationem Dominicam, & Angelicam salutationem dixerint, Indulgentiam dierum quadraginta impartimur. Quod officium, eo sanè libentius exoluere quisque debet, quòd dum pro aliis pias fundimus preces, eadem opera nobis quoque ipsis diuinam Misericordiam conciliamus.

## DE SEPVLCRIS, AC DE IIS EDITIS E LOCIS TOLLENDIS. CAP. 817.

CORPORA sepeliendi cura christianos homines in primis decet; quos non dubia fides confirmat reditura aliquãdo in vitam esse. Verùm magnopere videndum est, ne nimio eius rei studio efferantur, & religiosum ritum, ad inanis gloriæ libidinem transferant; quod facere illi videntur, qui sepulchri honorem, non tam instituti sanctitate, quàm apparatus, structuræque magnificentia metiuntur; quos vile, ac putre cadauer sumptuosa conditum arca sublime tollere, atque in maximè conspicua parte Ecclesiæ, ipsis altaribus, ipsis Dei, Diuorumq; imaginibus, atque ipso adeo diuini Sacramenti tabernaculo, altius statuere, non pudet; Vexillis, armis, alijsque vitæ, ac rerum gestarum interdum non veris decoribus, insignibusque, circum appensis. Hunc vanissimorum hominum futilem commendandi, ac celebrandi nominis morem, & si sublatum Pij Quinti Pontificis Max. pio sapientique decreto esse intelligimus, tamen vt penitus ab nostra Diœcesi abijciatur, oblitereturque, ac renouari vnquam renascique ne possit, statuimus; vt & si qua supersunt excelso in loco sita sepulchra, præterquam marmorea, æneaue, tollantur omnia, & inposterum amplius eius generis vlla ne fiant; vnaque cũ sepulchris etiã sepulchrorum ornamenta refigantur, e templisque auferantur; ossaque & corpora altè in terram defodiantur.

*Quæ in omnibus sepulchris aduertendâ. Cap. 828.*

SEPVLCHRA sub terram muro circundentur, aut certè tam longè alterum ab altero effodiantur, vt prorsus diuisa, distinctaque sint; superne fornicato opere muniantur: Eorum ora duplici integumento, ne inde vllus teter odor emanet, obstruantur; lapideo vtroque, sed inferius rude sit, & calce vndique oppilatum, obductumque; superius æquabile & expolitum, vt nihil emineat, sed Ecclesiæ solo penitus exæquetur, & vndique aptè cum sepulchri ore cohæreat; & inter vtrumque spatij aliquid relinquatur. In vtroque Ecclesiæ latere, vbi eius rei data venia fuerit, dextro, sinistroque sepulchra extruantur, æquis distincta spatijs, & vtrinque alterum e regione alterius ita statuatur, vt singula sibi ordine respondeant. In superiori integumento ferreus, validusque annulus vnus, aut plures infigantur super liquato plumbo infuso, vt vecte per annulos iniecto eleuari, amouerique integumentum, cùm est opus, possit; annulus ipse lapide circum excauato abdatur, ne quid emineat. Vel si annulorum vsus, non placeat, claui ferrei annulato capite lapidi figantur, eodem superfuso plumbo, ac inde vecte cui in medio vncus sit, lapis extrahatur. Verùm hi quoque, nequid supra solum extent curetur.

*In sepulchris nihil nisi ex auctoritate Episcopi incidatur. Cap. 829.*

QVIA sæpe peccatur aut temeritate, aut inscitia in sepulchrorum integumentis incidendis, inscribendisque, statuimus primùm, ne his, quæ in solo sunt, vlla Crux, vllauè sacra imago incidatur; Deinde vt ne quis ornatus adhibeatur, qui emineat, Postremò ne si non emineat quidem aut impediat, quicquam insculpi, aut tessellato opere effingi, inscribiuè volumus, quod ante ad nos delatum, probatumque nobis non sit; Vt non solùm quæ non decent, sed ne insulsa quidem, & ridicula ab ludificantibus, ineptisque hominibus, per licentiam atque lasciuiam, sepulchrorum lapidibus incidantur.

*De sepulchro Episcopi, & Ecclesiasticorum hominum in Cathedrali Ecclesia. Cap. 830.*

ET Episcopos, & Sacerdotes, & Ecclesiasticos homines omnes in ipsa sepeliri, cōdiq; Ecclesia decet; locum igitur in Cathedrali, in ipso Chori aditu aut alibi si commodè in Choro non poterit, deligi volumus; in eoque nostrum, & qui nobis deinceps succedent Episcoporum corpus sepeliri, ac terræ mandari; tumulumque intus fornicari, tumulique os lapide obstrui, lapidem aliquo Episcopali insigni litterisque Episcopale sepulchrum significantibus inscribi, incidique. Canonicorum quoque proprium sepulchrum, item aliud reliquorum Clericorum

rum fieri, eorumque alterum in dextra, alterum in sinistra Episcopalis sepulturę parte ædificari, omniaque aliquo interiecto spatio separari, muroque sub terra diuidi, iubemus, cùm primùm per facultates Ecclesiæ licebit.

*De Clericorum sepulchris in Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis.*
*Cap.* 831.

QVOD in Cathedrali Ecclesia faciendum esse demonstrauimus, id in collegiatis quoque fieri debere statuimus, vt ante Chori aditum, non tamen in ipso Choro, nec in maiori capella, terna sepulchra construantur, quorum in medio Præpositorum, vel Archipræsbiterorum, vel Rectorum quocunque nomine illi nuncupētur, qui collegio præsunt, corpora condantur, in dextro Canonici, in sinistro reliqui Ecclesiæ Clerici humentur, & singula vt supra ostendimus distinguantur. In Parochialibus autem Ecclesijs duo fieri sepulchra debent, eodem loco, eodemque modo distincta, quorum alterum Parochos, alterum reliquos Clericos vita functos excipiat.

*De laycorum sepulchris.* *Cap.* 832.

LAYCORVM nulli intra Ecclesiæ septa sepulturæ locus, iusque, nisi concessu nostro in posterum tribuatur. Quibus autem concessum erit, ij sepulchra ne sub ipsis Altaribus, neuè propè illa effodiant, extruantuè; sed ab ligneo Altaris gradu Prædellauè duos saltem cubitos remota statuant; si qua propius constructa iam sunt, ea summoueri, aut obstrui iubemus. Intra Chori maioris, siuè Capellæ fines nullum prorsus fieri sepulchrum permittatur; & vbi ratio situs & Ecclesiæ latiora spatia patiuntur, ne intra minorum quidem capellarum septa, cancellosque, quibus inclusus cum ministro Sacerdos sacra facit, sepulchrum vllum fodi, struique sinatur.

*De Cæmiterijs.* *Cap.* 833.

CHRISTIANI homines cęlestium rerum fide illustrati, confirmatique dissolutionem hanc animi a corporis vinculis, non mortem sed quietem, ac somnum existimant; vnde loca humandis corporibus statuta, cæmiteria idest quiescendi ac dormiendi locum dixere, hoc enim ipsum cæmiterij nomen significat. Hæc igitur cœmiteria circum Ecclesiam siue ad septentrionem, siue ad meridiem, siue ad ortum, siue ad occasum solis sint, non magni refert, quanquā in septentrionem vergens situs, potior existimetur. Ampla sint, pro Ecclesiæ magnitudine, & populi numero, cui ædificantur; muro vndique sepiantur, nisi qua parte ingenio loci sine sepimento vllo tuta, & ob præruptas rupes, inacessa essent. Intrinsecus parietes aliqua sacra pictura certis in locis exornari, decens sanè fuerit.

rit. In medio cæmiterij crux siue ænea, seu marmorea, seu solido ex lapide, statui erigique debebit; ac marmoreę columnæ imponi; aut si hæc desint, lignea certe altè sustolli. Rectè etiam, vbi per facultates liceat, capella in Orienrem versa in cæmiterio ædificabitur, in qua preces aliquando pro mortuis fiant. Aquæ benedictæ vas vtique ne desit.

*De Cæmiterij Ostijs.* *Cap.* 834.

QVÆ adiuncta Ecclesiæ sunt Cæmiteria, in ea etiam ab ipsa Ecclesia aditus, ianuaque esse debet, vt egredi illò cùm vsuuenit, vel funerũ, vel supplicationum causa clerus possit. Ostiũ præterea maius in Cæmiterij fronte vnum fiat, nisi aliud alia quoque in parte, rei ac situs ratio fieri postulet. In summo ostio aut imago Crucis aliqua extrinsecus exprimatur, aut lignea crux iustæ magnitudinis erigatur, in eiusque ima parte humani capitis caluaria, seu cranium affigatur. Ostia verò omnia firmis valuis, clauibus, pessulisque claudantur, nec nisi cũ vsus poscit, aperiantur; ac rectè limini ipsi ferrea clatra, æquata solo sternentur, vt ne si pateat quidem hostium, intrare iumenta animaliaque alia possint.

*De ossuaria Cæmiterij.* *Cap.* 835.

INTRA cœmiterij septa, porticus seu locus construatur, parietibus, fornice, tectoque a pluuia bene munitus, in quē albentia consumptorum iam corporum ossa, cùm aliquando e terra eruuntur, conferantur, atque ibi in strues, congeriesque ordine digesta, asseruentur; locus verò in cõspectu adeuntium cœmiterium sit, vt obiecta oculis nostræ mortalitatis, communisque naturæ species, animum ab fluxæ, ac fragilis vitę illecebris auocet, & ad humanarum rerũ contemptũ, ac cœlestis, & æternæ vitæ contemplationem, desideriumque erigat.

*Quæ a Cæmiterijs prohibenda.* *Cap.* 836.

NVLLÆ in cœmiterijs frugiferæ arbores, ac ne arbusta quidem aut stirpes ali, crescereque sinantur; aut herbam virescere, quæ inde pabuli causa secetur. Eò non ligna, non saxa, non cæmenta coaceruentur, non sordes vllæ abijciantur, non ibi saltationes, choreasque duci, non cibum capi, non compotari, non nundinas, non negotia, non iudicia tractari in cœmirerijs Rectores Ecclesiæ patiantur. Non ibi frumenta ventilari, non triruram fieri, non paleas, frugesuè expandi, non lineas telas lixiuio, aquauè madidas siccandas sole explicari, non ibi sutores suere, non fœminas nere, aut aliud opus facere, non denique quicquam fieri, quod loci sanctitati ac religioni aduersari videatur.

*De restituendo more in Cœmiterijs sepeliendi.*
*Cap.* 837.

PERPAVCIS olim, nec nisi iustis ex causis sepulturę ius intra Ecclesiæ ipsius septa concedebatur, sed omnes in cæmiterijs consueto cum ritu humabantur. Eaque causa inueniendi constituendique, atque consecrandi cœmiteria fuit, vt corpora extra Ecclesiam terræ mandarentur. Nunc contra perpauci sunt, qui in cœmiterijs sepeliri, sed omnes in Ecclesijs condi volunt; plerique ambitionis non religionis causa; æque enim religiosum est in cœmiterio atque in Ecclesia humo tegi, cùm vtraque sacrata terra sit, cui reddimur. Nos vt intermissum morem, quoad eius fieri potest, ad vsum reuocemus, mandamus Parochis, alijsque Ecclesiarum rectoribus, vt huic rei curam, studiumque adhibeant, & si quos cœmiteria vsurpasse compererint, eos inde summoueant, locumque pristino vsui sepeliendi mortuorum corpora reddant, nec nouum ius intra Ecclesiam condendi cuiquam, nisi permissum a nobis fuerit, concedent.

DE FVNERIBVS. CAP. 838.

MVLTA a sanctis patribus piè instituta sunt, quæ inde ætas, incuria, licentia aut corrupit, aut certè ab recto eorum vsu sensim deduxit. Quid magis christianæ charitati, fideique consentaneum, quàm mortuos religioso ritu sepulturæ tradere, eorumque animas purgatorio igne admissa expiantes, luctesque, pijs ad Deum precibus atque officijs, quibus eorum leuari supplicia credimus, prosequi? idque tum maximè præstare, cùm corpora ipsa, quæ reuixura aliquando non dubitamus, deponimus, terræque reddimus? Et tamen quod in maiorum more, in mysterio, in pietate ortum habet, id sæpe ad vanam apparatus ostentationem vertitur, sæpe auaritia, interdum negligentia deprauatur. Nos eam rem totam, vt ad pristinam pij instituti disciplinam, quantum adiuuante Deo possumus, reuocemus, hęc in posterum ab omnibus Ecclesiasticis hominibus teneri, seruarique præcipimus.

*De Parochi in mortuos officio, ac de ijs efferendis.*
*Cap.* 839.

PAROCHVS vbi excessisse suorum aliquem e vita acceperit, primùm quidem in Ecclesia Psalmum illum, cuius initium est De profundis clamaui ad te Domine. precabundus recitet, pieque illius animam Deo commendet: Deinde mortis signum sueto campanæ sonitu det. Postmodum cum mortui propinquis de funere costituat, inuitetque ipse, aut inuitatum mittat, quos adesse funeri placuerit; caueatur autem ne ante lucem, neuè ingruentibus tenebris mortui efferantur, eoque tempore elatos Ecclesiarum rectores ne recipiant, neuè tum sepulturæ

pulturæ tradant. Item ne in Ecclesiam sepeliendi causa importentur, cùm solemne sacrificium sueto cum cantu celebratur. Præterea & illud teneatur, vt qui aliorum vocatu operam funeri daturi sunt Clerici, ne alij alios in ipsa platea ante mortui fores opperiri, quod dignitatem eorum non decet, cogantur, in proximam domui ædem, aut in eam in qua ille sepeliendus erit, conueniant, vnà que inde omnes ordine ad excipiendum, deducendumque cadauer, procedant. Dum tempus prodeundi expectanr, non permiscentes se alij alijs sermones, colloquiaque serant, atque ita in Ecclesia, pioque in officio, vt in foro, turbaque versentur; sed vnusquisque ordo separatim cum suis, datis ad terram genibus, animum ad mortis contemplationem reuocantes, pias pro eo, quem vita functum elaturi sunt, preces ad Deum profundant. Omnes talari in veste, lineaque cum Cotta in funus veniant, nemo chirothecas, nemo pileum, nisi pluuioso tempore, ferat.

*Quæ in funere secularibus Clericis, Regularibusque præstanda.*
*Cap.* 840

CLERICIS qui funus ducunt, vnam omnibus crucem præferri iubemus; Regulares item si & ipsi in funus venerint, suâ quemq; ordine sequi crucē volumus, nisi consuetudo sit, vt eius Ecclesiæ crucem omnes sequantur, in qua sepeliendum cadauer fuerit. Cùm ventum in Ecclesiam est, omnes suo quisque loco depositum feretrum circumstent, institutaque officia concelebrent, nec ante a corpore abscedant, quàm humatum, conditumque sepulchro, aut certè quā omnes peractę preces, cerimoniæq; fuerint; qui abscesserit ei eleemosina negetur. Tradito demum sepulturæ corpore, omnes tam seculares quàm regulares, eodem ordine ad suam quique Ecclesiam reuertantur. Si cadauer in sæcularium Ecclesiā illatum sepeliendi gratia fuerit, ibi munus illius procurandi, thure incenso adolendi, aqua benedicta aspergendi, precationes recitandi secularis Sacerdos obeat; item in Monialium funeribus; si autem in Regularium Ecclesia exequiæ fiant, eo officio Regularis fungatur.

*Vt Clericis in funeribus exequijsque versandum.*
*Cap.* 841.

IN diuinis officijs quæ mortuis persoluuntur, ita omnes omnium ordinum Clerici versentur, vt & commoueri illo extincti corporis aspectu, & ex animo illas ad Deum pro mortui anima preces fundere credantur. Nullus tum sermo, nullum colloquium feratur, procul absint ab eo & loco & tempore risus omnes, iocique, & oculorum indecori coniectus; in omnium vultibus modestia, miseratio, religio emineat, vt eorum exemplo populus qui circunstat, ad deprecandum pariter Deum commoueatur. Ac pro se quisque caueat, vt dum properanter,

ter, & veluti aliud agens mortuo Dei opem implorat, viuo sibi eius iram, ob irreligiosam precandi rationem, ne prouocet.

*De ratione inuitandi ad funera Clericos.* *Cap.* 842.

PAROCHVS, aut Ecclesiæ Rector, cùm Clericos alios ad funus anniuersariumuè sacrum inuitaturus est (nisi ille secus, cuius exequiæ aguntur, hæredesque eius statuerint) primùm eos euocet, si quos socios, collegasque muneris sui, aut ministros in eadem Ecclesia, habet; deinde quos ille cuius interest accersiri, euocarique maluerit; nec plures quàm quot ille iussit, vel Sacerdotes, vel clericos accersat, ac ne pueros quidem Clericali Cotta amictos, quos secum Sacerdotes duxerint adhibeat, aut ijs eleemosinæ, stipisque quicquam propterea tribuat.

*Nemo in funus pro se alium mittat, vt eius mercedem ipse percipiat.*
*Cap.* 843.

NEMINI decernimus licere in funus, aut ad sacrum anniuersariũ mittere, qui vices suas obeat, cuius inde emolumentum, mercedemque, aut mercedis partem, quantulacunque sit, ipse percipiat; neque item cuiquam Clericos, aut clericali ornatu pueros, secum ducere, mittereuè, à quibus datam stipem, eleemosinamque ipse auferat; quin ne vltro quidem a pueris Clericisque delatã accipere eos volumus, neq; pueros ipsos plus capere ab exequiarum curatoribus, quàm ipsis si proprio euocati nomine essent, deberetur.

*Candelas cæreosque in funere omnes accendi debere.*
*Cap.* 844.

QVÆ funalia, cerei, candelæ clericis elati cadaueris funus deducentibus dispartiuntur, non ad mortui cultum, sed ad rei ipsius mysterium dantur. Ardentesque ferri debent, siue vt ea luce fidem illius, qui effertur testentur, si quidem animæ nostræ lumen, vt inquit Damascenus est fides; siue vt illo tot collucentium flammarum splendore, illius fulgor, & claritas gloriæ significetur, quæ mortuos, qui in Domino moriuntur, manet. Vt igitur religiosi instituti mysterio seruiatur, volumus omnes cùm Canonicos tùm inter Canonicos dignitate præstantes, tùm reliquos cuiusuis ordinis seculares, & regulares clericos, quibus in funere cerei cãdelæuè datæ fuerint, eas sua quemque manu accensas præferre.

*Quando longiori via ducendum funus sit.* *Cap.* 845.

MORTVI quidem recta ab domo in templum efferri, vbi humandi sunt, debent; neque ostentandi causa pompæ agmen circunducendum. Verùm si fortè iter, spatiumq; breuius, & compendiosius sit, quàm vt eo contineri ordines, & funus, quique funeri operam dant, traduci commodè possint; tum longiori via circumiri, vt agmen, ordinesque explicentur, & sine tumultu ac turba procedant, licebit. Quod tamen non nisi de illius scitu, ac voluntate faciendum erit, qui funeri ipsi præest.

*De stragulo funerum causa in singulis Parochijs comparando.* *Cap.* 846.

VT communi omnium sumptu singulorum dignitati consulatur, & tenuiores quoque, atque inopes aliquo cum honore efferantur, dent operam Parochi, vt corrogata ab suæ Parochiæ incolis pro cuiusque censu pecunia, stragulum quod Pallium vocant, & in feretro cadaueri substernitur, comparetur, idque gratis in de omnibus Parochiæ illius hominibus in funere commodetur. Quod si incolæ eam conferre pecuniam recusent, tùm sine ea veste, cadauera efferantur, donec illi pudore victi, rem sibi præstandam esse statuant: tam verò feretris, quàm cœnotaphijs seu tumbis obtegendis, altarium pallia adhiberi prorsus vetamus. Id autem stragulum ex villuto serico atro, albis crucibus, & caluariæ humani capitis imaginibus distincto fiat, aut saltem laneo panno, si serici sumptum Ecclesiæ facultates non ferant. Nobiles verò qui proprio eo ac ditiori vti voluerint, pecunia sua faciendum curent; quod postea nos cuiusquam alterius cadaueri substerni vetamus, & illi esse Ecclesiæ iubemus, in qua humatum cadauer fuerit, in eiusque ornamentum conuerti.

*De vitanda in mortuis superstitione.* *Cap.* 847.

IN efferendis mortuis omnia ad religionem, & mortis, & humanę imbecillitatis contemplationem comparanda sunt. Verùm quia in simpliciorum animos vana sępe superstitio, specie religionis irrepit, id ne fiat Parochi diligentem cautionem adhibebunt, curabuntque, ne quid eius rei causa, aut in feretro supponatur, aut in mortui manibus aptetur, aut quicquam omnino committatur, quod vllam falsæ, inanisque religionis speciē suspicionemque habeat; ac si quid tale deprehenderint, abijciant, castigatosque humaniter quos praua illa opinatione teneri intellexerint, in posterum penitus ijs abstinere iubeant.

*De vitanda in funeribus simoniæ, & auaritiæ suspitione.*
*Cap.* 848.

CAVERE autem magnopere Parochos, Rectoresque Ecclesiarum iubemus, ne cum quoquam de sepultura, deque iustis anniuersarijs paciscantur; aut eius rei gratia exigere, vel petere quicquam audeant, quod vllam in ipsos nefariæ simoniæ, aut sordidæ cupiditatis suspitionem retorqueat; sed pias tantùm consuetudines seruent; ne si secus fecisse deprehensi fuerint, seuerè a nobis, pro eorum merito puniantur; quin ne molestius quidem ijs de rebus mortuorum hæredes moneant, ne quòd pietate adducti suadere debent, vt suis anniuersaria officia persoluant, ad id flagitandum propria potius cupiditate impelli credantur. Nihil denique in toto hoc genere fiat, quod vllam auaritiæ ac sordium suspitionem afferat; Nihil verò a quoquã petatur auferaturque, nisi quód ex pia consuetudine debetur. Pia legata exigi ab ijs iubemus, & quod Eleemosinæ nomine vltro delatum fuerit, accipere permittimus, præterea nihil a sanctis consuetudinibus discedere.

*De funeris officium contemnentibus, ac de egentibus.*
*Cap.* 849.

QVAMQVAM neminem ita expertem christianæ charitatis fore existimamus, vt suorum sepulturam, & religiosum hoc exequiarum institutum penitus negligat, vllumque in eam rem facere sumptum recuset; ac ne cruci quidem, aut clericis, funerique debita adhibere lumina velit; tamen si quis tanta sit inhumanitate, vt quorum hæreditatem creuit, in eos se tam illiberaliter gerere non pudeat; nos ea de re a Parochis admoniti, inofficiosos, atq; irreligiosos istos, ad ea quæ necessaria sunt comparanda, præstandaque cogemus; at quorum tanta egestas fuerit, vt mortuis sepulturæ sumptus non supersit, hos Parochi Ecclesiæ suæ impensa sepeliant.

*De mortuorum vestimentis, deque cereis, & quarta funeralium.*
*Cap.* 850.

VESTES quæ mortuo, cùm terræ mandandus est, detrahuntur, neque Clerici, in quorum Ecclesia ille humatur, neque Vespillones inuitis hæredibus vllo modo retineant; ne chirotecas quidem, vel pileum, vel quicquam omnino; sed omnia cùm fide ijs ad quos pertinent, sine recusatione remittant. Cereos verò funaliaque, quæ vel circum feretrum, vel alijs locis hęredum impensa, dum exequiæ peraguntur, incensa ardent, ita Deo oblata esse decernimus, vt a nemine auferri, ac ne inter Clericos quidem diuidi possint, sed omnia

Ecclesiæ

Ecclesiæ ipsius Sacristiæ adiudicamus, & sacrificijs tantùm diuinisque alijs officijs adhiberi, nisi de nostra voluntate, permissuque in alium aliquem Ecclesiæ vsum conuerti placuerit; ea tamen excipimus, quæ aut Clericis eleemosinæ causa dari solent, aut Cathedrali, Parochialiuè Ecclesiæ funeralium nomine ex sacrorum canonoum iure debentur, quibus nihil obesse volumus, quo minus quartam funeralium, quæ solita esset persolui, ex decreto Concilij Tridentini consequi possint.

*De eleemosinarum partitione ac de his quibus negandæ erunt.*
*Cap.* 851.

VT funeribus, quæ debetur opera piè studioseque impendatur, omniaque ritè, atque ordine administrentur, statuimus, vt eleemosinæ, quæ funeris causa Clericis dantur, ne in ipsa Ecclesia, neuè in cæmiterio, neuè omnino inspectāte populo, nec nisi eo dilapso, remotoque, nec nisi diuinis demum officijs peractis, diuidantur. In ijs recipiendis nemo contentiose, nemo turbulente, aut clamose quicquā faciat, nemo eas cupidius præripere contendat; sed omnes sedate, suo quisque loco quod datur silentio accipiat. Cui partiendi munus mandatum est, caueat ne aut sibi sumat, aut alteri tribuat plus quàm debetur, ac ne minus quidem. Decernimus præterea, vt qui euocatus alium ad muneris sui partes gerendas miserit, quique ad crucem Ecclesiæ prodeuntem, aut certè cum cadauer domo effertur non aderit, qui diuinis officijs non interfuerit, aut cæptis ijs aduenerit, aut priusquam absoluantur, discesserit, item qui sine cotta funus, officiaque obierit, qui denique præscriptis à nobis funèrum legibus non paruerit, is omni eleemosina, omnique funeris emolumento careat, & alijs quoque pœnis, vt nobis meritus videbitur, afficiatur.

*Præfectus chori etiam funebribus officijs intendat.*
*Cap.* 852.

CVM funus ducitur, aut pro mortuis diuina officia celebrantur, quibus Cathedralis, aut collegiatæ Ecclesiæ capitulum, aut pars maior illius adhibetur, qui eo tempore choro præsidebit, etiam funeri, funebribusq; officijs, quā tum ad ipsos cathedralis seu collegiatæ Ecclesię Clericos, ministrosque attinet, præesse volumus. Quantum verò ad alios Clericos ipsi Parocho, aut Sacerdoti, in cuius Ecclesia exequiæ fient, præcipiendi omnibus, quæ in rem erunt ius esse iubemus; ijsque omnes dicto audientes esse, in ijs rebus, quæ ad illa ipsa officia ritè peragenda pertinere videbuntur; idque ne clerus vnquam suo rectore ac monitore careat, nec in diuinis rebus quicquam nisi ritè, atq; ordine administretur. Qui igitur his non obtemperauerit, eos eleemosina, emolumentoque, quem ex illis officijs percepturi fuissent, mulctari volumus, eamque mulctam ijs addi, qui suum munus rectè obierint. Ac si ita aliquis delinqueret, vt leuis

ea pœna Præfecto videretur, ius esse ei volumus illum ab eo genere officij quandiu visum fuerit, dum ne vltra trigesimum diem, prohibere.

*De indecoris ploratibus in mortuis deflendis.*
*Cap.* 853.

PARENTUM, filiorumque & aliorum necessariorum morte commoueri, lachrimis etiam dolorem suum desideriumque testari, non sanè à pietate, atque humanitate alienum est. Verùm eiulatibus, deformibusque lamentis torqueri, quod ferè leuissimæ quæque mulierum faciunt, quasi rem nobilitare ab surdis plangoribus affectent, cùm ab omni bene institutæ disciplinæ ratione abhorret, tùm christiano homine indignissimum est; cui mors non viuendi finis, sed veræ atque sempiternæ vitæ initium ducitur. Quò enim accensę faces, & festa lumina, quibus veluti victoris triumphus agitur, elatū cadauer circunstant? Quò læta carmina, hymnique Deo, tamquā à gratantibus concinuntur? Reuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi, &, Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quę quidem non illum deflendum nobis, quem ex diuturnæ peregrinationis periculis reducem in patriam credimus, sed sanctis hominibus prosequendum, pijsque precationibus cōmendandum, adiuuādumque nobis esse demonstrant. Tolli igitur morem a christiana pietate alienum iubemus, & Parochis pręcipimus, vt feminas in ea re nimias corripiant, denique operam, vt his indecoris ploratibus in posterum prorsus abstineatur.

*De laudationibus.* *Cap.* 854.

QVIA in mortuorum laudationibus plerique, aut ineptè versantur, aut tanta mentiendū licentia prouehatur, vt sæpe audientibus non tam religio, & humanæ infirmitatis cogitatio incutiatur, aut ad imitationem virtutum illius, qui laudatur, animi accendantur; quàm aut risus ab imperite, atque insulse dicentibus; aut ab assentatoribus, & omnia ad aliorum voluntatem loquentibus fastidium moueatur; nos ve res qua oportet grauitate, atque fide tractetur, & fructum cuius causa mos ipse funebres orationes habendi inductus est, afferat, statuimus ne cui in funere quemquā laudare liceat, nisi quem ipsi dignum eo honore iudicauerimus, & cuius scriptam laudationem ante probauerimus. Concionem tamen haberi in funere, concionatoremq; de humanarum rerum inconstantia miseriaque disserere, hominesq; ad vigilandum hortari, ne cùm venerit Dominus, qua hora non putabant, inueniat eos dormientes, sanè volumus. Verùm siue laudatio, siue concio habenda sit, neutram alibi quam in Ecclesia haberi mandamus.

*De occisorum corporibus.* *Cap.* 855.

QVO controuersiarum, & contentionum radices, quoad eius fieri potest, omnes præcidantur, Parocho, intra cuius Parochiæ fines alienus occisus sit, quo minus occisi corpus aliò transferatur prohibere, aut aliquid eam ob causam accipere (quicquid contra prætexat) non licere statuimus. Si verò ea trāslatio cum funere fiat, tum Parocho iure suo vti liberum esse volumus.

*De vario funerum iure.* *Cap.* 856.

QVI cùm in Diœcesi domicilium habeat, mortuum se in vrbem referri, & in maiorum suorū, aut alio sepulchro condi iusserit, funeralium quarta, & tertia detur domicilij Parocho, cadauer illius in vrbem ad sepulturam prosecuto. Qui vrbano Diœcesanoq; domicilio vtitur, si in Diœcesi obierit, ac in vrbe, suaq; in Parochia sepeliri eligat, diœcesanus Parochus cadauer ad vrbis vsque portam comitetur; idem si quis ruri, quò animi causa exisset, moreretur, fiat; & cereos eo loco accensos vnde elatum cadauer est, sibi habeat; Ad portam Parochus vrbanus excipiat, & Ecclesiæ, atque sepulturæ inferat. Qui foris cùm habitet, nullam in vrbe Parochiam habet; & tamen sepeliri in vrbe velit; Parochus, in cuius Parochia est porta vrbis per quam cadauer infertur, eo sit contentus, quod ei mortui hæredes dederint. Qui in vrbe decesserit, & aliò se transferri iusserit, funeris ad portā vrbis deducti cera Parochi sit cuius in Parochia obijt; Si pater sepulturam in Ecclesia sita in Parochiæ suæ finibus elegerit, & filius habitatum aliò concesserit, in ea Parochiali Ecclesia sepeliatur, in quam migrauit, nisi paterno sepulchro inferri se iusserit.

*De confraternitatum & Monialium sepulturis.*
*Cap.* 857.

IN Monialium Ecclesijs præter ipsas Moniales sepeliri quemquam vetamus, ne si moriens quidem quis eo se humari loco mandarit, nisi nos ea de re appellati, secus iusta de causa decreuerimus. Idem de sodalitatum seu confraternitatum oratorijs statuimus. Quod si sodalibus ipsis eo loci, communi in tumulo sepeliri tributum fuerit, cæteri omnes excludantur, licèt idem sibi sepulchrum elegissent. Ac ne ipsi quidem sodales id iuris assequantur, nisi post sextum mensem, quàm adscripti Sodalitio fuerint; ac sic quoque de funeris emolumento, quod Parocho debetur, nihil detrahi debere decernimus.

*De anniuersarijs confraternitatum.* 858.

SODALITATES cùm in oratorijs suis iusta, officiaque anniuersaria mortuis facient, præter Sacerdotem, quem sacrorum causa publicè attributum habent, etiam inuitare Parochum regionis eius, qua oratoria ipsa continentur, clericosq; Ecclesiæ eius, quot ad officia peragenda opus esse intelligent, debebunt; magnopere enim cauendum est, ne quid Parocho de Parochię suæ iure depereat.

*De Peregrinorum sepultura.* *Cap.* 859.

QVIA de Peregrinorum quoque, atq; hospitum funere contendi persæpe magna cum multorum offensione solet, ad has etiam controuersias in perpetuum certò iure dirimendas, statuimus, vt peregrinorum corpora, qui nihil de sua sepultura mandarint, omnia in Cathedrali Ecclesia sepeliātur, cum eo, vt quarta pars funeralium Parochiali Ecclesiæ, intra cuius fines illi mortem obierint, dimittatur. Ac si peregrinus ipse sepulturæ locum in Parochiali Ecclesia elegerit, tum funeralium emolumentorum partes tres Parochialem ipsam sequantur, quarta Cathedrali tribuatur; si in Regularium Ecclesia hūmari se ille iusserit, partes funeralium duæ ipsi Regulari Ecclesiæ, tertia Parochiali, quarta Cathedrali debeatur; sin verò intra Cathedralis ipsius fines moriatur, haud dubium omnia ad Cathedralem ipsam pertinere, nisi si aliam Ecclesiam in qua humari vellet ipse elegisset, tum enim dimidium electæ Ecclesiæ, reliquū dari Cathedrali præcipimus.

*De eorum sepultura qui casu inopinato interierunt.*
*Cap.* 860.

QVAMQVAM magnopere eorum periclitari videtur salus, qui vel inopinato aliquo casu prærepti, vel repentina vi oppressi occumbunt; tamen quia ne hos quidem destituit diuina misericordia, neminem Ecclesiastica sepultura prohiberi volumus, nisi de quo constiterit facinorosum, & publicum peccatorem esse, & admissorum peccatorum facinorumque nulla tangi pęnitentia solitum.

*De Cadaueribus iniussu Episcopi non transportandis.*
*Cap.* 861.

SICVTI mortuorum sepulta corpora violare, è tumulis, loculisq; suis clam extrahere, magnum nephas habetur, ita cuiusquam cadauer ex vlla cuiusuis ordinis Ecclesia, vbi perpetuę sepulturæ traditum fuerat, asportare,

nisi

nisi facultate eius rei a nobis impetrata, scriptoque nominatim comprehensa, nemini licere decernimus. Si quis secus facere ausit, ex sacrorum canonum iure grauissime a nobis pro eius merito punietur.

*Cadauer quamdiu insepultum habendum.*
*Cap. 862.*

NE quid in re grauissima errore peccetur, statuimus, vt nullius mortui corpus terræ mandetur, qui non horas saltem duodecim ante animam egerit. Ac si repentino oppressus morbo fuerit, ad vigesimam quartam horam funus differatur. Accidisse enim aliquando compertum est, quorundam sopitos vi morbi sensus, interiecto spatio sponte recreatos, refectosque esse, cùm extincti penitus crederentur.

*Di Episcopi funere.* *Cap. 863.*

IN tradendis quæ seruanda in aliorum exequijs videntur, nostri quoque funeris nos cura subit: statuimus igitur primùm quidem vt erga ægrotantem, grauiusque laborãtem Episcopum, Canonici atque omnes Cathedralis maximè Ecclesiæ Sacerdotes, nullum charitatis, atque obseruantiæ officium prætermittant; deinde, vt simul ac instare eius mortem intellexerint, si viciniorem Episcopum, qui morientem consoletur, omniaque quæ tali tempore ad animam expiandam, Deoque conciliandam pertinent, illi præstet accersitum mittere noluerint, (quod veteris instituti fuit) ipsi certè ea officia summa cum assiduitate, atq; humanitate exoluant. Mortuus Episcopus, non vltra quadraginta horas insepultus relinquatur, atque eo tempore honoris, & custodiæ causa frequens clerus corpus eius circunsistat, assiduis precationibus eius animam Deo commendent. Elatum omnis omnium ordinum secularis, atque Regularis clerus ad sepulturam prosequatur. Feretrum subeant qui è Canonicorum collegio alios dignitate antecedunt. Exequiæ illi magis piè, ac religiosè, quàm vllo magno cũ sumptu fiant. Funalia non plura quatuor & viginti accendantur, eaque vacantis Ecclesiæ impensis comparentur, nisi aut mortui bona extent, aut alius sit, qui iure vel consuetudine eum facere sumptum debeat. Missa in Cathedrali Ecclesia a Canonicis cleroque pro illius anima solemni cum cerimonia celebretur.

*De nouendialibus sacris Episcopo faciendis.*
*Cap. 864.*

VT pastorali diligentię paternæque Episcopi, dum vixit, erga clerum suum populumque caritati, quam possunt mortuo gratiam vtrique rependant, statuimus, vt simul ac ille expirauerit, capitulum Diœcesanos Parochos de obitu

eius

eius certiores faciat,& tam vrbani, quàm reliquę Diœcesis Sacerdotes singuli nouem diebus, qui nuntium mortis sequentur,coridie sacrum Deo eius animæ propitiando faciant; aut si dies forte aliquis intercedat, quo ex disciplina Ecclesiæ de mortuis missam celebrare non liceat,precationem saltem pro defuncto Pastore missæ adijciant, vt eum Dominus in æterna tabernacula recipiat. Quo tempore populus quoque a Parochis de ea re diligenter admonitus, frequens in Ecclesiam conueniet, & religiosis precibus eius animam adiuuabit.

*De iustis anniuersarijs Episcopo faciendis. Cap. 865.*

NON illis modò diebus, quibus amissi Pastoris recens est dolor,eius animā Deo precibus sacrificijsque commendare piorum gratorumque animorū fuerit, sed iusta illi anniuersaria a successore eius quotannis, quamdiu vixerit in Cathedrali Ecclesia, suis & Capituli sumptibus exolui, & mortui pias vigilias laboresque pro Episcopali munere sanctè administrando obitos,grata piaq; memoria prosequi debebunt. Quod quidem caritatis officium viuens Episcopus libenter,diligenterque mortuo præstabit,quando idem sibi postmodum pari studio repensum iri intelliget.

*De supplicationibus pro futuro Episcopo indicendis. Cap. 866.*

PERSOLVTIS mortuo Episcopo piè, sanctèque vt supra tradidimus,funeris, & exequiarum officijs,animus ad successoris curam trānsferatur. Ac tota inde Diœcesi publicæ supplicationes ex auctoritate Capituli indicantur,quibus vniuersus populus vnà cum clero Deum religiosis, & ex intimo animo fusis precibus oret, vt orbato destitutoque gregi Pastorem dare iuxta cor suum velit, Quam quidem ad rem Parochi suos diligenti atque acurata oratione exhortabuntur.

*De Clericorum funere. Cap. 867.*

QVEMADMODVM Clerici religionis laude alijs præstant, ita præcipuo quodam sepulturæ honore affici videntur debere; statuimus igitur, vt mortuus Clericus ordinis sui ornatu indutus efferatur. Sacerdos a Sacerdotibus, alij item suo quisque ab ordine. Canonici autem corpus iuniores Canonici non quidem efferant,sed tamen honoris eius causa feretrum tollant, tradantque capellanis, quod si longius iter fuerit,horum vice Clerici alij ac deinceps alij subeant. Atque hoc quidem officium omnes sibi mutua prestare humanitate Clericos, ita iubemus, vt qui monitus a sacrista rem neglexerit, omittitque, eum vnius mensis distributionibus mulctari,mulctamque obeuntibus officium

officium adijci velimus. In Canonici exequijs Canonicorum vnus ſolemne ſacrificium ſueto cum cantu pro mortui anima faciat; omnes item illius Eccleſiæ ſacerdotes ea die ſacris ad Deum mortuo propitiandum, operentur. Idem ab alijs Sacerdotibus in Sacerdotum funere fiat.

*De funerum ſupellectili comparanda.* *Cap.* 868.

AD funerum & exequiarum officia ritè obeunda hæc in Eccleſijs præſertim Parochialibus ne deſiderentur.
Feretra.
Cænotaphia.
Cruces.
Candelabra ferrea.
Scabella.
Pallia cænotaphio contegendo.
Pallia cadaueri cum effertur operiendo.
Stragula cadaueri in feretro ſubſternenda.

DE ECCLESIIS. CAP. 869.

ECCLESIARVM, ac Templorum amplitudo, cultuſque in præcipua cura paſtoribus eſſe debet; quippe in quibus fidelium conuentus, concioneſque habentur, res ſacræ procurantur, Deus adoratur, & cœleſti illo ſacrificio placatur, quod ipſe pro humani generis ſalute in cruce perfecit. Templum denique ipſe conditor, ac redemptor noſter, cùm Domum ſuam eſſe pronunciaſſet, Domum quoque orationis nuncupauit. Eccleſiæ igitur quantum cuiuſque populi facultates ferunt, &c magnificè ſplendideque ſubſtruendæ, & ſanctiſſimè, ac ſummo ſtudio habendæ excolendæque ſunt.

*De nouis Eccleſiis ædificandis ac de ſitu earum.*
*Cap.* 870.

NOVA Eccleſia nuſquam in Diœceſi noſtra niſi conſultis, ac permittentibus nobis, ædificetur. Ac tum quoque cùm nos permiſerimus, eius ſtatuendæ noſtrum, & Architecti, quem nos adhibebimus, iudicium eſſe volumus; & in ea re hanc maximè ſequi rationem omnes iubemus. Primùm ſi loco plano, æquoque ponenda ſit, deligatur ſemper pars editior, vt ad ipſum inde Eccleſiæ pauimentum tribus ſaltem gradibus aſcendatur; & ſi natura loci ferat etiã quinque. Deinde ea cautio adhibeatur, vt loco a ſtabulis, a cauponis, a lanienis, a ferrarijs officinis, & ab omni ſtrepitu maximè remoto, item non humido, non vliginoſo, non quo ex decliui aquæ influere poſſint, & a cœno, luto, ſordibus omnibus

nibus tuto locetur. & si fieri poterit, ab aliorum ædificiorum, ædiumque parietibus vndique seiuncto. Quod vtique in pagis vbi liberiora spatia sunt, tenendum erit.

*De dote nouis Ecclesiis comparanda.* *Cap.* 871.

ECCLESIAS ædificandi vnica causa est, vt Deus in ijs adoretur, colaturque. Igitur prius ordine est, habendi diuini cultus rationem inire, & quibus ministri eius pecunijs, quibus vectigalibus alendi, sustentandique sint expedire; posterius illud, vt quanta, quamque ad formam constituenda Ecclesia sit, deliberetur, & constituatur. Non solùm igitur nullam iniussu nostro nouam Ecclesiam ædificari debere statuimus, sed qui de ea ædificanda cogitant, ante de dote illi conficienda deliberationem habere iubemus.

*Nihil in Ecclesiis noui ædificij nisi concessu nostro fiat.* *Cap.* 872.

CVM nouam Ecclesiam nullam nobis inconsultis ędificari, tum ne in Ecclesia quidem, quæ consecrata sit, nouum ędificium vllum institui, non capellas, non altaria, non denique quicquam, nisi ex auctoritate nostra, præcipimus. Sic enim & canonum iure cauetur, & rei ipsi conducit, ne quid perperam, & contra disciplinam ab imperitis construatur; quod inde aut relictum offensioni; aut dirutum damno sæpe religionis studio lapsis sit.

*De Rectoris ædibus Ecclesiæ adiungendis.* *Cap.* 873.

QVEMADMODVM sacram ædem ab nulla parte priuatorum ædibus iungi, sed vndique separari diuidique iubemus, ita proximam, ac propè adiunctam habere Rectoris domum perplacet; quæ ne si hæreat quidem ei ab latere aliquo non ferendum probandumque erit, præsertim si sacristiæ applicetur; nam sic quidem vasa, vestis, suppellexque alia Ecclesiæ eo veluti iusto custode, dies noctesque asseruante, ab sacrilegijs, furtis, incendijsq; tutior, munitiorque fore videtur.

*Quæ in Rectoris Ecclesiæ domicilio ædificando cauenda.* *Cap.* 874.

IN Rectoris Ecclesiæ domo edificanda, si Ecclesiæ ipsi adiungatur, hæc maximè caueri iubemus. Primùm ne huius structura Ecclesiæ ipsius prospectum impediat; deinde ne luminibus eius officiat; præterea ne ex ipsa domo vlla fenestra aperiatur, vnde in Ecclesiam introspici possit. Postremò ne qua ianua sit,

quæ

quæ iter, aditumque per Ecclesiam commeantibus, exportantibusque, atque inferentibus cotidiani vsus res præbeat: sed tantùm qua ipse Sacerdos exire in Ecclesiam ad sua munera, & eadem se domum recipere possit.

*De amplitudine Ecclesiæ.* *Cap.* 875.

AMPLITVDO Ecclesiæ ædificantium arbitrio, facultatibusque definienda videtur. Sed ea in re ducenda ratio erit populi ipsius, cuius in vsum Ecclesia extruetur, vt totam capere multitudinem cōmodè possit, si cathedralis, aut Parochialis, aut collegiata futura sit. In qua ratiocinatione, ac descriptione tribui vnicuique homini aliquid amplius quàm quantum cubiti dimensio in omnes partes complectitur aiunt oportere. Cui rationi addenda præterea spatia erūt Pilarum, columnarumque, ac parietum, si ea forma Ecclesia fuerit, ista vt requirat.

*De forma Ecclesiæ.* *Cap.* 876.

MAGNITVDINEM Ecclesiæ ædificantium opibus, formam intelligentis Architecti iudicio metiri oportebit. Potior tamen & cum veterum Ecclesiarum exemplis congruentior esse videtur, quæ crucis speciem reddat, siue ea oblonga, siue paribus ducta spatijs sit. Sed ne rotunda quidem damnatur, quamquam secuti hanc maximè inanium idolorum, ac simulacrorum cultores videantur. Sed crucem effingentes Ecclesiæ præferri vtique videntur debere; siquidem sacra, quæ in ijs fiunt, ad mysteria crucis ferè referuntur. In eius autem descriptione standum exercitati, atque periti Artificis consilio erit.

*De fundanda tegendaque Ecclesia.* *Cap.* 877.

DVARVM maximè partium in omni extruenda Ecclesia ratio habeatur, quarum altera ædificium sustinet, altera tuetur. Primùm quidem, vt fundamenta quam altissime fodiantur, firmissimeque locentur. Deinde vt Tectum summa diligentia construatur, ac magno robore inter se ita reuinciatur, vt pars parti muniméto, fulturæque sit; totaque compago validissimè cōnexa consistat. Quid enim profit egregiam substructionem excitasse, si breui subsidente parum stabili fundamento, corruat? aut Ecclesiam pulcherrimis picturis, signisque ornasse, totamque marmoribus, atque auro illustrasse, si male tecta, maleque a pluuiæ, atque cœli iniuria defensa, breui cuncta putrescere, ac dilabi necesse sit?

*De Tecto interiori, de pauimento ac de parietibus Ecclesiæ.*
*Cap.* 878.

TECTI verò partem interiorem laqueatam, an fornicatam fieri præstet, consilium ex re ineundum erit. Laqueatum quidem tectum, & aliquot Romæ vetustarum Basilicarum vsus, & ipsius mysterij significatio suadet. Fornicatum verò diuturnius ac ferendæ ætati aptius, & ab incendijs tutius videtur. Pauimentum, vt pro ædificantium facultatibus, atque ædificij ipsius modo, quàm splendidissimum fiat, enitendum erit. Si e sectili marmore, alioque solido lapide, opere tessellato, & scutulato fieri nequeat, & latericium facere necesse sit, tum vt laterculis coctilibus, bene inter se confricatis, & cum studio commissis, quàm æquissime vt sternatur curæ architecto, redemptoriuè erit. At illud quoque cauebitur, vt in pauimento ne Crucis, neuè sanctorum vlla imago, aut vllus omnino sacrorum mysteriorum typus exprimatur; neque enim hæc subijci vestigijs & conculcari, & conteri pedibus decet, quibus honor, & veneratio debetur. Postremò parietes firme, ac solide ædificari, atque opere tectorio incrustati, aut certe quam diligentissime vndique inalbati vt sint, curetur. Extrinsecus autem ab Ecclesiæ parietibus arbores remoueantur, ne radices suapte vi serpentes sub terram, inserentesque se, subruant fundamenta, labefactentque, neuè rami diffusi fenestras opacent, luminibusque officiant. Vites item, ederæque, atque alia huiusmodi prorsus succidantur, conuellanturque. Quin a Rubis quoque spinisq; & ab herbis obnascentibus purgentur, nec cementa, lapidesuè Ecclesiarum parietibus congeri sinantur.

*De capella maiori.* *Cap.* 879.

CAPELLA maior, in qua Chorus quoque construi, & exędificari solet, in summa Ecclesia, in aduersa parte aditus, e regione maioris ostij, edito atque eminenti loco statui debet; sic vt Sacerdos ad Aram maximā sacra faciens, eam cœli plagam spectet, vnde sol oritur. Quod si id ratio situs non ferat, tum Episcopi arbitrio permissuque licebit ingenio loci obsequi, & aliò vertere. Hanc Capellam fornix egregia structura tegat, fornicem musiuum opus, si tanta amplitudo, tantæque Ecclesiæ opes sint, aut certè pictura magnificè exornet. Pauimentum eius pro ratione, ac situ Ecclesiæ paulo altius reliquo solo extruatur. Gradus autem quibus ad pauimentum Capellæ ascendetur, apta latitudine solido ex lapide, & impari numero fiant, vt aut vnicus, aut tres sint, aut quinque.

*De Altari maiori.* *Cap.* 880.

IN maiori Capella maius Altare statuatur. Ad illud tribus ascendatur gradibus, quorum duo solido ex lapide fiant, tertium ipsa lignea Predella, quam Sa-

cerdos pedibus premit, efficiat. Ab hoc ligneo gradu seu Predella altare haud minus duobus cubitis, & vncijs circiter octo extet. In longitudinem si patiatur loci amplitudo, quinque pateat cubitos, & eo etiam amplius, pro Capellæ, atque Ecclesiæ magnitudine. Latum sit pro modo longitudinis, & loci ratione. Parieti non ita applicetur, quin ab eo saltem cubitum vnum, ac dimidium distet, vt ad ministeria circumiri, cùm vsus poscit, commodè possit.

### De Tabernaculo Sanctissimæ Eucharistiæ.
### Cap. 881.

VBI ratio, & situs loci patiatur, in summo Altari Tabernaculum, quo diuina Hostia asseruetur, collocandum erit. Vt quod maximum est fidei nostræ Sacramentum, id etiam eo loco constituatur, vnde maximè omnium conspectui pateat. Id autem pro facultatibus, atque amplitudine Ecclesiæ quàm amplissimum, magnificentissimumque fabricari debet. Quid enim tam splendidum, quid tam sumptuosum dici potest, quod non infra rei dignitatem sit? aut vbi gemmas, aurumque, & argentum rectius ponas, quàm in eo ornando opere, quod Dei ipsius veluti domicilium futurum sit? Tabernaculum igitur si fortè marmoreum sit, aut æneum, tabellis introrsus ligneis circumamiciri, vt ab humiditate, quam marmor metallumque gignit, diuina Hostia defendatur, debebit; si ligneum (quod ferè mos obtinuit) fiat, totum auri tenuibus bracteis obducatur, picturisque ac sigillis, Christi Domini res gestas, & maximè cruciatus, necemque eius exprimentibus, distinguatur, decoreturque. Forma de periti artificis cõsilio statuatur; summo eius vertici, aut imago aliqua Iesu Christi, aut Crux imponatur. Altare vbi Tabernaculum locandum fuerit, ea latitudine sit, vt spatij in frontem vergentis satis relinquatur Sacerdoti, ad sacra in altari commodè peragenda, ne explicandi corporalis, aliaque ministrandi angustia laboretur; cauendum tamen erit, ne id ipsum spatium tam latum sit, vt Sacerdos plus æquo porrigere brachia ad Eucharistiam depromendam, aut adeo gradum ligneum adhibere cogatur. In Tabernaculo ostiolum sit, ita patens, vt Eucharistiæ Vasculum, seu Pixis, eò inferri, efferrique commodè possit, idque ostiolum aurata claui, seraque claudatur.

### De Choro. Cap. 882.

A Choro, vbi fieri poterit, populus penitus secludatur, separeturque. Nam neque mos, disciplinaque veterum fert, neque omnino æquum esse videtur, vt cum clericis diuinas res procurantibus, diuinaque officia obeuntibus, seculares homines intermisceantur. Chorus igitur siue à fronte, siue a tergo altare circumdet, cancellis obsepiatur, in eumque præter Clericos nemo admittatur. Duplici autem sedium ordine ædificetur, quarum posterior editior sit. Sedes

ipsæ nucea materia fiant, eo numero qui cleri multitudinem omnem quam cō- modissimè capiat; ac si diuitis Ecclesiæ Chorus fuerit, magnificè elaboretur, & ad varias sanctorum effigies, seu vermiculato opere intersitis aptè tessulis perornetur, siue simulachra ipsa exculpantur, emineantque.

*De minoribus Capellis.* *Cap.* 883.

PRÆTER maiorem Capellam; maioremque Aram, aliæ etiam minores capellæ Aræque pro Ecclesiæ forma proque substructionis magnitudine, ædificandæ statuendæq; erunt; qua in re eam scilicet rationem sequi oportebit, quā industrius exercitatusque Architectus præscribet. Illud nos monemus Altare altari non ita succedere debere, vt sacrificantes Sacerdotes ipsa se propinquitate interturbent, impediantque. Proinde seu Capellæ in lateribus Ecclesiæ extra ipsam Ecclesiam promineant, siue intra eius corpus altaria extruantur, paribus omnino inter se spatijs distent, parque sit in vtroque latere numerus, alterumq; alterius è regione statuantur; nec plura sint, quàm ipsa sunt Ecclesiæ intercolumnia, si eo ædificij genere constabit. Par quoq; statuatur singularum Capellarum, atque Altarium latitudo, longitudo, atque altitudo, vt omnia inuicem conuenientia, similiaque cernantur. Caueatur altare ne subter suggestum, neuè sub organo ædificetur; neuè Ostijs adhærens, neuè in pariete, quæ frontem Ecclesiæ efficit, e regione maioris altaris, ne, quod minimè decorum est, Sacerdos sacra faciens ipsi Altari maiori terga vertat. Ea quoque cautio adhibeatur, ne altaria, quæ Ecclesię parieti applicantur, clatris vllis vllisuè cancellis obsepiantur, circundenturque, ne ea re ipsa occupentur impedianturque Ecclesiæ spatia.

*De Crucifixi statua in Ecclesia ponenda.* *Cap.* 884.

CVM vni Christo Domino auctori, & cōditori nostro, nostrā oēs salutem acceptam ferre, vni verum fidei cultū tribuere, vnum summa pietate diligere, vni fidere, vnum implorare debeamus, par quoque est, vt in omnibus Ecclesijs primum omnium sanctum illius signum sublimi, atque excelso loco positum, conspiciatur; in eum maximè habitum figuramque formatum, qua nobis salutem peperit. Igitur eius cruci affixi ingens simulacrum ligno, aut alia materia quam verissimè exculptum, in aditu maioris Capellæ, sub ipso fornicis arcu, qua curuari incipit, transuerso, atque vtrinque innixo Tigno, erectū in spatij medio collocetur. Quod si arcus ipse humilior esset, quàm vt commodè poni eo loco posset, supra ipsum arcum parieti hærens applicetur, aut ita omnino locetur, vt Ecclesiam intrantium oculis, celso ex loco primum occurrat.

De

### De Altaribus. Cap. 885.

ALTARIA haudquaquam lignea, sed marmorea, aut certè lapidea lateritiaue extruantur, solido vndiq; opere, sic vt nullum foramen, nulla fenestrella in ijs relinquatur, vbi asseruari quicquam condiuè possit. Licebit etiam lapideum quaternis collumellis, quaternisuè pilis imponere. Quin singulos angulos columellis pilisuè suffulciri vtile fuerit, quamuis pars reliqua muro expleatur; cùm enim angulos chrisinate illiniri in consectatione mos sit, periculum est, ne si lateritij sint, breui ea parte attriti, collabantur. Altaria autem ipsa in latitudinem haud minus duobus, in longitudinem haud minus quatuor cubitis pateant. Altaria vetera, quæ spoliata, aut squallore obsita sint, ex ipsorũ fructibus instaurentur, nec nisi necessariò destruantur; noua ne ædificentur, quibus iusta dos ad eorum cultum ante attributa non sit. Consecrati altaris mensa licèt lateritia sit, cerata tela sternatur, quæ ita hæreat, vt amoueri inde facile non possit. Peractis sacris ne mappæ altareque puluere sordibusuè vllis inquinẽtur, rectè totum viridi tela contegetur.

### De mensa deque loculo Reliquiarum Altaris. Cap. 886.

MENSA quæ altari imponitur, totumque consternit, marmorea sit, aut solido, atque eo, si fieri potest, vnico ex lapide. Sin minus pluribus, & diligenter vna agglutinatis coæquatisque In mensa loculus scalpello excauetur, in eoque reliquiæ sacræ condantur. Loculus lapideo operculo aptè firmiterq; obstruatur, itaque exæquetur, vt nihil emineat; operculo ipsi crux insculpatur, iuxtaque litteræ, cuius reliquiæ sint, modò constiterit, significantes incidantur.

### De fenestella Vrceolorum. Cap. 887.

AB eo Altaris latere, in quo Epistola recitatur, fenestella in pariete fiat, marmore solidouè lapide circumornata, solo leniter in parietem decliui, vt eo peluicula, cum vrceolis aqua, vinoque plenis ad sacrificij vsum reponi, dum Sacerdos sacra facit rectè possit. Propè parietem paruum foramen habeat, quo aqua ablutarum Sacerdotis manuum, à Clerico effusa excipiatur, & in suffosam cisternulam deducatur. Fenestella à pauimento cubitis duobus distet, altari quã commodum videbitur proximè accedat. Si aut desit fenestella, aut ea minus placeat, eodem loco nucea parua mensa eleganti opere statuatur, quæ eundem vsum reponendi vrceolos præbeat.

*De Altari portatili.* *Cap.* 888.

PORTATILE Altare dicitur consecratus lapis sectus, plana æqualiq; sectura. Hic longus sit vncias viginti, latus sexdecim; vt in eo commodè, & Calix, & Hostia collocari à sacrificante Sacerdote possit; ita autẽ in media mensa altaris statuatur, vt lõgitudo eius à fronte in terga altaris ipsius dirigatur: marmoreus sit ac diligenti fricatione expolitus. lignea in capsa e nuceis tabellis per bene inter se nexis conglutinatisq; confecta, inseratur, ita vt neq; lapis e medio, neque tabellæ a lateribus, qua lapidem ambiunt, ac circumplectuntur, quicquã emineant, sed prorsus coæquentur, capsaque, si inclusarum reliquiarum nomina extant, inscripta habeat. Cùm verò hunc aliò portari transferrique lapidem oportebit, id ita fiat, vt penitus alia in capsa, aut lineo sacco includatur, ne attrectari contingique a non sacratis hominibus possit. Quin lapis ipse rectè linea tela obducetur contegeturque, & tela minutis clauulis vndique configetur, amoueri vt non possit.

*De suggestu.* *Cap.* 889.

SVGGESTVS in insignioribus Ecclesijs duo statui debebunt, ad Euangelium, Epistolamq; e superiori loco ad populum, celebrioribus præsertim diebus, pronunciandam. In Parochialibus collegiatisque saltem vnus, vnde Parochus populum alloqui, & concionem habere possit. Marmoreos, lapideosque olim fieri mos fuit, vt quædam Romanę Basilicæ vetustiores ostendunt; nunc lignei ferè vt fiant obtinuit vsus. Ædificentur autem sectilibus tabulis nuceis, aut populeis, concinno, ac decenti opere. A tergo iisdem tabulis ad iustam altitudinem educentur, vnde supra caput concionantis tectum eodem opere quantum singuli parent pulpiti promineat, ne vox in altum per inane ablata, dissipetur, atque euanescat. Sed eo repercussa tegmine expressior ad aures perueniat. Vbi vnus tantùm erit, in ea parte statuatur, vnde Euangelium recitatur, loco conspicuo, vt ex eo Concionator videri, exaudirique ab omnibus possit, & ipse omnia oculis perlustrare. Ab altari maiori si ferat Ecclesiæ situs, ne longissimè remoueatur, vt Sacerdos inter sacrificandum verba facturus, plus æquo abscedere ab sacrificij loco, ne cogatur. Concionator in conspectu simulacrũ Domini Cruci affixi habear, in ipso suggestu, loco idoneo constitutum.

*De Ecclesiarum sedilibus.* *Cap.* 890.

VT clamorum, & contentionum causæ, quæ sępe in Ecclesijs, præsertim inter fęminas, de collocandis sedilibus oriuntur, remoueantur, & simul Ecclesiarũ ipsarũ spatia liberiora sint, minusque occupentur, statuimus, vt ipsa sedilia ex oibus Ecclesijs auferantur, nec in posterũ nisi ex auctoritate nostra ponatur.

Et

Et mulieres cùm ad concionem, aut aliam celebritatem, qua opus sessione sit, in Ecclesiam conueniunt, suam quæque muliebrem domestici vsus sellam ferat, ferriuè iubeat, eandemque abeuntes auferant.

*De fenestris Ecclesiæ.* *Cap. 891.*

DE fenestrarum Ecclesiæ, seu capellarum forma, & magnitudine, nihil est quod a nobis magnopere præcipiatur; cùm consilium omne ex ædificij ratione capiendum, & a perito architecto petendum sit. Id modo monemus, quod usus plurium Ecclesiarum suadere videtur, vt fenestræ oblongæ, & a parte superiori arcuatæ fiant, & paulo intrinsecus quã extrinsecus latiores. Hæc enim forma & plus luminis excipere, & quandam mysterij rationem a patribus traditam habere dicitur. Tantùm in fronte supra ostium maius vnica circuli in modum fenestra quàmlatissime aperiatur; quæ Ecclesię oculus appellari consueuit, quòd ex ea plurimum luminis inferatur. In Capellis, si situs ratio ferat, ab vtroque latere fenestræ struantur. Quod si ab oculo, alijsque fenestris non satis hauriri luminis videbitur, licebit a tergo Capellarum fenestras aperire, ita tamen vt nullo modo supra altare sint, quod parieti adhæret, neque eius vllam partem occupent valde; enim a rei sanctitate abhorreret, si quid pluuiæ aquæ per fenestrarum rimas in altare influeret, instillaretque. Altè præterea a pauimento quantum potest omnes extruantur, omnesque si per facultates liceat, ferreis clatris muniantur, & vitreis valuis claudantur; vitra ipsa quam maximè pellucida sint, nec picturis vllis inficiantur, nisi forte in medio sancti alicuius imago depingi placeat, ne lumen ipsum minuatur coloribus & obumbretur: extrinsecus etiam æreis e filis rete obiecto, ab iniuria defendantur. Sicubi verò fenestrarum valuæ, vt opere vitreo fiant Ecclesiæ tenuitas non feret, linea tela candida cera illita, instruatur: omnes autem ita comparentur, vt aperiri, claudique possint, quo vapores eo præsertim tempore cum purgatur, verritutque Ecclesia penitus exhalent.

*De Ostijs Ecclesiæ.* *Cap. 892.*

OSTIVM sacræ ædis reliqui ædificij sumptui amplitudinique respondeat. In quo illud primùm caueatur, arcuatum ne sit, vt ipso etiam opere a prophanarum ædium ianuis, vrbiumque portis differat. Quadrangulum, quod veterum templorum vsus probat, fiat; & quò humilitas vitetur, duplo saltem extruatur altius quàm quantum latitudo patet. Superiori parte si addere coronicibus semicirculum libeat, in quo signnm aliquod locetur, aut sacræ imagines pingantur, de Architecti cõsilio licebit. Si ædificij amplitudo ferat, in fronte Ecclesiæ tria Ostia aperiantur, quorum medium patentius, ornatiusque sit. Quæ quidem consuetudo trium ostiorum cum alias ob causas inducta videtur, tum vt non eodem aditu, sed distincto viri mulieresque Ecclesiam intrent.

*De Valuis Ecclesiæ.* *Cap.* 893.

VALVARVM quoque Ecclesiæ non postrema cura fuerit; ornatæ quidem, politæque, ac nucea, si fieri poterit, materia sint, coronicibus, alijsque concinnè distinctæ, celatæque, sed maximè firmitudini ac robori studendum erit, & validis asseribus fabricandæ, fulciendæque, tum ferreis clauis percrebris firmè configendæ. Firmis quoque cardinibus voluantur, ijsque ita innitantur, vt nullis sustolli, euertique vectibus possint; grandibus præterea pessulis, & seris, & clauibus quam tutissime muniantur. In lateribus templi ostium aperiri, nisi aut Sacristiæ, aut campanilis adeundi necessitas cogat, non probant periti horum ædificiorum artifices. Vtique ab altaribus remouent, ac ne è regione quidem eorum fieri patiuntur.

*De Turri Campanili.* *Cap.* 894.

ECCLESIÆ insigniores adiunctam Turrim habent, quam ab æreis campanis, quæ in illis suspenduntur, campanilem vulgo vocitant. Hęc quadrata forma sit, & quantum ratio, atque ædificantium opes ferent, altè extruatur. Intus tabulatis distinguatur, quorũ imum fornicatum esse debebit, item summum; singula fenestras habeant oblongas, angustasque. Quæ autem summo in tabulato fenestræ ædificabuntur, ampliores, patentioresque sint, & columellis, aut pilis vt visum Architecto fuerit diuidantur. Ostium firmis ex asseribus fabricatum, firmis pessulis, & claui muniatur, clausumque habeatur, pręterquã cùm pulsatis campanis opus erit: Scalæ quibus in turrim scanditur, si poterit, cochlides fiant, sin minus alia forma, dum commodè ac sine periculo conscendantur. Turris fastigium non lata fornice tegatur, sed turbinis more in peracutum: & quam maximè in altum porrectum cacumen desinat, in eiusque summo galli effigies, mysterij causa, firmissimè affixa, erectam crucem sustineat.

*De alia Campanilis forma.* *Cap.* 895.

IN quibus Ecclesijs propter vectigalium tenuitatem Turris hæc tanto sumptu excitari, extruique non poterit, in angulo Ecclesiæ ipsius ad dextram intrantium, extra Ecclesiam ipsam prominens iudicio architecti, quantum supra tectũ emineat, ædificetur. In quam ab Ecclesia aditus, ostiumque sit, quod clausum perpetuò habeatur, præterquam cùm pulsandæ Campanæ erunt. Ast vbi ne id quidem Ecclesiæ inopia patietur, deligatur locus de Architecti consilio, vbi in summa pariete arcuatæ fenestræ è coctis lateribus, supra tectum extruantur, interque ipsas fenestras versatili fulcro appendãtur, ea adhibita cautione, ne funes è campanis in Ecclesiam demissi, in Capellam maiorem, aut in medium ostium, aut omnino apertum, conspicuumque in locum, sed remotum sepositumque

exeant.

exeant. Et ipsi a tecto per ligneos tubos in fornice insertos dimittantur, ne fornicem ipsam tractu crebro, sensim obrodant effringantque.

*De Campanis.* *Cap. 896.*

CAMPANÆ in Cathedralis Ecclesiæ turri haud minus quinque sint; in collegiata haud minus tribus; totidem in Parochiali, si per eius facultates liceat. Vbique non numero solùm, sed magnitudine quoque & pondere dispares sint, quo ex earum omnium simul pulsatarum dispari tinnitu, & quidam concentus existat, & ex singularum pulsatione varíet, pro varietate diuinorum officiorum sonus, quorum signum Campanis datur. Nulla Campanarũ Ecclesiæ vsui adhibeatur, quin prius solemni ritu è pontificali libro petito, consecretur, & cõsecrationis ipsius monumentũ aliquod vel in turri ipsa, vel in Ecclesia consignetur. Illud quoque in Cãpanis fundendis seruetur, ne quid profanum in ijs, non insignia, non nomen preterquã Sancti Ecclesiæ custodis, aut imago incidatur.

*De suppliciorum signo Campanis non dando.*
*Cap. 897.*

CAMPANARVM sonus, vsusque veteri Ecclesiæ instituto proprius sacrorum, & locorum, & officiorum est; repertus vt earum pulsatarum tinnitu, sonituque signum populo ad templa, sacraque conueniendi daretur. Id sensim a diuinis rebus, ad prophana quoque translatum, adeo per summam cuncta confundendi licentiam, ab origine, pristinoq; instituto moreq; deflexit, ac degenerauit, vt eodem signo ad spectanda sontium supplicia plebs inuitetur, conuoceturque. Quod cùm indecorum, indignumque videatur, iudices magistratusque hortamur, vt hoc signum tuba potius, alioue instrumento dent, Campanis abstineãt; vtique eas quæ addictæ Ecclesiæ, & consectatæ sunt, ad hunc nos vsum adhiberi vetamus.

*De Sacrario, seu Sacristia.* *Cap. 898.*

IN omnium Ecclesiarũ ædificationẽ magna habenda ratio sacrarij est; quod vsitato iam vocabulo sacristia dicitur; locus scilicet vbi sacra vestis, & Ecclesiæ supellex omnis reconditur; vnde qui rem diuinam facturi sunt, ornatum instrumentumque sacrorum sumunt. Ecclesiæ adiunctus hærensque esse debet, nec longe a maiori altari remotus, nec, in cathedrali præsertim, ita propè situs, vt ordines, pompaque ad solemne sacrificium prodeuntium ministrorum celebrioribus diebus explicari nequeat: sit autem conclaue amplum pro magnitudine Ecclesiæ, & copia supellectilis, valida super camera, ac fornice tectum, fenestratum, illustreque, & fenestræ ferreis clatris, & vitreo opere muniantur, Armarijs, longurijs, alijsque rebus instructum, de quibus quia supra abundè disseruimus, non est quod eadem hoc loco iteremus.

De

*De Ecclesiarum nitori studeatur.* Cap. 899.

EXPOSITIS breuiter, quæ in ædificatione Ecclesiarum aduertenda esse duximus, sequitur, vt de earum cultu, ac nitore pauca disseramus. Ac primùm parietes diligenter dealbentur, pauimentum vbi opus esse intelligitur, reficiatur, ne quid fractum, ne quid depressum, aut eminens sit. Tectum quoque sartum habeatur. Deinde ne puluere, situque sordescant, non pauimentum solùm, sed parietes etiam ac tectum, seu laqueatum, seu fornicatum sit, saltem octauo quoque die sedulo scopis conuerratur. Quod tamen fieri eo tempore non debebit, cùm aut Missę sacrum, aut diuina alia officia celebrantur. Altaribus item, altariumque integumentis, atque ipsis sacris imaginibus puluis sordesque excutiantur; adhibitis ad id vulpium caudis, summæ virgæ illigatis. Denique vt nitida splendentiaque omnia in Ecclesia, Ecclesiæque cultu sint, magnæ Rectoribus curæ esse iubemus.

*Quæ fieri in Ecclesijs Rectores earum pati non debent.* Cap. 900.

ECCLESIAM Domum orationis ipse vocauit Dominus. In ea igitur cũ debitus Deo cultus tribuendus est; tum nihil quo cultus, locusque ipse despici contemptuique haberi videatur, committendum. Tutæ rectori sit, ne quis, præsertim dum diuina officia celebrantur, in Ecclesia spatietur, neuè nugetur, neu cætus habeat, negotijsuè operam det, neu in limine, aut ante fores immoretur, neuè auersus quis a sacramento Eucharistiæ sedeat, neuè, cum in missa sustollitur stet; neu diuina officia vllo modo perturbet, aut omnino irreuerenter in Ecclesia versetur. Ne verò cum mulieribus colloquatur quisquam, præsertim de quibus esse suspitio aliqua possit. Neminem seu secularis, seu Clericus sit, in Ecclesia, eiusuè atrio, aut cæmiterio, aut porticu, vestibulouè quicquam venale proponere, ne id quidem quod ad sacrificij, aut Ecclesiæ ipsius cultum pertineret, patiatur, non frumentum, non legumina, non fruges, non fabrilia instrumenta, non trabes, tignaque, non vllum profanæ supellectilis genus in Ecclesia asseruari; nec populi concilia in ea haberi, neque scolas nisi christianæ doctrinæ docendi causa. Cum venaticis canibus, accipitribusque intrare Ecclesiam, sacrisq; interesse quemquam ne ferat, ac ne hastas quidem, ac sclopos inferre. Denique mendicos quoque, dum sacra fiunt, vagari per Ecclesiam ne permittat, sed eos ante fores consistere, stipemque ab intrantibus, atque exeuntibus petere iubeat.

*Noctu in Ecclesia nemo versari permittatur.*
*Cap.* 901.

ILLVD quoque Rector Ecclesiæ, aut cui a Rectore datum negotium fuerit, diligenter caueat, ne quis in Ecclesia pernoctet, eiusque fores primis intendentibus se noctis tenebris, claudat; neque per noctem in Ecclesiam admittat præter Sacerdotes, quemquam; nocte excepta quæ diē Natalem Christi antecedit; quo tempore nocturna sacra ex Ecclesiæ instituto celebrantur; ac ne tum quidem, si fieri poterit, populum excubare, ac peruigilare intra septa Ecclesiæ patiatur.

*De sacra Supellectili ad profanos vsus non commodanda.*
*Cap.* 902.

CAVEANT etiam atque etiam Ecclesiarum Rectores ministrique, ne vestes, vasa, ornamenta, instrumentaque alia sacris addicta, aut omnino quicquam ex sacra supellectili, prophanis hominibus, aut prophanos ad vsus cuiquam commodent. Qui ita commodauerit, grauiter arbitrio nostro punietur. Quin illud quoque caueri volumus, ne altariū palia ad ornandos suggestus adhibeantur, sed propria ad eam rem ornamenta pro cuiusque Ecclesiæ facultatibus, comparentur. Puluinaria verò, quæ in Altaribus Missali supponuntur, nullo modo, ne Episcopi quidem, ne dum aliorum genibus subijci, aut omnino ad vllum profanum vsum adhiberi, iubemus.

*De profanis ædificijs sacras ædes attingentibus.*
*Cap.* 903.

SICVBI profanum ædificiū a laicis constructum Episcopus repererit, quod Ecclesiæ aut Oratorij parietibus continens, hærensque sit, quo id iure quaque auctoritate ædificatum sit, cognoscat, Dominumque ædificij docere, atque ostendere iubeat. Quod non iure factum esse constiterit, dirui, amolirique, & materiam inde asportari præcipiat, nisi Ecclesiæ cui adhæret, adiudicare de voluntate Domini maluerit: sin autem bono iure ædificatum intellexerit, sed sordido vsui accommodatum, addictumque, vt ibi stabulum, aut laniena, aut aliud immundum opus fiat, amoueri sordes, & ad honestiorem vsum conuerti protinus iubeat; ac tale quid in posterum ædificari, aut ad sordidum vsum adhiberi, prohibeat.

*De arculis Eleemosinæ causa propositis.* *Cap.* 904.

NE quis Ecclesiæ Rector cupiditate prouehatur, & pij officij specie sordido quæstui studeat, vetamus vllam in Ecclesia, aut Ecclesiæ foribus arculam, capsulam-

capsulamuè proponi, quo in eam stipes Eleemosinæ causa a prætereũtibus conijciantur, ne fabricæ quidem, vel Ecclesiæ ipsius nomine, nisi eius rei permissa a nobis facultas fuerit. Quæ arcula permissu nostro proposita erit, eam binis clauibus diuersi operis claudi iubemus, quarum altera pęnes Ecclesiæ Rectorem, altera penes eum quem Episcopus nominauerit, asseruetur. Si quis secus fecerit, & collecta pecunia pio alicui operi arbitratu nostro adscribetur & ipse qui venia non impetrata ea ratione numulos captauerit, a nobis pro culpæ modo mulctabitur.

*De Ecclesiæ fabrica. Cap. 905.*

SI qua Ecclesia, redditus, bona, pecunias proprias fabricę habet, hę ad alios, quam institutum est, vsus ne transferantur. sed tuendis Ecclesiæ edificijs, & vbi opus sit sarciendis, impendantur, nisi necessitas vtilitasque Ecclesiæ ipsius aliter postulare videatur; quod tamen ad nostrum arbitrium iudiciumque referri, nec sine auctoritate nostra fieri, præcipimus. Qui verò rei administrandę præpositi sunt, singulis annis accepti, atque expensi codicem ad nos afferant, & rationes gesti muneris sui nobis reddant.

*De Ecclesiis labentibus. Cap. 906.*

QVÆ Ecclesiæ aut dirutę prorsus, aut vetustate labefactatæ ruinã minantur, eas ex pręscripto Tridentini Concilij, eorum sumptibus ad quos pertinet, instaurari, restituique mandamus; aut si ita nobis videbitur, aliò transferri; siue illę curatę, siue simplices, seu sacella & oratoria sint. Lapides autem, cæmenta, rudera, tigna, & reliquam materiã dirutarum Ecclesiarum ad prophana ædificia adhiberi, nisi iusta intercesserit causa, & ex auctoritate nostra, vetamus: Legi enim, quæ semel Deo consecrata sunt, ad priuatos hominum vsus non transferri iubenti, obtemperari sanè volumus. Altaria item sub dio ędificata, si septa munitaque non sint, aut sepiri, munirique, aut amoliri iubemus.

*De Oratorijs in publico sitis. Cap. 907.*

QVÆ Oratoria, ędiculæuè iuxta vias publicas extructę sunt, in quibus sacrę modo imagines aliquæ, sine vllo altari, pictę cernuntur, hę ostiũ habeant, & claue, seraque claudantur, clauisque apud Parochum asseruetur, intra cuius Parochię fines sunt. Ostij Valuę cancellatę, clathratæue sint ligneis clathris, vt cùm clausę sunt, introspici tamen a viatoribus possint. At in posterum in agris, publicisque vijs nihil tale ędificetur, nisi eius rei facultate a nobis impetrata.

*De confugientibus ad Ecclesias.* Cap. 908.

TANTA semper habita Templis veneratio est, vt ipsa quoque antiquitas, atque illi ipsi inanium deorum cultores, loca quædam sacrosancta habuerint, ad quæ qui confugissent, vlla vi abducere aut omnino violare fas non esset. Id iuris christianis Ecclesijs diuinis, humanisque legibus tributum, diligentissime retineri, custodirique præcipimus: neque permitti, vt a quoquã minuatur. Ad Ecclesias & loca sacra confugientibus nemo vim afferre audeat; prætèrquã publicis grassatoribus, nocturnisque agrorum populatoribus, & ijs qui per insidias, aut proditionem cædem fecissent, quique in ipsis sacris locis spe impunitatis deliquissent. Nam quemadmodum sanctas inuiolatasque habere Ecclesias & loca sacra conuenit, ita committendum non est, vt illæ, tamquam Asyla, sceleratis, & facinorosis hominibus tutum perfugium præbeant.

*Clerici neminem damnatum in loca sacra recipiant.* Cap. 909.

CAVEANT Clerici omnes omnium ordinum, ne quem exulem, aut damnatum, aut criminosum, aut obæratum ex tuto ac libero loco in eorũ Ecclesias transire cupientem, recipiant, aut omnino postulanti assentiantur, priusquã nos de eo consuluerint, & quid ipsi statuerimus expectarint. si contra fecerint ijs excommunicationis pœnam indicimus, ac alias item pœnas, quas meriti nobis videbuntur. Quod si Clericis minimè præmonitis istorum aliquis in clerici domum sacrumuè locum profugerit, clericus statim nos de eo faciat certiores, & quod statutum a nobis fuerit, id sine mora exequatur. Nos autem re cognita diligenterque perpensa, ac hominum, locorum, temporisque ratione habita; quod Ecclesiæ immunitati, sacrorum locorum honestati, & canonum voluntati consentaneum esse videbitur, decernemus, illud in primis cauentes, ne qua ex parte Ecclesiasticæ immunitatis ius imminuatur.

*Cæsorum Cadauera in Ecclesiis ne inspiciantur.* Cap. 910.

IN Ecclesiis sacrisque locis nihil eorum fieri agitariuè decet, quæ ad iudicia, forumque, & maximè ad rerum capitalium inquisitionem pertineant. proinde ne occisorum quidem corpora a iudicibus, aut a Notarijs maleficiorum recognosci in Ecclesia inspicique permittantur, sed eò illata inde exportentur, & cædis cognitio a sacris locis prorsus remoueatur.

*De Consecratione Ecclesiæ.* *Cap.* 911.

VIDEANT omnes Ecclesiarum Rectores diligenterque vestigia consecratæ Ecclesiæ perquirant, & vbi nullum monumentum in tabulario, nullum in columnis, lapidibusuè apparebit, nec testes denique, nec indicium consecrationis vllum extabit, consecrandam suam quisque primo quoque tempore Rector Ecclesiæ curet; parem quoque de Altaribus diligentiam habeant. Nemo autem contra quam opinatur, de consecratione testetur, qui testabitur, quã Canones statuerunt pœnam subibit. Cùm autem consecranda Ecclesia erit, solemni semper ritu, cerimoniaque a Romano Pontificali præscripta, fiat. Pridie eius diei, quo consecranda erit, populo ieiunium suppplicationesque indicantur; dies autem ipse festus agatur, nec vllo seruili opere violetur, ac ne memoria actę rei facile intereat, in librum huius rei causa comparatum, referantur, dies, annus, testesque, & in ipsius quoque Ecclesiæ lapide aliquo conspicuo in loco posito incidãtur; idem de Altaribus, cemiterijsque fiat. Ecclesia autem semel ritè consecrata, de integro consecrari nõ debet, nisi funditus euersa excisaq; reædificetur.

*De pollutis Ecclesiis reconciliandis.* *Cap.* 912.

CONSECRATA semel Ecclesia, si violetur, polluaturque, deintegro benedicenda, reconciliandaque ab Episcopo erit. At si ante nulla fuerit consecratione deuincta, sat fuerit, si a sacerdote quocunque benedicatur, & expietur. Violatur autem, ac polluitur Ecclesia, primùm effusione sanguinis, si vulnus, ictusque inflictus eo animo fuerit, vt vis atque iniuria saucio inferatur. Deinde profundendo de industria humano semine, aut corpus cum fœmina miscendo, si id palam sit. Prætere a si excommunicatus, aut christianæ pietatis, fideique expers aliquis in ea Ecclesiasticæ sepulturæ mandetur; quod si fiat, etiam deradendi parietes Ecclesiæ erunt. Postremò si incendio consumpta, aut dirutis parietibus, restituta, instaurataque sit, solemni ritu lustranda ab Episcopo, benedicendaque erit. Ne illud quidem ignorari debet, polluta Ecclesia eius quoque pollutum cemiterium dicitur, cùm si cemiterium ipsũm polluatur, non propterea polluta Ecclesia sit. At in Ecclesiæ pollutæ altaribus nisi postquam Ecclesia ipsa reconciliata expiataque fuerit, sacrum faciendi ius non est, quamuis Altaria ipsa expiatione, aut lustratione nulla indigeant; neq; enim quia polluta sit Ecclesia, polluta Altaria dicuntur.

*De Ecclesiæ prophanatione.* *Cap.* 913.

SI quando res, vsusque postulauerit, vt ædis sacra, profana fiat, ad profanosq; vsus transferatur, id primò non nisi necessariò faciendum, deinde ritè cauteque exequendum erit. Aliquot ante dies sanctorum corpora, reliquiæque, si

quæ

quæ in ea asseruantur, conduntur que, diligentissimè inspici, recognoscique debebunt; & inde in viciniorem Ecclesiam, aut aliam arbitrio nostro transportari: sacræ item imagines pari cura auferendæ erunt. His ablatis Sacerdos, cui nos huius rei scriptâ facultatem dederimus, ad altaria diruenda aggredietur; ac primû quidem altare maximum adiens, positis ante illud genibus, Dominicam orationem, & Angelicam salutationem recitabir; atq; his adijciet precationẽ eius sancti propriam, cui ipsum dicatum erat altare. Detractis inde mappis integumentisque omnibus, altare nudabit, & sacratum lapidem aptè è mensa eru tum, euulsumque, & suis ablutum, atque absterfum manibus amouebit, aquam que in sacrarium abijcet, & si quæ reliquiæ sub sacrato repertæ lapide erunt, eas cum cura asseruabit, nobisque nunciabit. Quibus rebus à Sacerdote administratis, fabri altare demolientur; idem in singulis altaribus seruabitur. Quibus amolitis, operæ huius rei causa adductæ, ossa mortuorum è sepulchris effodient, exerentque, eodem Sacerdote tacitè, vt supra tradidimus, pieque Deum adorante; effossa inde apteque composita efferentur, præeunte ordine, & sueta funerum carmina præcinente Clero, & omnia ijs officia præstante, quæ de more persolui mortuis solent. Lapides, cęmenta, tigna, materiamque aliam dirutæ Ecclesiæ, ad vsum quidem prophanum, non tamen sordidum vertere Episcopi permissu licebit. Missarûm autem munus quod præstandum in diruta Ecclesia erat, in primariam Ecclesiam transferatur; nisi ad aliam transferri Episcopus legitima facultate præditus, iusserit. Ibi impensis eius, ad quem prophanatæ Ecclesiæ vectigal peruenit, altare ædificetur, sancto dicatum, cuius nomine ipsa Ecclesia ante nuncupabatur.

## DE PIIS LOCIS ADMINISTANDIS.
### CAP. 914.

IPSVM nomen admonere piorum locorum ministros potest, quanta pietate eorum cura gerenda sit; quam gratum Deo obsequium, operamque nauent, qui in eo officio sanctè studioseque versantur; quàm contra noxam in se contrahant, qui tam pio negotio, aut oscitanter indormiunt, aut rem non sincera fide administrant; quorumque industria suis magis quæstibus, commodisque, quàm locorum ipsorum vtilitati amplificationique intendit. Qui igitur piorum locorum procurationi præsunt, ante omnia secum cogitent, sibi id mandatum munus esse, vt eorum necessitatibus subueniant, qui aliena ope indigent; siue illi senio fracti, siue grauibus morbis affecti, siue egestate vltima pressi sint; atque illud Iesu Christi Domini dictum cum animis suis voluant: Quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis. Itaque quicquid humanitatis, quicquid officij in egentes contulerint, quacunque contra iniuria damnoque eos affecerint, id totum sibi, aut præmio, aut pœna à Deo repositum iri, existiment, qui illa vel

beneficia, vel detrimenta vt sibi ipsi collata, illataue, suscepit. Denique in mandato munere vnusquisque ita versetur, vt prius animum suum christianæ caritatis affectu imbuat; deinde sollicite præstet omnia, quæ ex susceptæ procuratio nis ratione debet officia; eorumque præsentem testem, atque exactorem Deum esse non dubiè credat. Nos verò quibus maximè hæc a Tridentino Concilio cōmendata cura est, vt Pia loca fideliter, ac diligenter habeantur, hęc ita seruari tenerique ab omnibus præcipimus.

### *De Hospitalibus. Cap. 915.*

QVI Hospitalia, locaque peregrinis, ægris, senibus, egentibus accipiendis, recreandisque instituta, siue in commendam, siue in administrationem, siue Ecclesiæ suæ adiuncta, aut omnino quemcumque in titulū obtinent, ea primùm omnium pręstent, quorum causa res ipsa instituta est, hospitalitatemque ex fructibus illi muneri attributis, verè exerceant; Domos ædificiaque sarciant, restituantque; Bona amissa aut ab alijs occupata, aut iniustè alienata recuperent; omnia denique exequantur, quæ Tridentino, ac Viennensi Concilio præcepta sunt. In quo si moniti a nobis negligentes, aut contumaces fuerint, tradito a Sacris Canonibus iure, satis muneri suo facere cogētur. vtique fructus quos contra Hospitalis ipsius institutionem perceperunt, quosque restituere in foro conscientię tenentur, nullam in partem ijs remittemus.

### *De illius disciplina, qui Hospitali diuersorio præest. Cap. 916.*

QVAM gratum Deo faciant, qui egentibus benignè faciunt, ipse, vt supra tradidimus, Dominus noster ostendit, qui ipsi sibi præstitū quicquid illis præstatur, professus est. Hospitalibus igitur muneribus qui præficitur, eum esse virum oportet, cuius fides, pietas, caritas, industria, integritas cognita, spectataque sit. Huic cauendum magnopere est, vt ne quid vel minimum ab vllo siue subeunte hospitium, siue relinquente accipiat, ne sponte quidē delatum, tantùm abest, vt petere, aut exigere quicquam fas esse sibi existimet. Sacrilegij instar ducat vllam cum mendicis, qui quæstus causa morbum, atque egestatem simulant, turpis lucri societatem pactionemque inire, & ob id Hospitali eos domo recipere. Curę habeat ne quid peregrini, & pauperes, qui hospitio accipiuntur aduersus christianæ pietatis rationem bonosque mores admittant; quin habeat statuta tempora, manè vesperique, quibus omnes accepto paruæ campanæ sono, ad Deum adorandum, ac precandum vnum in locum conueniant; & quantum potest in christianæ pietatis disciplina erudiat; neque enim alendis instituendisque animis, quàm suppeditando corporibus

victui

victui minus curæ, studijque impendendum est. Non fœminas solùm a viris, sed pueros quoque a maioribus natu separet, eodem certe lecto cubare ne patiatur; ac ne ægros quidem cum valentibus. Nisi aliter Hospitalis ipsius institutio postulet: qui integra valetudine sunt, ne vltra triduum morari in diuersorio sinat, ac ne recipiat quidem eosdem nimis crebro redeuntes.

*De iure iurando a ministris exigendo, ac de debitoribus.*
*Cap. 917.*

MINISTRI societatum, montium pietatis, & cuiuscumque pij loci, quocumque nomine nuncupentur, in posterum omnes officij sui munus non prius adeant, quàm iureiurando adigantur, rectè se, & cũ fide rem illius loci publicam gest..rum, administraturumque. Si qui verò locis ipsis pijs, quorum procurationi præficiuntur, pecuniam vllam debent, a procuratione ipsa penitus reijciantur, nisi debitum statim exoluerint.

*De rerum administratarum ratione reddenda.* *Cap.* 918.

EX Concilij Tridentini auctoritate præcipimus, vt cuiuscumque pij loci administratores, rationem nobis singulis annis rerum administratarum reddant. A qua re nullum eos priuilegium, nulla consuetudo eximat; nisi forte id in ipsa pij loci institutione cautum fuerit. Ac si mos aut ratio loci ferret, vt certis hominibus ratio redderetur, tum quoque nisi & ipsi adhibiti fuerimus, assensusque & comprobatio nostra intercesserit, nihil reddentibus rationẽ vlla data apoca suffragetur. Volumus quoque, vt rationes non in diaria, aduersariaue conijciantur, sed in codices rectè, atque ordine confectos referantur, quo certius explicatiusque accepti, expensique ratio subduci, atque iniri possit.

*De Ministris non diu in eadem procuratione retinendis.*
*Cap. 919.*

CONDVCERE piorum locorum rationibus non videtur, vt eorum ministri diutius quàm par sit, in eadem procuratione retineantur; sæpe enim diuturno vsu ita imperio assuescunt, vt sibi rerum omnium ius veluti suum arrogent: præstat itaque certum singulis definire tempus, eoque transacto alios in priorum locum substituere; nec illud inde tempus nisi non dubia vtilitas ostendatur prorogare; sed potius quorum probata industria fidesque fuerit, ad alia erunt munera tranferendi; siquidem procurationis eiusdem continuationem vitandam esse vsu compertum est.

*In Hospitalibus mares a fœminis separentur.* *Cap.* 920.

NVSQVAM non ratio habenda pudoris, atque honestatis tuendæ, & ibi maximè retinenda est, vbi pietatis, & humanitatis officia exercentur. In Hospitalibus igitur, pijsque diuersorijs, vbi plerumque peregrini, atque ignoti hospitio accipiuntur, mares a fæminis separentur, nec versari vnà permittantur, ne matrimonij quidem specie, nisi de eo non dubiè constiterit; ne quæ loca pijs egentibusq; hominibus recreandis statuta sunt, adulterorum improborumque receptacula fiant.

*De his qui in pijs locis curantur aluntur que.* *Cap.* 921.

SI qui officia caritatis, & humanitatis alijs præstant, tam sollicitos esse oportet, vt partibus suis ne desint, Deumque actionum suarum testem sibi proponere admonentur; quid eos facere conuenit, in quos ea officia conferuntur, qui humana destituti ope, omnium rerum egeni vna Dei benignitate sustentantur? Hi igitur pia aliorum liberalitate vitam tolerantes, pietatis studijs in primis dedi, exercerique debent, & hanc maximè gratiam ijs referre, quorum testamentis, Eleemosinisque pia loca instituta, auctaque sunt; vt eorum animas assiduis & pijs precibus Deo commendent, certè id ab illis exigant piorum locorum ministri, curatoresque, vt qui ignari litterarum non sunt, cotidie canonicas Beatæ Mariæ Virginis horas recitent; expertes autem litterarum, eandem Beatam Virginem crebris, & ad paruorum globorum numerum in coronam repetitis, angelicis salutationibus precentur, venerenturque.

*Qui hospitalibus prohibendi.* *Cap.* 922.

HOSPITALIA, non vt ijs falsæ, & ementitæ personæ subleuentur, sed vt bonis & vera non simulata inopia pressis subsidio sint, christianæ caritatis studium inuenit: Proinde primùm quidem circulatoribus, histrionibus, aleatoribus, nebulonibus, & istiusmodi nequissimis hominibus ea ne pateant; deinde illud inertissimum, & inutile genus hospitali pioque diuersorio excludatur, qui nulla necessitate, sed vel profligata sunt ignauia, vel dolo, & cupiditate abiectissimi quæstus, simulatis morbis, aut membrorum debilitate vagantur; & nunc templorum aditus, nunc singulorum domorum Ostia obsidentes, emendicant, & magno deprecandi, & suam miseriam complorandi artificio, stipes extorquent. Hi monendi erunt, vt abiecto perditissimæ ignauiæ studio, sibi alicuius exercitatione artis honestum vitæ subsidium comparent; recusantes non hospitijs solùm, sed vrbibus quoque eijciendi videntur.

*De Eleemosinis faciendis.* *Cap.* 923.

QVAMQVAM in Eleemosinis largiendis illud aut vnum, aut certè maximè spectandum præstandumque videatur, vt non vllo humano affectu, consilioque, sed tantùm pietatis studio, atque in Dei honorem cultumque, & tamquam Deo ipsi dentur, tamen probè & ille fecerit, qui non temerè, nec sine discrimine vllo, sed consultò, & cum delectu pecunias Eleemosinæ causa partietur. Qui igitur Eleemosinas siue suo, siue aliorum nomine erogare debent, rectè ad id Parochi consilium adhibebunt, nō solùm quia melius tutiusque hoc pacto animi sui religioni, votoque satisfacient, sed etiam quia egentium ipsorum Parochus magis exploratā notitiam habet; neque enim in ijs solùm inopia, atque egestas, sed etiam vita probitasque spectanda videtur. Quæ autem Eleemosinæ pauperibus siue hominibus, siue familijs debentur, hę in alium vsum, ne Ecclesiæ quidem erogentur, nisi & quorum interest consensus accesserit, & res cognita nobis probataque fuerit.

*De Eleemosinis pro Hospitalibus & pijs locis petendis.* *Cap.* 924.

IVS Eleemosinas petendi, non nisi ijs sit Hospitalibus,& pijs locis, in quibus verè, ac re ipsa hospitalitas, & pia officia exerceantur. Nec nisi ijs, quæ intra Diœcesis nostræ fines sint. Cui Eleemosinas petendi munus mandabitur, alienus ne sit, sed ex ipsa Diœcesi, fama existimatioque eius proborum virorum testimonio nobis probetur. Quęstum ante ex ea re non fecerit; illud ipsum munus gratis & studio pietatis suscipiat, aut ea mercede contentus sit, quæ illi constituetur; nullo autem modo ea conditione pactoque conducatur, vt certam ipsarum Elemosinarum partem ipse ferat. Non sine permissa a nobis ex scripto facultate, petat, quam quotannis renouari volumus; qui his non seruatis petere audebit, a nobis grauiter punietur. Videndum verò erit, vt collecta ex Eleemosinis pecunia verè in pios eorum locorum vsus conferatur, quorum nomine petita fuerit. Nemini ob pudorem capite, ac facie obuoluta Eleemosinam petere, nisi scriptam eius rei facultatem a nobis, aut Vicario nostro impetrauerit, liceat; nemini ea facultas tribuatur, nisi cuius nec dubia egestas, & spectata vitæ ratio fuerit.

*De piorum locorum pecunia egentibus distribuenda.* *Cap.* 925.

QVI fructus piorum locorum addicti egentibus sunt, ij non nisi vera egestate laborantibus distribuantur; & ex eorum præscripto, ac voluntate a quibus bona, vnde fructus percipiuntur, profecta sunt. Ac ne qua fraus

fiat, & a miniſtris ipſis aut interuertantur, aut dentur quibus non oportet, aut inutiliter inſumantur, iniri rationẽ iubemus, qua nos ſcire poſſimus, quibus, aut rebus, aut hominibus irrogati fuerint. Eos aũt quos infideliter, vel diſſolutè in ea administratione verſatos eſſe deprehenderimus, ea pœna afficiemus, quam meriti videbuntur; & etiam ſi opus eſſe intellexerimus, ab officio ipſo remouebimus. Qui ſi cõtra quàm a Tridentino Concilio ſancitum eſt, ne rei administratæ rationem reddant, tribunal Epiſcopi declinare conabuntur, Eccleſiaſticis cenſuris a nobis coercebuntur.

*De piorum locorum rebus non alienandis.* *Cap. 926.*

NEMINI qui piorum locorum bonis administrandis præſit, bona ipſa immobilia, ac ne mobilia quidem, ſi pretioſa ſint, vendere, permutare, in Emphitheoſim dare, quouis modo alienare liceat, niſi ijs ſeruatis, quæ ſtatuta à ſacris canonibus ſunt, nec niſi de voluntate, atque conſenſu Epiſcopi, aut ex ſanctæ ſedis Apoſtolicæ auctoritate. Qui ſecus fecerint, arbitrio noſtro punientur, & res acta reſcindetur.

*De bonis piorum locorum locandis.* *Cap. 927.*

PIORVM locorum bona non ex arbitrio eorum qui illis administrandis præſunt, locari volumus, ſed publicè proponi, ac omnibus conducendi poteſtatem fieri volumus, & ijs demum tradi, qui maiori pretio rediment, aut certè quorum vtilior cõditio viſa fuerit, ijs autem locari quicquam vetamus, quos pijs locis pecuniam debere cõſtiterit. Qui autem conduxerit, fideiuſſorem det, cum quo ſi opus ſit, haud minus liberè, quàm cum ipſo conductore iure agi poſſit. Aliter facta locatio & conductio vim nullam habeat.

*De legatis ad pias cauſas.* *Cap. 928.*

NOTARIIS, ſcribis, atque omnibus quicumque teſtamenta, codicillos, aliaſuè tabulas legata ad pias cauſas continentes rogati conſcripſerint obſignauerintque, aut ſcripta, obſignataque ab alijs ipſi apud ſe habent, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam iudicimus, niſi intra nonageſimum diem nobis, aut Vicario noſtro omnia ſignificauerint, prætereàquam ſi ea ante enunciarũt. Eandem verò pœnam ijs proponimus, qui in poſterum teſtamenti tabulas cum ſimilibus legatis ſcripſerint, niſi antequam trigeſimus dies poſt teſtatoris mortem elabatũr, rem eidem Vicario, aut nobis renunciauerint; & eam teſtamenti partem, quæ pium legatum complectitur, publica auctoritate munitam debita mercede accepta tradiderint. Quod tamen præceptum in vim ſuam habere volumus,

lumus, si iustum non intercesserit impedimentum. Quo sublato notarij quod iussi sunt exequantur. Quin decretum hoc nostrum quotannis bis à Parochis populo recitari (ne ab vllo ignoretur) planè volumus; legata autem omnia ad nos delata in certum librum à Notarijs nostris referri, ne interire rei memoria possit, iubemus.

*De patrono causarum legatorum piorum.* *Cap. 929.*

CVM Episcopalis officij munus varia, ac multiplici rerum cura distrahatur, nec possit vnus omnibus rebus intendere, cùmque maximè ad eum defensio rerum, quæ ex piorum hominum testamentis, pijs locis debentur, pertineat; ne multis occupationibus nostris fiat, vt hæc Episcopalis sollicitudinis pars negligatur, patrocinium, exactionemque causarum legatorum nominumque piorum Reueren. D. Bernardino Geraldino I. V. D. Ecclesiæ nostræ Archidiacono, ad arbitrium nostrum mandamus; quem pro sua fide, ac diligentia nihil confidimus prætermissurum, quo eorum voluntatibus obtemperetur, qui studio pietatis aliquid pijs vsibus legarunt.

*Legata pauperibus, qui exequi debent sibi ipsi ne attribuant.* *Cap. 930.*

AD nostrã Episcopalem curã, munusq; pertinet, cauere testatorũ pijs voluntatibus ne qua fraus fiat; itaq; quæcumque res, pecuniaque alicui Sacerdotum collegio, societatiue, aut cuicunque homini legata eo nomine fuerit, vt egentibus in eleemosinam distribuatur, ea eiusue pars publicè collegio ipsi, neq; priuatim ex eo collegio cuiquam, neq; item ab vllo sibi ipsi attribuatur, ne egestatis quidem nomine specieuè, nisi eius rei scripta facultas concessa à nobis fuerit.

*De commutandis legatis ad pias causas.* *Cap. 931.*

MAgnopere ad fidem publicam pertinet, vt quod quisque de re sua moriẽs mandauit, id ratum firmumque maneat. Quamobrem statuimus, vt quod legati iure pio alicui vsui addictum fuerit, id ne necessitatis quidem causa, neque de heredum illius, qui addixit, consensu, mutari, & ad alterius rei quamuis æquè piæ, vsum transferri liceat, nisi nos ante cognita re, penitusque perspecta, illius commutationis potestatem fecerimus, quam facere ex præscripto iuris permissum nobis erit.

bere, leges ſodalitatis tueri; cùm nuper adlectis, proprius ſodalitatis Amictus tra ditur, Amictū ipſum ſuetis precationibus, de more, benedicere, non benedictū dari vetare. ſacrū in ipſo oratorio facere, cui frequentes ſodales adeſſe debebunt, ac Dominicis feſtiſque diebus, etiam ad recitandas ordine alternis verſibus horarias B. Mariæ Virginis preces conuenire, idque officium non alia, quàm ſodalitatis veſte induti obire.

*Quædam ſingulis ſodalitatibus præſtanda.* Cap. 935.

PRæſcriptis legibus diligenter ab omnibus obtemperetur. Contumaces corripiantur, ac ſi meriti videbuntur, etiam à ſodalitate eijciantur; ad munera quorum in primis cauſa ipſa inſtituta ſodalitas eſt, prompti ſemper, paratiq; ſint; ſtatutis temporibus ſacra ſe Confeſſione expiare, & diuinam Hoſtiam vnà ſumere ne omiſerint; Confeſſorem quem nos dederimus, proprium habeant, cui de more ſinguli confiteantur, præterquam in Paſcha, quo tempore ſuo quiſq; Parocho confiteri, nec alteri niſi de Parochi ipſius voluntate debet. Publicas ſupplicationes etiā vltro obeant, acciti que ad eas, haud cunctanter pareant; ſi quando ipſa per ſe ſodalitas ſupplicatum aliquò itura ſit, Sacerdotem ſuum linea Cotta indutum adhibeat. Sacerdos inter eos primum dignitatis locū teneat. Item ad funus inuitati promptam pio officio operam præſtent. Si quid ex ſodalitatis inſtituto diſtribuere egentibus eleemoſinæ nomine debebunt, id ſumma cum fide faciant: Si quæ ſimultates, ſi qua contentio inter ſodales exoriatur, præſto ſint omnes ad eas ſedandas, componendaſque, & diſſidentes in priſtinam gratiam reducendos.

*Quædam ſingulis ſodalitatibus cauenda.* Cap. 936.

INSTITVERE nouā ſodalitatem, niſi ex auctoritate noſtra, aut S.D.N. nemo audeat; ſi ſua ipſæ inſtituta negligant, aut Epiſcopi iuſſa monitaque detrectent, eas Epiſcopus, ſi expedire videatur, ſoluat, tollatque. Munera ſodalitatis propria cū vſus poſcit, nemo recuſet, nemo ſegniter, ac retrectanter obeat. Amictum ſodalitatis nemo ſecum auferat domum, ſed in ipſis ſodalitatis ædibus deponat; Ac ſi quis, aut deſerat ſodalitatem, aut miſſus ab illa fiat, Amictū Præfectò reddat. Nemo in eo cultu arma generis vllius ferat; Ne ſuas ipſi preces tum recitent, cùm in Parochiali, aut maiori Eccleſia diuinum ſacrificium fit, neve cùm Veſperæ concinuntur, multo minus cùm concio habetur, ne ea res infrequentiam ipſi Eccleſiæ faciat. Nemo in ſodalium cœtu ſermonem de fide deq; diuinis rebus habere, aut de his diſputare audeat, niſi eius rei facultatem à nobis impetrauerit. Liber item nullus præſertim vulgari lingua ſcriptus inter ſodales legatur, qui ante, à nobis, aut ab eo, cui nos mandauerimus, viſus, recognituſque non ſit. Eleemoſinas item ne quęritent, niſi permiſſu noſtro. In ſuis oratorijs caueant, nè palmarum, aut oliuarum ramos, neuè candelas benedicant, diſtri-

distribuantque; sed ea à Parochiali, aut Maiori Ecclesia petant; Bona sodalitatis sodalibus ne locent, ne ve in bonorum procuratione ab ijs discedant, quæ supra à nobis de piorum locorum bonis decreta sunt. Conuiuia ne in oratorio, neuè sodalitatis impensa, vlla fiant, nec Magistratū quisquā muneraque publica sodalitatis petat, aut assequatur, qui vllam ei pecuniam debeat, nisi ante eam penitus exoluerit.

*De fraternæ correctionis officio.* *Cap. 937.*

INTER omnia humanitatis, & caritatis officia, quæ, & diuinis litteris nobis commendantur, & eos in primis decent, qui sodalitatis iure fraterna quadam necessitudine coniunguntur, vnum omnino est, quod præteriri hoc loco a nobis eo minus debet, quo magis hominum langore intermissum, penè iam obsoleuisse, atque exaruisse videtur. Id autem est fraternæ correctionis officium; quod nos reuocari, & sano, pioque vsu reuirescere cùm magnopere cupiamus, & spectatissimum quemque ciuium hortamur, vt id sæpe vsurpet officium, & Parocos volumus hanc suscipere curam, vt singulæ sodalitates ex suo corpore duos deligant, qui morum grauitate, atque innocentiæ laude præstare videbuntur, atque his id mandetur munus, sodales, si quando peccandi licentia, atque consuetudine prouectos viderint, fraterna caritate, atque humanitatē corrigendi, & vt se se colligant, recipiantq; monendi, in quo regulam rationemque sequentur ab ipso Domino nobis præscriptam. Hoc certè ritè præstitum munus, magnam ad rectè, & ex Christianæ disciplinæ ratione viuendum vtilitatem videtur allaturum: Quippe eo sæpe, & errantes in viam reducentur, & ruentes retinebuntur, sustinebunturque, & prolapsi quoque erigentur, & recreabuntur.

*De Eleemosinis sodalitati faciendis.* *Cap. 938.*

QVI sodalitatis iure quandam quasi fraternitatem inter se contrahunt, fraterna quoque caritate inter se viuere debent, eamque cum alijs beneuolentiæ officijs colere, tum maximè liberalibus eleemosinarum muneribus testatam facere, quibus & alijs aliena ope egentibus subueniatur, & ante alios sodalibus ipsis, si domestica inopia ita premantur, vt sustentandi piorū benignitate sint. Igitur qui Domi suæ abundant, atque adeo omnes pro suis quisque facultatibus, libenter ac largè in cōmune conferant; ex quo priuatim singulis non inopia solùm, sed interdum etiam morbo laborantibus, subueniatur; memores cęlestis illius dicti, tam crimina nostra eleemosinarum largitione deleri, quàm infusu aquæ flammam extingui.

De

*De libris quos sodalitas habere debet.* Cap. 939.

EXPEDIRE cuiusque sodalitatis rationibus videtur, vt earum acta resque in certos libros referantur, ne quid inde per incuriam intercidat. Primũ igitur quicquid ab his, qui magistratum gerunt, aut in cõmuni consilio decernitur, in actorum librum per societatis scribam referatur, addito anno, mense, die, quo quidque decretum fuerit. Certo item codice quæ donata oblataque sodalitati erunt, scribantur, die item addito. In alium librum legata sodalitatis, legatorumque onera, & omnes præterea sumptus, tam qui in diuinum sacrificium resq; alias sacras, quã qui in necessarias eleemosinas fiunt, referantur, vt planè accepti, expensique ratio constet: quam quidem rationem ad nos afferri, & præterea aut successoribus, aut sodalibus duobus adhibito Patocho reddi iubemus. Postremò proprio quoque libro describi bona omnia immobilia, mobiliaque; ac singularum rerum, ne qua deperire possit, inuentarium fieri.

*De nouis sodalibus cooptandis.* Cap. 940.

SODALITATES ad illustrandam modestia, ac religione christianæ disciplinæ sanctitatem institutæ, in asciscendis, cooptandisq; sodalibus, cautionem adhibere debent, ne eis contra accidat; Non sine discrimine omnes cupientes nomina dare recipiant, sed eos tantùm de quibus haud dubia spes erit, vitam ex sodalitatis legibus instituturos: quæ ne spes fallat, ante diligenter de cuiusque moribus, ingenio, studijsque percunctandum cognoscendumque erit, nec nisi, quos Deum vereri, religionem colere, pace gaudere constiterit, asciscendi. Impuberes pueri si indolis probæ fuerint, non quidem reijciendi videntur, sed in eam ætatem differendi, vt saltem decimum sextum annum excesserint, atque interea in sanctis sodalitatis institutis piè exercendi. Fæneratores, flagitiosi, & concubinarum amoribus infames, item qui cæde, ac sanguine manus imbuerunt, quique blasfemiæ, & nefarij moris diuinum numen, & cœlestes animas maledictis violandi arguantur, omnes denique quos vitæ sordes; ac turpitudo refellat, a consortio pietatis, ac religionis officia sectantium, procul arcendi erunt. At eos quoque repelli a sodalitatibus volumus, quos ipsorum christianæ fidei elementorum rudes esse competerint, qui percunctando explorabunt; & ne orationem quidem Dominicam, & salutationem Angelicam, & simbolum, & decem præcepta decalogi, tenere.

## DE PEREGRINATIONE AC DE CLERICIS EAM SVSCIPIENTIBVS. CAP. 941.

PEREGRINATIONES religionis, & pietatis causa susceptæ religiosè ac piè obeundæ sunt: Volumus igitur reuocata prisci moris consuetudine,

vt si Clericus siue Romam, siue Hierosolimam, siue Lauretum, siue Compostellam, siue omnino aliò insignia templa subeundi, & sanctorum corpora, sacrasque reliquias visendi, ac venerandi studio peregrinari statuerit, id sine benedictio ne nostra, nostrisque dimissorijs & testimonialibus litteris ne faciat. Ac præterea hæc quisque teneat. Ante quam se ritè sacra confessione, & communione procurauerit, expiaueritque, ne discedat. Proficiscens preces illas piè recitet, quæ in Breuiario itinerarij nomine appellantur; quod item quotidie ingrediens iter præstare debebit. Nunquam nisi Clericali ornatu, tonsuraque sit; nunquam Canonicas horas intermittat; ac si Sacerdos sit, quotidie, aut certè festis diebus rem diuinam faciat; status Ieiunij dies seruet, nisi iusta de causa excusetur. In toto itinere eam modestiam, integritatemque morum præstet, vt non habitu solùm, sed vita quoque Clericus, sacerdosque agnoscatur. Ne se in via comitibus adiungat, quos parum congruere moribus, ac ordini suo intellexerit; prophanis colloquijs quantum potest abstineat; in via, potius quàm cum comitibus inanibus de rebus garriat, psalmos, & coronam Beatæ Mariæ recitet, aut sermones de sacris, ac spiritualibus rebus conferat, ijsque viæ laborem fallat, soleturque; Caueat ne mendicet, ac victum ostiatim quæritet, nisi id ex voto, ac necessaria causa, quam ante nobis probarit, illi faciendum sit; cùm vesperi ad aliquem locum venerit, nihil prius faciat, quàm vt Ecclesiam adeat, atque ibi aut litanijs, aut alijs precibus Deum sanctè veneratus, tum demum ad hospitium diuertat. Publica diuersoria cauponasque vitet, si potest, & potius apud religiosos, atque honestos homines diuersetur. Discumbens de more benedicat mensæ, eaque sublata gratias deo agat: aliaque seruet, quæ supra a nobis in clericalis vitæ disciplina præscripta sunt.

*De his quæ Clerico peregrino sunt facienda, cùm ad locum peregrinationis venerit.*

*Cap. 942.*

CVM eò peruenerit, quò susceptum iter peregrinationis est, recta ipsum tẽplum petat subeatque, & adorato Deo, atque intimis precibus propitiato, necessariam quietem capiat; tum confessore conuento, & pęnitentiæ sacramento expiatus, si sacerdos sit, missæ sacrificium faciat, si Clericus sanctissimam Eucharistiam de alterius manu piè, ac religosè sumat. Inde visendis Reliquijs, sacrisque alijs rebus spectandis operam det, neque aut antiquitatibus, aut alijs rebus cognoscendis intendat, quæ animum a religioso instituto auocare possint; nec verò eodem videndi studio alias quoq; regiones, vrbesque peragrare pergat, ne susceptæ peregrinationis religio, in hoc ipsum studium curiosius exteras res cognoscendi, penitus vertatur. Domum reuersus, nos aut Vicarium nostrum adeat, acceptasque a nobis dimissorias, literas item quas ei Episcopus, aut Rector Ecclesię ad quam visendam peregrinatus est, dederint, cum testimonio sanctè ab se obitæ peregrinationis, proferat.

*De laicorum peregrinatione* Cap. 943.

LAICI vero homines, qui pari religionis studio peregrinandi consilium susceperunt, pari quoque pietate ad rem sanctè obeundam se se cōparare debent. Primùm quidem cum suo quisque Parocho colloquantur, & ab eo de tota peregrinandi ratione doceri, atque institui poscant. Parochus & diligenter eos admoneat quæ præstanda, quæq; vitanda sunt, & abeuntibus solemni ritu benedicat, beneq; precetur. Iter nisi post sacram confessionem, sumpta sanctissima Eucharistia, ne ingrediantur. In via comites, sermones, aliaque omnia fugiant, quę pium eorum studium perturbare, & a sancto instituto abducere possent; & illa sectentur, quibus accendi, incitarique religio solet; rem diuinam quotidie obeant, aut certe festis, ac dominicis diebus nullo mō cōmittant, vt sacro ne inter sint. In pijs precibus, aut legendis, aut recitandis, aut faciendis assidui sint, reiectis canticis, iocis, fabellis prophanisque sermonibus, quibus plerique fallere viæ laborem solent, ne languescat his rebus ipsum studium pietatis, quo suscepta peregrinatio est; omnia denique præstent, quæ supra peregrinis Clericis præscri psimus, præter illa, quæ sacerdotum propria sunt.

## DE REGVLARIBVS. CAP. 944.

HOMINVM qui spretis diuitijs victis voluptatum illecebris, abiecta honorum spe, atq; omnibus posthabitis vitæ commodis, in solitudinem, intra Monasteriorum septa, claustraq; pietatis studio abdiderunt se se, & veluti ex humanis rebus proripuerunt, atque adeo ne animi quidem, atque voluntatis retenta libertate, vltro se alienæ potestati, iurique dura sub disciplina permiserunt, magna profectò esse apud omnes veneratio debet. Quippe quibus præ amore religionis vilia sunt, quę sola bona homines putant, his credibile est, maiorem humano captu animum inesse. Proinde sic existiment, quos ad id fastigium Dei optimi maximi benignitas prouexit, nihil in vita restare sibi, nisi vt eam omnem ad grates Deo ipsi agendas conferant, omnemq; in eo consumant. At quemadmodum sic viuentes suspicere, atque in summo honore habere omnes debent, ita si ab suscepto instituto deflexerint, si seueræ ac sanctæ disciplinæ antiquato cultu, tantùm speciem, atq; habitum præferant, & nomen vestemq; vita atque mores refellant, & integritatem libidines, copiarum contemptum cupiditas, parendi studium contumacia, ac superbia, denique religionem & modestiam licentia ac procacitas corruperit, nihil esse sciant quo hominum animi magis offendantur, nihil à quo magis abhoreant, quàm ab ementitis istis personis, & mentem improbam & contaminatam falsa pietatis imagine tegentibus. Itaque hortamur vehementer in Domino, atq; obsecramus Regulares omnes, vt nō solū disciplinæ in qua se tradiderunt, sed eius etiam a quo disciplina condita est, sanctitatis atque innocentię memores, in illius se institutis contineant, & quod nomine, atque habitu præferunt, virtutis, atq; pietatis studiū, ei vitæ quoque laudibus respondeant.

*Disciplinam Regularium nemo inuitus suscipiat, nemo temere deserat.* *Cap.* 945.

QVANTO res est præstantior, difficiliorque, quam suscipiunt, qui abiectis humanarum rerum blandimentis, vni se Deo, Deique cultui dedunt, tanto minus committendum est vt in Regularium disciplinam quisquam inuitus compellatur, ac ne arte quidem ac dolo inducatur; nostra enim voluntate, non aliena sponte nos Deo probemus, tradamusq; oportet; & quemadmodum rite traditos, ac voto deuinctos frustra inde consilij pœniteat, ita nolentes nullum votum nulla sacra perstringunt. Verùm ne temerè quidem & suo arbitratu susceptum semel institutum, deserere cuiquam licet, nec quia quis vi, metuque, aut etiam ante quam per ętatem liceret disciplina initiatum, eamque profiteri coactum se dicat, audiendus est, nisi eius rei causam attulerit, & Præfectis, ac superioribus suis ante transactum quinquennium probauerit, ab ijsq; absolutus, ac dimissus fuerit. Qui his spretis protinus abierit, retrahi, ac pro desertore haberi iubet sacrum Tridentinum Concilium.

*De beneficio Clerici ante professionem non conferendo.* *Cap.* 946.

QVONIAM ijs, qui sumpta Religiosæ familiæ toga in illius disciplinam concedunt, priusquam institutum solemni ritu, votóque apud Magistros profiteantur, integra pœnitentia, ac deliberatio est, & annum ipsum ad deponendum tirocinium, ac de. se statuendum tribuitur, si Clericus Monasterium intret, illius beneficium non ante alteri tradatur, quàm præfinita professioni dies præterierit. Medio tempore ne quid neglectæ Ecclesiæ res detrimenti patiantur, mandanda œconomo, quem Episcopus delegerit, cura erit, colligendi fructus, quos inde aut illi ipsi reddet, si in suscepto consilio non perseuerauerit, aut successori tradet mercede, quam idẽ Episcopus statuerit, percepta.

*De Regularibus curam Animarum habentibus.* *Cap.* 947.

SI Cui Regulari, quamuis in Ecclesia etiã sui Monasterij, Animarũ cura mandata fuerit, is omnibus in rebus quę ad ipsam curã sacramentorumq; administrationẽ pertineant Episcopi auctoritati iuriq; subiungitur. Atq; adeo ne admitti quidẽ ad hoc munus potest, nisi Episcopus ante & doctrinã, & mores eius probauerit, vtrisq; diligenti percunctatione exploratis; quamuis arbitrio nutuq; sui superioris amoueri posset; Qui amotus fuerit, Parochiales libros successori tradat, Diœcesanæ Sinodo cũ cœteris adsit, & omnia onera muniaque subeat, quæ reliquis Parochis iniungentur, aut hactenus iniuncta sunt.

*Fœminæ Regularium aditis prohibeantur.* *Cap.* 948.

REGVLARES Monasteriorũ suorum septis aditisque fęminas omnes prohibeant, ne noxam excõmunicationis Pontificũ Max. legibus statutã vtique contrahant. Septorum autem finibus Horti quoq; ac viridaria vineaque conclu-

concludãtur, si continentes adiunctæq; septis sint, ac nisi in eas è Monasterijs ipsis non per publicam viam transitus sit, quod si de finibus septorum ambigatur, Episcopus adhibitis Regularium superioribus, illos cõstituat, circumscribatque, ne legis violandæ ex varia superiorum ipsorum interpretatione occasio vlla oriatur. Fœminæ autẽ, si qua adeo contumax fuerit, vt pedem quò non licet inferre audeat, a nobis ex Pontificiarum sanctionum iure seuerè punientur.

*Quando puniendi Regulares Episcopo ius est.* *Cap.* 959.

QVI Regularium extra Monasterium degunt, eos corrigendi, puniendiq; Episcopo ius est, ac etiã qui in Monasterio viuunt, si quid foris admiserint, quod animaduersione dignum videatur, quodq; scandalo, atq; offensioni Populo fuerit, ab Episcopo puniri possunt, si res ab eorũ superioribus negligatur, & intra tẽpus ab Episcopo ipso præfinitum, debita de illis pena non sumatur; Sicubi à familiæ institutis disciplinaq; descitum Episcopus intellexerit, superiores moneat, vt rem collapsam restituant; si illi omiserint, nec intra sex menses suos visitauerint, emendauerint, & sub disciplinæ leges reduxerint, tùm Episcopus ipse neglectum ab illis officium suscipiat, visitet, & ad pristinã viuendi rationem ordinet; Item si quis a suo Monasterio etiam per speciem visendi suos discesserit, discedendi venia a superioribus non impetrata, deprehensus ab Episcopo, vt disciplinæ desertor, puniatur.

*Quibus Episcopi iussis edictisque Regulares parere debent.* *Cap.* 950.

SI Episcopus in Monasterio Regularium sacram scripturam explicare Theologum iusserit, parendum illi ex Concilij Tridentini auctoritate erit; Item si censuras, atque interdictum, siue contra singulos, siue contra ordinem aliquem proposuerit, ea etiam Regulares promulgent, seruentque: Dies quos Episcopus decreuerit festos habeant; ieiunia ritè colant; publicas supplicationes ab Episcopo indictas obeant; à Casibus Episcopo reseruatis neminem absoluant; Confessionibus audiendis ne se exponant, nisi examinatis probatisque eius rei scriptam facultatem Episcopus tribuerit; in aliena Parochia munus Parochi nisi permissu illius ne attingant; Conciones ne in suis quidem Ecclesijs habeant, nisi a nobis benedictione, & facultate eius rei accepta. Nouas reliquias, noua miracula, nouas indulgentias sine permissu nostro ne promulgent. Mulieres post editum partum ad accipiendam benedictionem eorum Ecclesiam adeuntes ad Parochũ proprium reijciant. Quo tempore in Maiori Ecclesia concio habetur, ipsi campanarum pulsatione operam cõcioni dantes ne turbent; iisdem campanis die sabbati sancti sonitum ne edant, prius quàm a Maiori Ecclesia signum acceperint; Monasteria Monalium ne diuinæ quidem rei faciendæ causa, nisi scitu, ac permissu nostro adeant; cum Monialibus nisi ex auctoritate sac. Congregationis, ne colloquantur. Denique nullum nouum Monasterium Episcopo non appellato, ac non permittente ædificent.

*De Monialibus.* *Cap.* 951.

MVLTA sunt, quæ de Monialium cum religiosa vitæ ratione, tum communium rerum procuratione, tum etiam septorum custodia, aliisque earum muneribus tradenda nobis decernendaque hoc loco essent, quæ quidem nos omnia magno studio ac diligentia, vt rei dignitas postulat, persequeremur, nisi ea iam ante quantum assequi studium nostrum potuit, satis latè complexi essemus proprio libello ea de re vulgari sermone scripto, & ad ipsarum intelligentiam maximè accommodato. Quo quidem libello, quæ statuta præceptaque a nobis sunt, omnia seruari à monialibus Diœcesis nostræ, atque eorum præcepto tum iure teneri eas, etiam ex sanctæ huius Sinodi autoritate decernimus.

DE SVMPTIBVS MODERANDIS. CAP. 952.

PLERIQVE opinantur tantùm Clericos, atque Ecclesiasticos homines spernere pecuniam, & ex sua copia non vltra quàm quantum victui, hone stoque cultui necessarium sit, sumere debere, & quod superest, veluti alienum fideique traditum, inter egentes dispartiri: & sane Clericorum ordinem sacrorũ cura, & religionis honore præcellentem, humanarum opum contemptio, aut modicus vsus, & præcipua in tenuiores caritas decet: sed sanctus Ioannes Aposto lus sic locupletes omnes ex æquo alloquitur: Si quis habuerit substantiam huius Mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quo modo Caritas Dei manet in illo? ex quo facile intelligitur quã omnibus, & maximè ditibus, & copiosis amplectenda Christianæ caritatis atque humanitatis officia sint, & summis pauperum difficultatibus, necessitatibusque subueniendum, & quam illi abuti datis a Deo diuitijs videantur, apud quos nullum alienæ egestati subsidium, omnia in vanos, atque inutiles sumptus, & plerumque eorum saluti graues, noxiosque prodiguntur. In Canes, in Equos, in Aues, aliaque voluptatum instrumenta pars affluentiæ seponitur. Miserorum inopiæ subuenire molestum, lentumque opus; Epularum, conuiuiorum, vestium luxuria, cùm Mulierum tum virorum, quò vltra progredi iam potest? hauriri patres familias, hoc vno malo rem domumque pari facilitate quetuntur, ac ferunt. Nos & Magistratus, vt prolapsam intemperãtiam lege coerceant, & alios omnes hortamur, vt suis quisq; impensis, & maximè fœminarum ornamentis, vestimentisque modum aliquando adhibeant, & sublata inutili pecuniæ effusione, Paupe rum necessitatibus liberalius opem ac subsidium afferant.

DE PVERORVM INSTITVTIONE. CAP. 953.

MAGNO animi nostri dolore accepimus, atq; nos etiã ipsi animaduertere potuimus, summã, ac supinam prorsus Pat. Fam. in filijs instituendis negligentiã esse, quo fit, vt eò iã Puerorũ licentiã peruenerit, vt & in Ecclesijs ipsis nullã religionis speciẽ, nullã modestiã præstent, & per vias, perque plateas totos dies

nullius pudore, nullius metu, effrenarè, procacirer, petulárer, nō vagentur modò, sed ludis, clamoribus, turbis oīa permisceant; scolas aut nō adeant, aut in ijs ipsis nihilo pudentius versentur; Qui enim Magistros reuereātur, quibus Parentum ipsorū auctoritas tā impudēter despicitur; Ex hac tam dissoluta ratione, cū plura incommoda detrimentaque existere, quàm opinari homines videntur, possint, & hi mores hinc effinganrur, quibus imbutam Iuuentutem nullius inde flagitij nullius turpitudinis pudeat, nos pro ea cura, ac vigilantia quam speculandis omnium moribus Episcopi debent, prætermittere noluimus, quin & Magistratum ipsum, & Ciues omnes de eo commoneremus, hortaremurq; vt aliquam tandem ineant rationem, qua huic incommodo occurratur, & rei tanti ad omnia momenti, maturè studioseque prospiciatur.

## De ludimagistris Conducendis. Cap. 954.

QVI in deligendis conducendisque ludi Magistris, quorum industriæ, erudienda Iuuentus, & prima Puerorum ętas informanda, imbuendaq; virtutis seminibus tradatur, id modò spectant, vt litterarum scientia commendentur, transmissa, aut nihil magnopere explorata morum ac religionis disciplina; hi profectò rem non sua vi, atque vsu metiri, & parum communi vtilitati consulere videntur; quibus modestiæ, probitatis, & in sancto Dei metu, cultuque institutio, post doctrinæ ac litterarum studia ponitur. At nos Magistratus singulorum Diœcesis nostræ locorum vehementer hortamur, vt in re maxima, & maximi ad omnia momenti negligentes, atque incuriosi ne sint; non studio, non labori in perquirendis viris vitæ, ac pietatis commendatione non minus, quàm eruditionis laude spectatis parcant. Inuentosque omni pecuniæ, atque solarij conditione alliciant, & inde ita liberalitate, atque humanitate deuinciant, vt & quam diurissimè retinere, & quàm maximum ex eorum integritate, atque virtute fructum capere possint.

## De ludimagistri instituto. Cap. 955.

QVamquam sponte sua (si qualem supra definiuimus deligetur) omnia pro disciplina, ac recta ratione facturum Magistrum ludi non dubitamus, tamen monitum volumus, vt non solùm librorum Auctorumq; Romano Indice damnatorum nullum interpretetur; aut habeat, habereq; discipulos suos patiatur, verū eos quoque reijciat, legiq; ab Adolescentibus vetet, quos vel obscenos amores continere, vel omnino lubricæ, ac molli ætati deliniendæ, & ad voluptatem flectendæ esse intellexerit; & cum salutaria vitæ, ac morum præcepta eorum auribus assiduè inculcet; tum in aliquo pio, ac religioso instituto quod nobis ante probetur studiosè exerceat; omnibus legibus pareat, quas Leo Decimus in Lateranensi Concilio ludimagistris statuit; in quibus si quid deliquerit, pro modo culpæ a nobis plectetur.

*De ludimagistris ad professionem fidei adigendis. Cap. 956.*

CVM quantum supra ostendimus studium, atque diligentia, in quærendis, conducendis, & præmijs liberaliq; mercede retinendis doctoribus, atque educatoribus iuuentutis adhibenda erit; tum verò quia multę sunt in hominũ animis latebræ, & sæpe innocentiam improbitas, integritatem perfidia, religionem fraus ementitur, ex Auctoritate Tridentini Concilij statuimus, nemini licere in Ciuitate, ac Diœcesi nostra ludum aperire, & Pueros publicè instituere, docereque; qui ante eius rei scriptam à nobis facultatem non acceperit, fidemq; suam ex formula, a sancta Romana Ecclesia præscripta apud nos professus non fuerit; Qui secus fecerit, arbitrio nostro, vt meritus videbitur, punietur.

## DE MAGIS, ET MALEFICIS. CAP. 957.

PESTIFERVM mortalium genus veneficijs grassantium, pacta fœderaque cum Dęmonibus ineuntium, & ligamentis, nodis, characteribus, verbis, medicaminibus, magicisque alijs artibus certos corporibus inferre, aut illatos depellere morbos, mentes auertere, ac perturbare, formas immutare, ventos, pluuias, tempestates ciere, sedareque se posse credentium, aut alijs persuadentium, cuncta denique prauissimis superstitionibus deprauantium, Diœcesi nostra exterminare, & nefarij sceleris contagionem à grege nostro arcere cùm vehementer cupiamus, mandamus Parochis, vt quæcunq; huius flagitij indicia, vestigiaque compererint, ad nos deferant, vt pœnæ seueritate improbos istorum ausus compescere, iustaq; in eos exempla statuere possimus.

*De Diuinis, & Coniectoribus. Cap. 958.*

NON maleficos solùm, & veneficijs sæuientes, sed diuinos etiam, & qui ex vnguium, & lineamentorum inspectione, ex aere, aqua, igne, sortibus, somnijs, mortuis, alijsque futura prædicere, furta, abditosque thesauros tamquam ea sibi a dęmonibus commostrata sint, indicare, incerta pro veris affirmare, non verentur, atque his curiosorum, ac imperitorum mentes decipere, in fraudemque inducere; Item qui specula, ampullas, annulos, vel quid aliud ad magicos, vel superstitiosos vsus fabricare, vendere, aut omnino adhibere audent, ab ijsdem Parochis ad nos deferri iubemus; vt hominum ex impudentia, temeritate, mendacijs conflatorum, retectis grauiterque punitis dolis, aduersus corũ fallacias, technasque fideles in posterum cautiores, prouidentioresq; fiant.

De

*De Astrologis.* *Cap. 959.*

ET si oĩbus sæculis à sapiẽtibus hominibus derisa, despectaq; eorũ vanitas est, qui ex solis, lunæque & aliorum astrorum occursu, motu, posituq; de cuiusq; ingenio, natura, actionibus iudicare, & quę cuiq; euentura sint diuinare, ac definire, quæq; a libero nostræ voluntatis arbitrio proficiscuntur, ad fati necessitatẽ reuocare audent; tamẽ tanta quorundã mẽtibus peruicacia insidet, tanta insania leuitasque, vt explosæ sententiæ damnatisque studijs vsque adhæreant, & futura vtique præsciscere, & quod non antiquitas modò falsum putauit, sed verę christianæ fidei sapientiæ aduersatur, liberam hominum voluntatem fatali necessitati subijcere pergunt. Hi a nobis si deprehensi fuerint, grauissimis pœnis pro eorum merito plectentur.

*De Diuinos & Astrologos consulentibus.* *Cap. 960.*

GRAVISSIMVM quidem eorum est scelus, qui vetitis hisce, & Dæmonum famulatui obnoxijs artibus imponunt hominibus, aut ex siderum motibus suum cuique statui fatum arbitrantur; sed ne hi quidem leuiter delinquunt, qui impostores istos consulunt, audiuntque; quique alijs consulendi auctores suasoresque sunt; atque omnino Magis, sortilegis, Astrologis istis, aut eorum scientiæ artiuè fidem vllam tribuunt. Proinde his quoque graues arbitrio nostro pœnas indicimus, qui vlla de re ad veteratores, deceptoresque istos retulisse comperti fuerint, aut eorum responsis consilijsque obtemperasse.

*De auguria, ominaque captantibus.* *Cap. 961.*

QVORVNDAM verò eò vanitas prouehitur, vt non iter ingredi, non rem vllam incœptare velint, quin dies, tempora, temporum momenta obseruent. Quadrupedum voces, auium garritus, volatusque ad id quod animo deliberant, interpretatione vertunt, ex eaque consilia dirigunt. Item ex hominum, vel pecudum occursu, alijsque huiusmodi inanibus obseruationibus, de se deque suis rebus statuant, easque inde sibi, aut aduersas, aut secundas augurentur. Hi quoque si deprehendantur, pœnas, quas meriti videbuntur nobis pendent, cùm & bonis nostris rebus consilium a Deo, & duris auxilium supplici oratione exposcere, & omnia in nomine Domini Nostri Iesu Christi inchoare & facere christianæ disciplinæ ratio nos iubeat.

*De superstitionibus auferendis.* *Cap. 962.*

IN omni superstitione tollenda, abolendaque, siue eam probitas, & simplicitas, siue fraus & dolus inuexerit, magnopere excubare Parochorum curam volumus.

volumus. Ea enim veluti tabes, veram Religionem deprauat, contaminatque; vt quantum in hac colenda, ſtabiliendaque ſtudij ponimus, tantùm in illa auferenda, extirpandaque diligentiæ impendendum eſſe videatur. Itaque mandamus Parochis, vt animum aduertant, & ſi quem cultum, moremque ſuperſtitione aliqua imbutum, aut omnino vllum ſuperſtitionis genus in ſuorum mentibus inſediſſe intelligent, rem ad nos perſcribant deferantque, qui vt ei opportunè occurratur, operam dabimus.

*Superſtitioſi a Confeſſoribus corripiantur.* Cap. 963.

NON Parochi ſolùm in hanc curam intendant, omnes ex hominum animis ſuperſtitionis radices euellendi, ſed Confeſſores quoque eandem cogitationem ſuſcipiant; exquirantque a pœnitentibus, an remedia valetudini, vulneribuſuè vlla adhibuerint, adhibendique alijs auctores fuerint, quæ non a Medicorum arte, ſed a ſuperſtitione aliqua petierint; tum prætera de temporum, locorum, ſomniorũ, aliorumque huiuſmodi obſeruatione interrogent, & quos ſuperſtitionibus hiſce teneri intellexerint, grauiter mõnitos, obiurgatoſque ab ea prauitate, atque errore auertere, ac deterrere conentur; morboſque prius quidem ſacramentorum perceptione, ac diuinæ opis imploratione, deinde medicorum conſilijs, remedijſque ab eorum arte petitis, doceant eſſe curandos.

*De Clericis ſuperſtitioſis.* Cap. 964.

CVM in omni genere, ſexuque ſuperſtitiones, veneficia, magicæque aliæ artes, quarum omnis in Dæmonum adiunctione, ac neceſſitudine vis eſt, abominandæ, deteſtandæque ſunt; tum verò in Clericis, ſi quem adeo ſui obliuio capiat, grauiſſimis ſunt pœnis vindicandæ. Si enim ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quod a nobis ſanè fiet, qui præter alias pœnas, quas mereri videbuntur, etiam beneficijs Eccleſiaſticis expellemus, priuabimuſque, ſi clericum his maleficiorum ſuperſtitionumque criminibus contaminatum deprehenderimus.

*De ſtrigibus ſeu lamijs.* Cap. 965.

MALEFICAS mulieres, quæ quòd intempeſta nocte vagari, & varijs ſe contaminare flagitijs, facinoribuſque, varijſq; mentes, atq; corpora faſcinare artibus creduntur, ſtrigum nomen ab nocturna Aue traxerunt. Et quia vitiare pueros, & formoſorum appetere ſanguinem item creduntur, lamiæ quoque dictæ ſunt; & non dubiè malis ſe Dæmonibus adiungere, impiaque fœdera cum ijs paciſci ſolent & eorum ope, monſtroſis inſidentes beſtijs abripi noctu, ac magna terrarum ſpatia peragrare, & ſub Nuce quadam apud Beneuentum

conue-

conuenire, atque ibi fœdis voluptatibus frui, vulgò feruntur, non solùm sceleris huius compertas meritis pœnis afficiemus, sed anathematis vinculo constrictas teneri omnes decernimus, ac declaramus, & resipiscentes non ab alio quàm Episcopo absolui posse statuimus. Quin proposita non parentibus excommunicationis pęna, omnibus mandamus, vt quicunque aliquam in Diœcesi nostra maleficam strigem esse sciunt, eius ad nos nomen primo quoque tempore deferant.

*De Circulatoribus genitos se a Diuo Paulo mentientibus.*
*Cap.* 966.

ALIVD impostorum genus. Circulatores quidam obire municipia, vrbesque, per fora, per compita cætus cogere, & se ex Diui Pauli sanguine prognatos, manereque in stirpe vim, ac facultatem venena pellendi, quam Apostolus habuit, prædicare non dubitant; nec noxios fore serpentum morsus, afflatusuè data ab se remedia adhibentibus, pollicentur; atque hoc commento audientiam auctoritatemque sibi, rebusque, quas diuendunt apud credulum vulgus cùm fecerunt, quam in se ab Apostolo transfusam facultatem veneni vim arcendi mentiuntur, venalem habent. Adeo sibi nullum fallendi atque imponendi finem dira pecuniæ quæstusque cupiditas facit. Hos Diœcesi nostra prohiberi expellique prorsus iubemus.

*De quibusdam, in curandis morbis, superstitionibus.*
*Cap.* 967.

MORBI, vt supra tradidimus imploranda Dei ope, & iusta, adhibitis sacramentis, animæ expiatione, & consilijs remedijsque Medicorum curantur. Quam ob rem inanes, & aniles spes abijciant, qui pellendis febribus, quod vini sacrificio superfuit, ex iisdem vrceolis ebibendum offerunt ægro. Qui Erisipila loboranti Missarum librum apertum, ac rursus clausum imponunt. Qui sistendo sanguini herbas lapidesuè certis adhibitis carminibus, admouent. Qui capitis dolore affectis certas ligaturas, certa signa, notasque, & nefanda carmina incantamentaque, quæ nisi a malis Dęmonibus non mutuantur, adhibent: Quas omnes superstitiones nos damnam⁹, & qui ijs vtuntur castigari a Parochis, Confessoribusque, ac vehementer obiurgari, præcipimus.

*De superstitionibus Matrimoniorum.* *Cap.* 968.

QVIDAM in Matrimonijs iungendis cœlestium signorum, ac siderum motus, atq; coniunctiones captant, ex ijsq; de tota re statuunt. Alij quò fascinationum pericula declinent, tempus coeundi præuertunt. Alij maleficijs, quibus peti se verentur, contrarijs maleficijs ocurrere student, &

sceleri

sceleri scelere medentur. Quam superstitiosarum obseruationum vanitatem nos penitus reijcimus,& matrimonia cum ritè ex Tridentini Concilij præscripto iniri, iungique præcipimus, tum si qua coniugibus fraus damnatis ab artibus facta sit, ea non paribus artibus, sed diuina ope, diuinorumque sacramentorum perceptione discuti, curarique.

*De traducentibus ad res profanas sacræ scripturæ verba.*
*Cap. 968.*

DAMNARE ac detestari satis quorundam irreligiosam temeritatem, leuitatemque non possumus, qui diuinarum litterarum verbis sententiisque ad iocos, ad assentationem, ad contumeliam, irrisionemque, ac profanos alios sensus, & quod scelestius est, etiam ad superstitionem, maleficiumque abutuntur. Horum scelus audaciamque vt coërceamus, statuimus, vt quicumque in hoc genere deliquisse compertus fuerit, in eum ex Canonum iure, & Concilij Tridentini decretis, grauiter; ac seuerè animaduertatur.

DE BLASPHEMIA. CAP. 969.

AD infimum sanè improbitatis, & iniquitatis gradum prolapsus videri potest, qui pro eo, vt Deum auctorem, conditorem, redemptoremque suum agnoscat, & confiteatur, conuicijs, maledictisque incessat. Quod quidem non sceleratè solùm, atque impiè, sed etiam nequiter,ac pessimo more fit,& quodamodo gratis delinquitur. Nam ferè homines,aut cupiditate, aut voluptate labuntur; Quis enim furetur, aut fœneretur nisi vtilitatis specie, & studio augendæ rei, a recto honestoque abductus? Quis amorum illecebris vinci, ac libidinum luto inquinari se patiatur, nisi delectatio pellicéret sensus, ac deliniret? At nulla vtilitas, nullum commodum, nullus fructus, nulla voluptas obtrectantem, ac maledicentem Deo sequitur. Quò minus venia digni sunt, qui siue animi vitio, siue nefaria consuetudine eò auferri, se sinunt, vt procacitate linguæ in ipsum grassari Deum non vereantur. & cui ad agendas pro merito grates laudesque nulla humana vox sufficiat, eum appetere probris,& in sanctissimum eius nomen contumelias, & conuicia iacere sustineant; quod extremæ impietatis, ac dementiæ esse, nemo certè negarit.

*De Laycorum blasphemantium pœna.* *Cap. 970.*

QVICVMQVE igitur hoc se scelere obstrinxerit, & sacrilego atque incesto ore maledicere Deo ausus fuerit, vel impuris, & obscœnis verbis Iesu Christi domini nostri,aut Beatissimæ Virginis eius genetricis nomen vsurpare, ac palam expresseque blasphemare, ex Pij Quinti Pont. Maximi

ximi constitutione, Primò quidem ducatis viginti quinque mulctetur, secundò hæc ipsa illi mulcta duplicetur, tertiò ducatos cētum persoluere cogatur, & ignominia notatus in exilium pellatur. Quod si e plebe aliquis atque humili loco natus ob tenuitatem atque inopiam huic soluendæ mulctæ nō erit, primò reuinctis post tergum manibus, ante Ecclesiæ fores constituatur, totumque ibi diem, quo omnibus spectaculo sit habeatur, secundò virgis per vrbem cædatur, tertiò perforata lingua ad triremes damnetur.

*De Clericorum Blasphemantium Pœna.* Cap. 971.

SI Clerici, qui colendi metuendique diuini numinis, sanctissimumque eius nomen summa semper cum veneratione, ac reuerentia vsurpandi, exemplū prębere alijs debent, ad illud etiam blasphemandum & probrosis verbis incessendum, vt supra demonstratum est, amentia ac scelere efferantur, ex eadem Pij Quinti Pont. Max. lege primò quidem fructibus vnius anni omnium beneficiorum quoscunque obtinet mulctetur; secundò beneficijs ipsis exuatur, priueturque; Tertiò dignitatibus omnibus abrogatis, ademptisque deponatur, atque in exilium eijciatur. Quòd si nullo beneficio præditus sit, crimen vel pecunia, vel corpore luat; deinde carceribus claudetur, mancipeturque, postremo degradatus, triremium remigio addatur.

*De sanctis blasphemantibus.* Cap. 972.

NON solùm Deo ipsi, ac Dei filio, Iesu Christo, Virginique eius Matri maledicere piaculum ingens est, sed in Cœlestes quoque spiritus, & receptas in cœlum animas; improba verba iactare, sanctosque obscenè, & contumeliosè appellare, & plasphemare permagnum nefas. Quamobrem in huius etiam sceleris reos seuere a nobis animaduertetur, & pro modo culpæ, vel pecuniæ mulctabuntur, vel grauiori pœna, vt visum nobis fuerit, plectentur.

*Confessores Pœnitentijs blasphemantes coerceant.* Cap. 973.

AT quorum ignotum crimen, & tantùm a Pęnitentibus vltro ad confessores delatum, eos ne sic quidem inultos, impunitosque abire confessores ipsi patiantur: sed quo impiæ procacitati frenum vtique inijciatur, non solùm acrib. verbis castigent, obiurgentque, & grauibus pęnitentijs coerceant omnes, qui se sceleris huius reos fatebuntur, sed etiam in idem ipsum scelus identidem relabentes, ab absolutione repellant; nisi forte aut monendo leniterque agendo plus profecturos se existimarint, aut ea illi pęnitentiæ signa dederint, quibus fidere confessores possint.

De

*De blaſphemantibus deferendis.* *Cap.* 974.

NINIL videtur eſſe prætermittendum, quo ab tam ſceleſti criminis auſu homines deterreri poſſint. Igitur qui blaſphemantem, ac maledicentem Deo, ſanctisve audierit (eum, ſi ſine periculo poſſit) quàm aſperrimè, vt rei indignitas meretur, obiurget; ſin minus, intra triduum eius nomen ad nos, aut vicarium noſtrum, aut ſi maluerit ad ſecularem iudicē deferat. Quod ſi plures audiuerint, ad ſe quiſque idem deferendi officium pertinere intelligat; niſi inter eos conuenerit, vt vnus prō omnibus deferat. Caueant tamen omnes, ne cui inſonti inuidia, ac maleuolentia, falſum inferant crimen, meminerintque id audentibus talionis pœnam eſſe conſtitutam. Pecuniæ autem, qua quiſque mulctabitur, partem tertiam accuſator ipſe criminis & executor auferant, ex æquoque inter ſe diuidant, reliquum pijs operibus arbitrio noſtro attribuatur.

*Domini blaſphemare ſeruos ne patiantur.*
*Cap.* 975.

DOMINI ſeruis, Mercatores, opificeſque famulis, ac Miniſtris ſuis, vt ab tam impia in Deum procacitate temperent etiam atque etiam præcipiant. Non obtemperantes primò acri obiurgatione caſtigent, deinde contumaces, ac blaſphemare nihilominus perſeuerantes, protinus domo tabernaque eijciant. Neque enim ferre iam vltra eos poſſent, quin ſpreti læſique nefariè diuini numinis partem culpæ ipſi quoque ſuſtinerent.

*Magiſtratus ſeculares blaſphemantes ſeuere puniant.*
*Cap.* 976.

HORTAMVR autem ac magnopere obſecramus ſeculares, Magiſtratus, vt quæ ſupra ſtatuta a nobis ſunt, quando ad Dei gloriam, quæ hoc maximè ſcelere violatur pertinent, ſeruare omnia diligentiſſime ſtudeant. magna in vindicanda Dei iniuria ſeueritate curaque adhibita; cuius rei, & non parua eos merces a Deo ipſo manebit, & Leo decimus Pontifex Maximus in Lateranenſi Concilio decem annorum indulgentiam, tam Iudicibus crimen vlciſcentibus, quàm illud ad iudices deferentibus elargitus eſt. Et idem Pontifex Iudices, qui pœnas à blaſphemiæ conuictis non exigerint, pœnis iiſdem ipſos teneri iuſſit.

DE CONCVBINARIIS. CAP. 977.

CONCVBINARIORVM flagitium ſeueris eſt pœnis coercendum, quippe eo interdum prouehitur veſana libido, vt cum iuſta vxore eodem tecto,

recto, eodem cultu concubina habeatur. quæ res cum fœdi exempli sit, & sancta matrimonij iura nefariè polluat, atque confundat, præcipimus Parochis, vt quoscunque siue coniugatos, siue solutos huius turpitudinis crimine, maculaq; contaminatos senserint, eorum nomina ad nos continuo deferant; à quibus si admoniti concubinas eijcere, & penitus se ab earum consuetudine remouere, aut abnuerint, aut contumaciter distulerint, ex Tridentini Concilij auctoritate, seuerè cùm alijs pœnis, tum ipsa quoque excommunicatione punientur.

*De Sanctissima Eucharistia concubinarijs neganda.* Cap. 978.

QVI publicè peccant, publica etiam ignominia notandi, & commostrandi sunt. volumus itaque vt quorum non dubia concubinatus fama, atque opinio sit, eos a sanctissimæ Eucharistiæ Communione arceri, & adeuntibus, ac petentibus palam negari, quamuis fidem acceptæ à confessore absolutionis facerent. neque enim credibile est ritè absolutos, quorum non diremptam flagitii societatem esse constet. Neque verò quos haud occulta turpitudine fœdare sese non pudet, iustè queri possunt, si a diuino illo Sacramento impuri, pollutique repelluntur; quod nisi expiatis ac religiosis animis non impartitur.

*De concubinis.* Cap. 979.

SI qua mulier non pudoris solùm, sed etiam coniugalis sanctitatis adeo contemptrix fuerit, quæ vel nupta in alieni viri conuictu, concubituque degere, vel libera cum eo qui iustæ vxoris vinculo attinetur, viuere audeat, hæc si monita probrosam consuetudinem non deseruerit, aut carcere à nobis aut exilio plectetur.

DE MERETRICIBVS SEPARANDIS. CAP. 980.

FAMOSARVM quoque mulierum impudentiæ, quoad fieri potest occurrendum est. Quò enim muliebris libido, audaciaque non prorumpat, si refractis pudoris claustris, impotentiæ suæ impetu feratur? Quæ igitur cò progressæ sunt, vt vulgato corpore impudicitiam profiteri non vereantur, earum licentiæ, ac fœditatis aspectus, contagioque ne probarum constantiam labefactare, & conuellere possit, domicilijs etiam ab honestis segregentur, & in maxime abditam Vrbis partem, procul oculis, & frequentia ciuium, remoueantur. Ausisque inde emigrare, & alibi domum conducere, exilij pœna sit, nisi grauius mulctandæ nobis videbuntur.

*De meretricibus proprio vestitu distinguendis.* Cap. 981.

QVO impudicæ Mulieres ab honestis probisque internoscantur, omnes quæ corpore quæstum faciunt, proprio aliquo amictu palam indui, diuerso ab alijs cogantur; quo quidem amictu, earum vitæ fœditas discernatur, & veluti commostretur. Idque non solùm, vt certum inter honestas, turpesque discrimen statuatur; sed etiam vt ipsæ quamquam in omnem licentiam, dedecusque proiectæ, eo saltem insigni, ac turpitudinis suæ nota, nonnihil commoueantur, coerceanturque.

*Meretrices publicis diuersorijs prohibeantur.* Cap. 982.

VBI quæstus, & lucri spes ostendatur, nullius respectu, metuque turpitudinis praua hominum cupiditas contineatur. Caupones & publicorum diuersoriorum Domini, quò iuuentutem alliciant, & sibi hospitum frequentiam faciant, sæpe turpes domi mulieres, de industria alunt. Quare fit, vt peregrini, atque aduenæ illa hospitali fraude sæpe circumueniantur, magno cum animarum detrimento, & pari cum scandalo, præsertim alienigenarum, qui cum se hospitium subire credant, domum Meretriciam intrant, & meretriciis laqueis irretiuntur. id ne fiat, scortis etiam aliunde aduenientibus, decernimus, non licere publicis in Cauponis pernoctare, commorarique nisi itineris causa, nec vltra vnum diem.

*De lenocinium facientibus.* Cap. 983.

BONARVM quoque mentium corruptores, insidiosum, & fallax genus, & quod vetus quoque Poeta sensit, pernicies communis, ac pestis Adolescentium, lenones sunt. Qui hinc flagitiosa oratione ita influunt auribus, vt animos ad voluptatem emolliant, euincantque, hinc ipsam virtutem irridentes, conuiciisque incessentes, continentiam, constantiamque conuellant atque infringant. Igitur quicunque lenocinio quæstum facere, aut omnino flagitiosam exercere corruptelam, deprehensi fuerint, & alijs pœnis pro eorum merito afficientur, & protinus Diœcesis nostræ finibus exterminabuntur.

*De Cauponis.* Cap. 984.

MAGNÆ omnium corruptelarum, atque omnis nequitiæ officinæ, in quibusdam cauponis celebrantur. in quas non tam ad cibum capiendũ, emẽdũve, quàm veluti in ganeas lustra popinasque conueniũt. Hic cũ obscœnis mulieribus meretricia licentia discũbitur, hic vino, hic lustris, hic omnibus impuritatibus certatur. si hæc desint, aleatores certè huc maximè coeunt, tanta ludẽdi libidine, vt sæpe

dites,

dites, ac bene constitutæ familiæ hac vna peste attritæ, euersæque sint. At cùm ira damnisque suis incaluere, veluti ex tuto in omnes sanctos quasi aduersorum iactuum Auctores, atque adeo in ipsum Deum, Deique genitricem vesana, & sacrilega lingua bacchantur, & atrocibus maledictis, impiè, ac nefariè inuehuntur; quæ scelerum sentinæ, adhibenda cura est, vt eiiciantur, & Caupones si hæc fieri apud se patiantur, seuerè coercendi pœnis sunt, quod nos pro muneris nostri officio, non prætermittemus.

## *De Cingaris.* *Cap.* 985.

CINGARORVM natio, vaga, atque inops, & furtis ferè vitam tollerare assueta, nisi certa sede accepta, honestis se artibus exercuerit, & ex Christianæ disciplinæ placitis viuere in animum induxerit, diœcesis nostræ finibus arceatur.

## *De Iudæis.* *Cap.* 986.

ET si infida, & hostili in Christianum nomen odio imbuta, Iudæorum gens, neque sit in diœcesi nostra, neque vt vllo vnquam tempore aditus ei aperiatur, optamus; tamen sancienda de eis quoque pauca esse duximus, quò nostri homines ab eorum fraudibus cauere discant. Iudæi ergo seu morentur in vrbibus, seu peregrinentur, atque iter faciant, tam viri, quam fœminæ pileum, aut aliud capitis integumentum crocei coloris ferant, vt eo insigni ab alijs prorsus internoscantur. Christiani ne Sinagogas eorum intrent, non nuptias ineant, multo minus cum ijs ludant, & quod detestabile est, choreas ducant; cibum ne qui operas quidem ijs locarunt, apud eos capiant. Item Christianus nemo in eorum famulatu sit, nec vlla in eorum domibus nutrix, ac ne extra domum quidem lac eorum filijs præbeat, nisi necessitas quam Episcopus probarit, cogat. Iudæas fuci pigmentorumque ministras, mulieres nostræ repellant, atque hæc ne vltro quidem data ab ijs adhibeant. Nemo Iudæum medendi causa accersat: Nemo iis ad iungenda matrimonia interpretibus vtatur; vestes, vasaque sacra, aut sacrum quicquam vendere Iudæis aut pignori dare ne liceat, nec agros, & prædia locare; ijdem vicinas Ecclesijs domos ne habitent. Nemo cum illis festo die, de venditione, aut emptione agat, aut omnino negotietur. aut contrahat quicquam. Tribus ante Pascham diebus nemo Iudæus in publicum prodire audeat, aut quicquam ne secretò quidem facere, dicereve, quod contemptum Christianæ religionis habeat. Nemo denique Magistratum, aut publicum munus, quod ad Christianos aliquo modo pertinere possit, capiat, geratque.

iure punientur, præsertim si non dubium fœnus dissimulasse, & rem improbam honestis velare verbis conatos esse deprehenderimus.

## DE VISITATIONE. CAP. 990.

VISITATIONIS munus cum proprium excubantis ad gregis sui custodiam Episcopi est, tum si rite obeatur, maximè ad restituendam ruendamque Ecclesiasticam disciplinam salutare. Qui enim ouium morbis Pastor medeatur, nisi eas norit? Nosse verò qui possit, nisi visat sæpe præsensque, & a quibus & quibus artibus habeantur perspiciat? Igitur quod statutum a Tridentino Concilio est, Episcopus singulis annis non vrbanas solùm Ecclesias, sed omnem obeat perlustretque Diœcesim coneturque in primis quidem orthodoxam fidē, deinde morum disciplinam, & sanctæ Ecclesiæ instituta tueri, restituere, atque augere; & quæ huc spectare intellexerit, non dubitanter statuat, fretus auctoritate quæ summa illi etiam, vt sedis Apostolicę delegato, ab eodem Concilio tribuitur.

### *De ordine Visitandi.* Cap. 991.

HIC verò in visitando maximè tenendus ordo videtur, vt ipsa primò vrbs, deinde Diœcesis obeatur. In vrbe Cathedralis primùm Ecclesia, Canonici, Ministrique eius, tum deinceps Collegiatæ, ac Parochiales omnes, quique in ijs Clerici Sacerdotesque commorantur. Postremò Monasteria Monialium, simplicesque Ecclesiæ, Hospitalia, scolę, sodalitates, ac cætera loca pia. In Ecclesijs ipsis primò visendum sanctissimum Eucharistiæ sacramētum, deinde sacrorum oleorū vasa, post baptismus, baptizatorumq; ac confirmatorū, & matrimoniorū libri, sacræ reliquiæ, altaria, imagines, sacristia, supellexque omnis sacra, vestisq; & sacri item libri, Ecclesiæ inde ianuæ, tectum, pauimentum, parietes, fenestræ, Vas aquæ benedictæ, turris Campanilis, Campanæque, & Cœmiterium.

### *De Episcopo Visitatore.* Cap. 992.

VERVM Episcopus quidem piè, atque vtiliter faciet, si visitationem, a se ipso familiaque sua exordietur. Quo reliqui omnes domestica Pastoris disciplina seueritateque cōmoti, & emendari se facilius, nec repugnanter ferant, & inde prorsus alacriores ad capessenda amplectendaque iussa reddantur, cùm ad quam Ecclesiasticæ vitæ rationem nouis ipsi decretis adiguntur, eius clarissima in Episcopo suo exempla elucere intelligant.

*De visitatoris Modestia, & fragalitate.*
*Cap. 993.*

QVOD Concilij Tridentini decreto statutum est, de victu, sumptuque in visitatione faciendo, id vtique præstetur; tum vt quod conciliandis Pastori suo Populorum animis, quo inde maior mores corrigenti, & christianæ disciplinæ rationem restituenti, auctoritas fidesque fit, institutum esse videtur, id onus illis atque offensionem ne afferat; tum, vt omnibus rebus visitatoris modestia, temperantia, fragalitas commendentur. igitur modicum, nec nisi necessarium equorum ministrorumque comitatum ducat, & communi, ac parabili cibo contentus; omnem mensæ luxum, apparatumque respuat: laicorum conuiuia hospitiaque quantum per humanitatis iura licet, deuitet, aut si diuertendum ad eos fuerit, det operam, vt ab instituta mensę parsimonia ne discedatur. Ab omnibus, vel leuissimarũ rerũ muneribus manus prorsus abstineant.

*De studio percunctandi.* *Cap. 994.*

STVDEAT in visitatione Episcopus diligentissimè percunctando, quærendoque non solùm qui cuiusque loci, ad quem venerit, status sit, cognoscere, sed de singulorum etiam hominum vita, moribusque edoceri, ad eamque rẽ probatissimum quemque & ætate, vsu, integritate, spectatum adhibeat; Quo cognitis suorum morbis, salutaria cuique adhibere remedia possit, & si quos aliquo piaculo, peccatoue teneri intellexerit, cuius absolutio reseruata Episcopo sit, eorum in primis animis medeatur, & ad meliorem mentem, pęnitentiamque traductis, veniam absolutionemque aut per se, aut per alios impertiatur.

*De honore visitanti Episcopo habendo.* *Cap. 995.*

VETVSTO olim Turonensis Concilij canone institutum fuit, vt Ecclesias obeunti, visitationis causa, aduentantique Episcopo, cum Populus vniuersus præterquam senio, aut valetudine impeditos, tum verò illi maximè, qui cõfirmationis sacramentũ suscepturi essent, obuiam ordine egrederentur, & magna venerationis significatione exceptum, cum hymnis, & carminibus ad Ecclesiam deducerent. Hunc nos morem, à nostræ Diœcesi hominibus referri magnopere cupimus, quo suam in Episcopum, veluti communem parentem, pietatem omnibus honoris, atque obseruantiæ officijs testatam faciant. Quin etiam dum ipsas Parochiales Ecclesias inuisit, frequentes Episcopo assistant, non solùm vt concionantem eum audiant, sed etiam vt ille percunctari posit ab ijs, siquid res poscit, & ipsi si quid ad animæ suæ salutem procurandam opus habent, petere ab eo & liberè conscientiæ suæ plagas aperire, & exponere queant. Qua de re mãdamus Parochis, vt Populum ante, dum festo die adest sacris, commonefaciant, & ad

hæc

hæc ipsa officia Episcopo præstanda, & præsenti Pastoris ope vtendum, si eius forte indigentes sunt, adhortentur.

*Quæ præparatio visitationi adhibenda.* *Cap.* 996.

QVO Pastorale hoc visitationis officium, & studiosius peragatur, & fructuosius euadat, quædam videntur Episcopo præparanda præmonendaque esse. Ac primùm certa visitationi dicenda, præstituendaque dies, & monendus edicto Populus, vt labes animi sacra confessione, & Communione eluat, & Deum inde precetur, vt visitationis ipsius prosperos successus det: atque adeo eius rei causa, triduo antequam visitatio incohetur in Cathedrali maximè Ecclesia Orationem quadraginta horarum instituat. Deinde cùm ipse ad diœcesim obeundam egressurus erit, Archidiaconum, aut alium sacerdotem biduo antecedere se iubebit, qui coacto clero populoque, nunciet aduentum Episcopi, & ad eum, vt supra demonstrauimus, eximio cum honore, atque obuiam itione, lætaque campanarum pulsatione, excipiendum hortetur, edictumque de visitatione, deque confirmatione accuratè conscriptum, & Pastoralem Epistolam in concione recitet, atque euulget, omniaq; in Aduentum eius, ita præparet, vt veniens ipse promptiora, expeditioraque habeat, & eo citius transigere negotium possit.

*Quæ Parochis, & Ecclesiarum Rectoribus in Aduentum Episcopi Præparanda.* *Cap.* 997.

APPARETVR in Ecclesia altare, & studiosè exornetur, vbi Episcopus rem diuinam faciat, & Sacram Eucharistiam sua manu adeuntibus præbeat, & confirmationis Sacramẽtum ministret; Qui suscepturi illud erunt suam quisque schedulam cum suo, & Patrini nomine, ex edicti formula afferat, Parochoq; tradat. Suggestus quoq; vnde concio habetur, serica veste sternatur, orneturque: si qua consecranda Episcopo, aut benedictione afficienda erunt, siue ea ecclesia sit, siue cœmiterium, siue altare, siue campana, seu sacerdotalia indumenta, seu vasa, sacrificijque alius apparatus, omnia prompta, instructaque sint. In ipsa Sacristia aperta sint armaria; deprompta, expositaq; ordine vestes, vasaq; & omnis sacra suppellex. Item tabellæ, libri sacrorum statutorum, Sinodalium Decretorum, Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimonio iunctorum, status animarum, inuentaria præterea omnis generis, reliquiarum, Indulgentiarum, vestimentorum, supellectilis, litterarum, priuilegiorum, ac iurium Ecclesiæ, Item index omnium clericorum, omniumque beneficiorum, sodalitatum, Hospitalium, piorum locorum, & Ecclesiarum omnium, etiam campestrium, etiam regularium intra loci fines territoriumque sitarum, & censuum emolumentorumque vniuscuiusque earum, & prædiorum, bonorumq; omniũ, & rerum quoque alienatarum. Item nomina eorum, qui blasphemi, malefici,

concu-

concubinarij, simoniaci, vsurarij, & criminosi publicè habentur. Quique eo anno, in Pascha Sacram Communionem, confessi non sumpserint: Item coniugum, qui ex dissidio domum separarunt; quique iuncti sunt prohibito matrimonij gradu, item eorum qui in Ecclesia parum reuerenter versantur, quique festis diebus Missæ sacrificium obire negligunt, Alearorum, aut Aleatoribus domum suam commodantium, omnium denique deprauatorum morum, quos Parochus, in suæ parochiæ hominibus deprehenderit. Pauperum præterea, atque honestorum hominum, mulierumq́; quæ vera non simulata egestate premantur.

*De Notario visitationis.* Cap. 998.

OMNES quidem visitationis comites eadem lege repudiandi quantumuis pusilli muneris genus teneri se intelligere debent, sed notarium vel maximè abstinentem præstare se iubemus: quem ne pro decretorum quidem in visitatione editorum scriptura, exemplisve accipere quicquam ab ijs, qui visitantur volumus; Id tamen post tempus, si quis cuius intersit exempla ab eo petierit, non prohibemus quo minus pro labore, atque opera in ijs exscribendis impensa, iustam mercedem recipere illi liceat, taxæ modò seruato, quam nos singulis rebus statuimus.

*De Sacramento Confirmationis in visitatione ministrando.* Cap. 999.

NE ijs, qui longius absunt, necessitas imponatur ad vrbem suscipiendi causa Sacramentum confirmationis veniendi, quo fieret, vt multi rem diutius, quàm ratio postulat differrent, Episcopus lustrans Diœcesim in singulis oppidis id sacramentum ministret; edicto præmonitis omnibus, qua quisque ętate, quo corporis, quo vero animi habitu ad illud accedere debeat, vt ne fęminis mares, maribusve fœminę, ne ve senibus adolescentes parrini adhibeantur. Nec confirmandum offerat alium, qui confirmatus ipse non sit, nec item vnus plures, quàm duos aut summum tres vna die offerat, atque alia item seruari præcipiat, quæ supra a nobis in sacramento confirmationis tradita sunt.

*De Populo in visitatione alloquendo.* Cap. 1000.

VISITATOR id vel in præcipua cura habeat, vt Clero Populoque ad concionem vocato, omnes apta oratione, ad Ecclesiasticæ disciplinæ studium, ad fidei ac religionis cultum, ad virę atque morum integritatem, ad pacem, concordiamque tuendam adhortetur. Et si quos secreta priuataq́; admonitione, aut etiam castigatione indigere intelliget, id quoque officium pari studio, atque caritate obeat, & praua animi ægritudine ab recto æquoque aberrantes, docendo, arguendo, increpando, obsecrandoque ad rectę rationis viam reducere conetur.

*Visitatori quæ in Sacramento Eucharistiæ Aduertenda.*
*Cap.* 1001.

EVCHARISTIÆ sacramentum, vt summa cũ dignitate, ac veneratione habeatur, asseruetur q; videndum visitatori erit; Tabernaculum vt pro Ecclesiæ facultatibus, quam splendidissime ædificatum, ornatumque sit, & in summo maximè altari, aut alio insigni conspicuoque loco collocetur, loculus in ipso Tabernaculo vbi Eucharistia conditur, claui seraque claudatur, clauis penes Parochum asseruetur, intrinsecus serico circumuestiatur, nullaque pars eius non munda, nitidaque cernatur, nihil in tabernaculo præter sacramentum ipsum asseruetur. Hostiæ decimo quoque die renouentur, & in ipso quoque argenteo vasculo, in quo asseruantur, corporale ijs purum candidumque subijciatur. Perpetuum lumen ante tabernaculum ex lampade colluceat; Ad ægrotos id sacramentum cùm defertur quam plurimi, & maximè vicini, cum cereis funalibusquededucãt, addito ad eius cultum, vbi fieri potest, tentoriolo. In vase argenteo decentique feratur, Puer cum tintinabulo antecedat, idem ministranti sacramentum Sacerdoti necessariam operam pręstet. Non vna, sed plures hostiæ ferantur, vt idem honor, cultusque ad Ecclesiam redeunti habeatur; quod si aut vnam tantùm attulerit, aut omnes laborantibus cupientibusque ægris præbuerit, tum comitatu apparatuque omni dimisso, se domum recipiat. Ecclesiam sine eo sacramento nunquam esse sinat.

*Quæ in sacris oleis aduertenda.* *Cap.* 1002.

IN sacris oleis recognoscendis curetur primum, vt argenteis, aut certe stamneis vasculis contineantur, ijsque mundis, diligenterque extersis, & apta decentiq; forma, & cuique inscriptum olei nomen sit, quod continet, errari in eo ne possit. Vasa autem ipsa, vt loco honesto, decenti, tuto, clausoque asseruentur, & tantùm, quod ad vsum infirmorum habetur, seponatur. Olea vt recentia, atque eo renouata, & consecrata anno sint, veteraque in lampadem ante sanctissimam Eucharistiam ardentem effusa, neque enim fas adhibere alium ad vsum. Parochus ad noua olea à Cathedrali Ecclesia afferenda venire ipse, aut Sacerdotem alium mittere. Item cauere ne quid pretij, pro eo aut accipiendo, aut alijs ministrando intercedat, iubeatur. ne ue cui alterius rei, quàm sacramenti causa aut permittatur, aut adhibeatur.

*Quæ Visitatori in fonte Baptismi aduertenda.*
*Cap.* 1003

FONS baptismi primum quidem videndum erit, vt ea formę specie materiaque sit, quam supra in sacramento Baptismi memorauimus. Non solùm autem

autem solido è lapide esse debet, ne qua stilla manare, aut effluere ex eo possit, sed ne rimæ quidem vllæ desuper patere, per quas puluis, vel immundi quidquam penetret; quod quò certius caueatur, totum fontis opus serico aut certo lineo conopeo contegatur. Deinde cognoscendum an aqua eodem anno pridie Paschæ aut Pentecostis renouata, & solemni ritu ac cerœmonia consecrata, & benedicta fuerit, vetusque in sacrarium proiecta. Videndum præterea, vt pura, ac pellucida sit, ex eaque præcipiendum, ne quid cuique seu medicinæ siue alterius rei, quàm Sacramenti causa, impartiatur; vt in ipso operimento, armariolo ad id ædificato, vascula sacrorum oleorum chrismatis, & cathecumenorum, habeantur. item ritualis liber, & sudariola, & salinum, & coclear ad aquam infundendam, mandetur. Fons ipse, vt apto loco decentique statuatur, & quam magnificentissime pro Ecclesiæ opibus ornetur, seraque & claui firmè claudatur, clauisque penes Parochum asseruetur. In Baptismi sacramento administrando Romanæ Ecclesiæ ritus adhibeantur, deque eorum ratione diligenter Parochus interrogetur. Parrini Dominicam orationem, angelicam salutationem, ac simbolū fidei ignorantes ab eo officio reijci iubeantur; obstetrices si periculum ac necessitas vrgeat, quam in baptizando rationem sequi, quibusque verbis vti debeant, doceantur. Nomina vt ab ijs potius quos diuinæ religionis, ac sanctitatis laudes illustrarunt, quàm qui humanarum virtutum gloria claruerunt, sumantur. Postremo vt cum infantium tum Parentum eorum, Patrinorumque nomina & cognomina, diesque quo Baptizatus quisq; fuerit, in volumen eius rei causa comparatum, referantur, liberque diligenter in sacristia asseruetur; idem vt de chrismate confirmatis, deque Matrimonio iunctis fiat, curetur.

*Quæ aduertenda Visitatori in Sacris Reliquijs.*
*Cap.* 1004.

RELIQVIÆ sacræ visitator, vt decenti in loco, tutoque custodiantur, & loculis item, vasculisque decentibus condantur, curabit; vt quæque scriptū nomen cuius reliquiæ sunt, ferant: videat ne temerè quid inter reliquias referatur, ne dubiæ pro certis, sed singulorum documenta, aut testes exquirantur, aut certe tradita per manus opinione, ac vetustate nitantur. semel saltem quotannis Populo magno adhibito cultu, ac cęrimonia suis è vasculis ostendantur, priuatim non nisi iusta de causa spectandæ præbeantur. ab ea re omnis pecuniæ, & quęstus suspitio remoueatur. ab vno loco in alium transferri, nisi Episcopo appellato, ac permittere nemini licere, ignorari Visitator ne patiatur, cautionemque adhibeat, ne quis ijs ad maleficia vti possit.

*Quæ Visitatori aduertenda in altaribus.* Cap. 1005.

ALTARIBUS quoque singulis visitator aduertat, Maximum ita statui iubeat, si loci natura feret, vt Sacerdos sacra faciens orientem solem aspiciat, nullum non lapideum, nullum expers consecrationis sit; neque enim aliter sacrum in eo fieri fas fuerit. lapisque ne loco motus, ne ue fractus, & comminutus sit; sua quodque imago aut saltem crux in medio statuta ornet. bina item candelabra, totidem puluina, tres lineæ mappæ, & fronti prætensum pallium, ligneoq; gradu ascendatur, quem sacra faciens Sacerdos vestigijs premat.

*Quæ de quaque Ecclesia Visitatori præcipienda.* Cap. 1006.

ECCLESIÆ, vt bene ædificatæ, beneque materiatę sint, videndum Visitatori erit, parietes vt dealbati, pauimentum nequà fractum, interruptumque, tectum, vt laqueatum, nec ex eo vlla in Ecclesiam penetret pluuia. Vt fenestris luminibusque illustres sint, fenestræque opere vitreo permunitæ. Ianuis item valuisque vt firmè claudantur; quærendum an consecratæ, & quæ eius rei extent monumenta; vt chorum sedesque in choro habeant, pro ministrorum numero, in eas sedes, cum diuinis officijs Clerici operātur, nemo secularis ne Magistratus quidem recipiatur. Nemo item Ecclesiastici ordinis, nisi lintea cocta indutus fuerit; supra Chori aut Aræ maximę aditu, vnde intrātium Ecclesiam oculis celso ex loco occurrat simulacrum Iesu Christi affixi cruci, erectum habeant, totisque Ecclesijs aptis in locis, sacræ imagines pictæ cernantur. Habeant item in ipso aditu aquæ benedicta vasa, vtrinque destra, sinistraque statuta. Additæ item Ecclesijs sint turres campaniles, & ære in ijs Campanę, & cœmiteria, sepulchraq; Nec in ijs prophani quicquam asseruari, agique Visitator patiatur.

*In sacristia, quæ Visitatori aduertenda.* Cap. 1007.

IN Sacristia inspicienda, ordinandaque vel præcipuum Visitator studium curamque adhibere debebit; Primùm vt aptè Ecclesiæ adhęreat, vtque ampla ipsa illustris, fornicataq; sit; cuiusq; fenestræ ferreis clatris muniant. Altare habeat, & secretum orandi locum, & aquatium vas ad vsum lauandi manus. Armarijs præterea, longurijs, alioque instrō abunde instructa sit. Item necessaria supellectili, vesteq; lanea, serica, linea, argenteis vasibus, alijsq; ad vsum sacrorū necessarijs. Omniaque vt excussa, pura, munda, extersa, nitidaque vt habeantur. de qua quidem supellectili instrumentoque, cùm supra a nobis singilatim memoratum sit, non est, quod hoc loco pluribus differamus. Visitator quidem, si quid defuerit, comparari ordine singula, & in librum indicem inuentatiumque referri iubebit.

*In Canonicis Clericisque alijs quæ aduertere Visitator debet.*
*Cap.* 1008.

HIS, quæ supra attigimus, cognitis, ordinatisque, Visitator de cuiusque Ecclesiæ Sacerdotum Clericorumque numero, genere, dignitateque, cognoscat; Apostolicas literas proferri ab singulis iubeat, & an quid vitij falsiuè in ijs sit videat: & an Catholicā fidem, quibus ea imposita lex est, ex præscripto iure professi, atque ijs initiati sacris sint, quæ eorum ordo requirit, ac siqua labes simoniæ, siue in beneficijs, siue in ordinibus assequendis inesset, aperiat. Curet vt quam quisque Ecclesiæ debet, assiduitatem munusque præstet, fructusque beneficiorum ex præscripto sacrorum Canonum, quoad eius fieri potest, vt erogent. Neminem quidquam Ecclesiasticorum bonorū alienare, ac distrahere patiatur. eaque omnia tota Diœcesi, in codicem catastrumque referri: distributiones cotidianas ex ratione a Trid. Concilio tradita partiri; in Cathedrali Ecclesia Theologiam, aut casus conscientiæ doceri, in eorumque doctrina institui Clericos omnes, & quemque ob id iustam librorum supellectilem sibi comparare iubeat. Rationem cogendi, habendi, regendique capituli, Item conueniendi in Chorum, diuinaque officia obeundi supra à nobis præscriptam seruari præcipiat, & qua pœna illi teneantur, qui Canonicas horas recitare prætermittunt, doceat. Maximè autem de cuiusque vita moribusque perquirat, & pro cuiusque merito alios laudibus incitet, alios castigationibus atque pœnis corrigat. Sacramentum pœnitentiæ ministrare nisi qui ante Episcopo probati fuerint, neminem patiatur.

*Quæ aduertenda Visitatori in Parochis.* *Cap.* 1009.

IN Parochis pręter illa q̄ communia eis, cū cęteris Clericis sunt, primùm Visitator cognoscat ritè, an vitio initiati sacris sint, an fidem apud Episcopum professi. Deinde an libros Concilij Tridentini, Romani Catechismi, rituum Ecclesiasticorū, huius ipsius Synodi habeant, & an in eorum disciplina doctrinaque versati sint, diligenti percunctatione exploret. Tum videat, ne quo capiti membro, ne qua insigni deformitate, morboue notabiles sint. sine Sacerdotali veste, & quę ordinem eorum deceat, prodire in publicum vetet, non festis solùm, sed alijs quoque diebus, frequenter vt rem diuinam faciant hortetur; vt sæpe Populi concionem habeant, si dicendi facultas ijs suppetit, aut saltem christianæ fidei primordia tradant, admoneat. Non segnem petentibus sacramenta, aut eorum ope indigentibus, operam præstent, sed vltro se promptos ægris præsertim offerant, & beneuolentiæ diligentiæq; suæ studium omnibus probent. In ipsorum sacramentorum doctrina, tractationeque quā rationem disciplinamque habeant, diligenter ab ijs exquirat. A Pecuniæ, seculariumque rerum studijs auocatos ad Ecclesiasticarum rerum & sacrorum curam traducere conetur. secundum religionem nullius virtutis magis quam pudicitiæ, atque integritatis laudem appetendam

ijs

ijs esse demonstret, flagitij alicuius suspectos, verbis acriter castiget, compertos, grauiter puniat.

*Quæ item Visitatori in Laycis aduertenda.* Cap. 1010.

NON in Clericorum modo vitam, ac disciplinam inquirendum Visitatori erit, sed populi etiam mores cognoscendi, deprauatisq; & variè corruptis adhibenda remedia erunt. Ac primùm si quos aut hæresis suspitio, aut sacrorum contemptio incesserer, in hos ex canonum iure aget. Deinde si qui excomunicati, si Magicis artibus, aut maleficijs infames, si blasphemi, si flagitiosi, & concubinam palam habentes, si raptores, si famosæ Mulieres, & quæstum corpore facientes, si qui ex dissidio vxores domo exegerunt, si qui vetitis gradibus coniuncti, lege non soluti, matrimonio attinentur, si fœneratores, si facinorosi, ac sicarij, si quæ grauiores inter aliquos inimicitiæ existant, si qui eo anno confiteri, & cōmunicare neglexerint, studiosè quærere, & cognoscere Visitator debebit, & inde alios rogando, hortandoq;, alios castigando, atq; increpando, alios vinculis, & pœnis plectendo, omnes ad sanitatem, ac meliorem mentem reuocare contendet. Deniq; quicquid prauæ consuetudinis in Populi mores licentia inductum intellexerit, id vt corrigatur, abrogeturque, & quæ ad christianæ disciplinę rationem pertinent, vt suscipiantur, ac retineantur, omni conatu operam dabit.

*Quæ in scolis ludisq; literarum aduertenda.* Cap. 1011.

IN litterarum ludis scolisq; recognoscendis, Visitator ante omnia de Magistri moribus vitaq; ac doctrina percunctabitur, eumq; Catholicam apud se fidem profiteri iubebit; monebit prętereà, vt Pueris pro cuiusq; ętate captuq; nō nisi probatos Auctores, & veræ virtutis, humanitatis, modestiæ, non turpitudinis, ac nequitiæ vllius Magistros interpretetur; eosq; haud minori cura innocentiæ, ac religionis cultum, quàm literas doceat; neque ingenijs excolendis, quàm moribus regendis plus operæ studijque impendendum sibi esse statuat.

*In sodalitatibus Laycorum quæ Visitatori aduertenda.* Cap. 1012.

VISITATOR sodalitates inuisens, ædem ipsam oratoriumque in quod conuenire sodales ad diuinas preces celebrandas, & ad consultandum de comunibus sodalitatis rebus consueuere, adeat. Quem sanctorum Pręsidem cœtui suo patronumq; adoptauerint, cognoscat; ac legum quibus societas continetur volumen proferri iussum perlegat, ac si quid in ijs quod aut cum

religionis sanctitate minus consentiat, minusuè Christianis moribus congruat, aut omnino vlli corruptelæ aditum occasionemque aperiat, inuenerit, id antiquari protinus abrogarique iubeat, & omnia ad pietatis, atque humanitatis officia incitanda sanciri. Demum vniuersos ad vitam ex susceptæ disciplinæ ratione instituendam, & maximè ad frequentem sacramentorum vsum, piorumque officiorum vsurpationem, & pacem concordiamque colendam adhortetur; maximeque ad illius sancti innocentiam, religionem, & erga Deum fidem, ac pietatem se conformandos, quem societatis ipsius defensorem, patronumque asciuerunt; & qui spontè se sanctis legibus institutisque addixerunt, moribus quoque suis, atque communis vitæ vsu, legum ipsarum specimina dare studeant: si sodalitas certa vectigalia bonaque habeat, ea per annuos Magistratus administrari iubeat; & vt accepti & expensi rationes quisque Magistratu abiens Episcopo reddat, explicatasque successori tradat, instituat. Nec Magistratus petendi, aut adipiscendi ius illis esse sinat, qui quod debent societati, integrum ante non exoluerint: illud quoque videat, vt satis eorum voluntati fiat, qui sodalitatis rem testamentis suis auxerunt, & vt ab ipsorum Magistratuum creatione ambitus omnis, omnisque corruptela absit, conciliaque eorum magna modestia ac religione vt habeantur, curet.

*In Hospitalibus quæ aduertenda Visitatori.*

*Cap.* 1013.

IN hospitalibus primùm Visitator curam Ecclesiæ, si quam habent, aduertat, eaque vt & instructa necessarijs rebus sit, & à peritis Sacerdotibus habeatur, & vt oĩa ex instituto loci ritè administrentur, videat. Recognoscat inde Hospitalis Domus supellectilem, & vt maximè lineorum, stragulorumque pro loci facultatibus copia suppetat. Item ægrorum lecti, vt bene strati, purisque ac mundis linteis sint, atque ægris necessaria ministrorum Medicorumque operâ, assiduitasque ne desit, curet. singulosque benigno ipse comique, & maximè pio alloquio soletur, & eleemosinæ munere aliquo liberaliter afficiat. In ipso diuersorio erigi altare iubeat, cum pijs imaginibus, & Iesu Christi sublati in Crucem simulacro, quod ex stratis suis aspectare, venerarique ægri possint, & Sacerdoti rem diuinam facienti mente, oculisque operam dare. Illud quoque præcipiat, vt recepti in hospitium ægri ante omnia pęnitentiæ, atque Eucharistiæ Sacramentis procurentur, eademque vt ingrauescente demum morbo, atque instante iam morte repetantur, extremaque Vnctio adijciatur; mortuis inde exequias fieri, corporaque solemnibus cum præcationibus sepulturæ mandari iubeat. Cuiusq; res, vestes, pecuniā hospitale curādi causa adeuntium seruari cū fide

præcipiat, & ne quis ministrorum quicquam ab laborantibus arte, precéque extorqueat; ac ne à sponte quidem dantibus accipiat, curet. Adeat quoque medicinas, & aromatum tabernam, & horreum, & Panaria, & Penum, & vinariam cellam, & omnia proba, recentia, & rectè curata confectaque vt sint, videat, & omnia vt ex instituto domus administrentur. Ipsum, qui hospitio hospitalibusque præest, & ministros omnes alloquatur, eorumque fidem, & diligentiam, atque humanitatem oratione intendat, & ad suum quemque munus implendum hortetur, ac in id etiam iusiurandum ab iis exigat, & rationes acceptæ, atque expensæ pecuniæ ad Episcopum ferri quotannis iubeat. Denique bonorum supellectilisque omnis inuentarium vt conficiatur, & ne quid eorum ab quoquam occupetur, uideat: atque hoc studium, ac diligentiam visitator in aliis quoque locis piis visendis, ordinandisq; adhibebit.

*Quæ in Regularibus visitandis aduertenda.* Cap. 1014.

SI forte Regularium Monasterium visitandum esset, initium eius rei faciendum ab Ecclesia erit, & ea ordinata Monasterium ipsum, & singulorum cubicula Visitator obibit, & mox regulares ipsos singulos seorsum appellabit, ac primùm quæret, de obedientia, de paupertate, de castitate quæ quisque ex instituto vouit: deinde de Magistratibus eorum præsidibusq; an ritè, atq; ex legibus, vel vitio, ac per ambitum creati sint, & an rectè, & ex disciplina Magistra cum ipsum gerant; tùm de numero, deq; familiari re exquiret. Atq; his cognitis, omnes parere legibus, institutisque seu Regulæ ordinis sui iubebit; ac nouas etiam leges continendis, regendisque moribus, & licentiæ, auaritiæ, ambitioni coercendæ, si opus esse intellexerit, ipse feret; & maximè Pij Quinti Pontif. Maximi constitutioni obtemperari iubebit fœminas omnes aditu Monasteriorum arcendi; bona, vectigaliaque, vt cum fide, curaque administrentur, ac ne quid publicæ pecuniæ a Ministris interuertatur, neve quid bonorum alienetur, curabit. Vetabit verò considere, ac proponi quemquam audiendis confessionibus, quem Episcopus ante non probauerit, eiusque rei ius, potestatemque illi non fecerit.

*Quæ aduertenda in visitatione Monialium.* Cap. 1015.

IN Monialium visitatione eo studiosius, accuratiusque versandum esse videtur, quo res sanctior celsiórque est, de qua agitur; neque enim Virginitatis laude gratius Deo quicquam, aut inter homines præstantius esse videtur. Ergo cùm illa eadem, quæ proximè in Regularibus tradidimus, de Ecclesia, de cubiculis, de singulorum appellatione, de votis, de Magistratibus, de legibus,

gibus, de bonorum administratione quærenda erunt; tùm multa præterea fœminarum propria statuenda; de septis, de Ianuis, de ferreis clatris, de Rotis, de vitando omni virorum congressu, de diuinis officijs, de studio precandi, de otio, ac cessatione fugienda, de nuper in disciplinam traditis, de Regula, de lectione ad mensam, de dormitorio, de lectis separandis, de cultu corporis, de communi victu, communique rerum omnium vsu, de triclinio, seu refectorio, de valetudinario, deque aliis ad cultum, victum, moresque Monialium pertinentibus; quæ quia abunde omnia videmur persecuti eo libello, quem vulgari lingua scriptum monialibus nostræ diœcesis edidimus, superuacaneum duximus, de ijs hoc loco pluribus disserere.

*De visitationis decretis exequendis.* *Cap.* 1016.

EPISCOPVS ne studium suum, laborque in visitatione susceptus (quod non rarò euenire solet) in cassum abeat, inanisque euadat, quam in statuendis ordinandisque rebus diligentiam, curamque impendit, eandem, atque adeo etiam maiorem in eo ponat, vt statuta ordinataque præstentur, & primo quoque tempore perficiantur, impleanturque. Itaque si fieri poterit det operam, vt antequam ab ipsa Ecclesia, pioque loco, discedat, quod visitauit, decreta, præsertim quæ aut ad ædificii structuram, aut ad nouam supellectilem Ecclesiasticam comparandam, augendamvè pertinent, Rectori alijsvè quorum interest relinquantur, & a quo, & intra quod tempus, & cuius sumptu ea fieri præstarique æquum censuerit, definiat; pœnamque negligentibus statuat. Verùm si fortè res in eam disceptationem veniret quam Episcopus statim dirimere ac diiudicare non facile posset, re in minus impeditum tempus dilata, longiorem moram non trahat; ne grauis iis sit, quorum sumptibus visitatio eo loci agitur. Decreta autem in volumen eius rei causa comparatum, ab singulis Ecclesiarum Rectoribus referri iubeat, volumenque in Sacristia asseruari.

*De edicto visitationis Proponendo.*
*Cap.* 1017.

MAGNOPERE ad rem videtur pertinere, vt visitator non ante grauissimum munus aggrediatur, quàm omnes de suo consilio fecerit certiores, edictumque de eo proposuerit, vt & Populus ad Deum precibus placandum, & Sacra Confessione, & Sanctissimæ Eucharistiæ perceptione conciliandum se comparet, & Ecclesiarum, & maximè Parochialium, Recto-

res moneantur, vt omnia quæ supra a nobis de indicibus inuentarijsque, & alijs rebus tradita sunt, præparata, instructa, perfectaque habeant; Et qui præmissus fuerit, multa quæ studiose pertinentia ad rem perquiret, aduenienti Episcopo nunciet. sic ille breui mora, minorique Ecclesiarum, & Populorum sumptu, sanctum salutareque officium peraget.

## DE BONORVM ECCLESIASTICORVM CATASTO CONFICIENDO. CAP. 1018.

GRAVE passa detrimentum Ecclesiastica res est, negligentia eorum, qui singulis Ecclesijs præfuerunt; dum plerique fructus in singulos annos ex earum bonis corradentes, bona ipsa ita nulli curæ habuerunt, vt partim nihil ab occupantibus defenderint, partim ipsi, magna cum animæ pernicie, prodiderint vltro, distraxerintque, aut adeo sibi suisuè adiudicarint. Certe monumenta iurium possessionumque aut nulla, aut perpauca iam extant, quæ pari neglecta incuria, interiere, nulla spe amplius Ecclesiam in pristinum ius suum vendicandi. Id in posterum ne accidat, nosque Christi patrimonio, quantum ipso adiuuante Christo possumus, consulamus, & saltem hanc ipsam tenuitatem, ad quam redacta in Diœcesi nostra sunt Beneficia Ecclesiastica, tueamur, statuimus vt tā nostræ Cathedralis Ecclesiæ, & Capituli, quā Collegiatarum, omniumque aliarum Ecclesiarum siue illæ curatæ, siue simplices sint, item Hospitalium, & piorum locorum quorumcunque, & quocunque nomine nuncupentur, census agatur, & iura, actiones, redditus, nomina debitorum, fortunæ denique, bonaque omnia, mobilia, & immobilia earum recenseantur, recognoscanturque, & singularum Rectores administratoresque omnibus diligentissime perquisitis singula in codicem, seu catastum, siue inuentarium referant, & quibus ea in locis sint, quibusuè finibus contineantur, singilatim per publicum notarium describant, idque intra sextum mensem a die huius editi decreti perficiant, & præstent.

### *De catasto in Archiuio Episcopali asseruando.*
### *Cap.* 1019.

ILLIVS autem siue catasti siue Inuentarij duo quisque exemplaria conficiat, vtraque publici notarij auctoritate, signoque, vt eorum certior fides sit, consignata. quorum alterum in sua quisque Ecclesia seruet, alterum in tabularium, siue Archiuium Episcopale custodiendum tradat. Vnde si quando vsus sit, exscribere gratis vnicuique, cuius intersit, liceat.

*De Catasto in visitatione recognoscendo.* Cap. 1020.

VT hac quoque diligentia bonorum Ecclesiasticorum incolumitati prospiciatur, Rectoresque studiosius inde Ecclesiæ quisque suæ bona, resque tueantur; Episcopus in obeunda, visitandaque Diœcesi, hæc ipsa inuentaria, catastaque secum afferat, rerumque ac bonorum cuiusque Ecclesiæ rationem ab rectoribus ipsis, ministrisque reposcat; ac si ipse per se non poterit, negotium det idoneis hominibus singula recognoscendi & cum catasto conferendi. Ac si quid deperditum, si quid damni illatum Ecclesiæ esse repererit, restitui protinus, resarcirique curet. Ac ipsa quoque inuentaria renouari, aut ijs si quid antea omissum, aut si qua postea accessio mutatioue facta esset, corrigi iubeat. Ac si cuius aut contumaciam, aut negligentiam, aut fraudem deprehenderit, eam pro modo culpæ seuere puniat.

*De non alienandis Ecclesiæ bonis.* Cap. 1021.

OFFICII nostri pastoralis non postremæ partes sunt, curare vt bona iuraque Ecclesiæ sarta tectaque conseruentur, neque occupentur a quoquam, neque a Clericis ipsis alienentur. Itaque ex auctoritate Tridentini Concilij omnibus præcipimus tàm Clericis, quàm laicis, ne quis quod iuris Ecclesiæ sit occupare, aut falsa iuris specie, vt suum vsurpare, aut iusto Dominio, quo minus ad suum ius perueniat, impedimentum afferre, audeat, proposita non parenti excommunicationis pœna; a qua nisi a Pontifice Maximo, ac nisi redditis quæ iniuste possidet, absolui non possit. Quod si quis in beneficium cuius occupat bona iuspatronatus obtinet, eo etiam iure statim mulctetur, & si Clericus sit, & beneficijs Ecclesiasticis omnibus spolietur, & ab ordinum, quibus præditus est, vsu prohibeatur.

*De Concilij Tridentini decreto aduersus Ecclesiæ bona occupantes.* Cap. 1022.

ET si ignorare nemo potest, quam graui se crimine obstringat, qui Ecclesiæ bona, iuraque cuiuscumque generis sint, inuasit, iniusteque occupat, & quid ea de re statuerit Oecumenicum Tridentinum Concilium. tamen ne quis se ignorantiæ excusatione tueri possit, transferre in hunc locum Concilij ipsius decretum in vulgarem sermonem conuersum placuit, quod quidem quotannis a Parochis concionatoribusque initio Aduentus, & Quadragesimæ populo coram inter Missæ sacrificium recitari, ac pronunciari iubemus. Est autem huiusmodi.

*Seß. XXII. Cap. XI.* Cap. 1023.

SE l'auaritia radice di tutti i mali, occuperà talmente l'animo d'alcun Chierico, o laico di qualunche dignità si risplenda, anco imperiale, & regia, che presuma o per se stesso, o per mezzo d'altri, con via di forza, o di timore, ouero con supposite persone Ecclesiastiche, ò seculari, o con qual si voglia artificio, & procurato colore conuertire in suo proprio vso, & vsurpare, o impedire che non si riceuano da coloro, a quali di ragione spettano, le giurisdittioni, i beni, i censi, & le raggioni anco feudali, & enfiteotiche, & i frutti, gl'emolumenti, o qual si vogli entrata, che s'habbia da impiegare ne bisogni de' ministri, & de poueri d'alcuna Chiesa, ouero di qual si voglia beneficio seculare o regulare, de' Monti de la Pietà & d'altri lochi pij, questo tale sottogiaccia à scommunica maggiore fin tanto, che hauerà intieramente restituito alla Chiesa, & a l'amministratore d'essa, o beneficiato le giurisdittioni, i beni, le robbe, le raggioni, i frutti, & l'intrate, le quali hauerà occupato, o che in qual si voglia modo anco per donatione di supposita persona saranno peruenuti in suo potere, & fin che hauerà impetrata l'assolutione da la S. di N.S. Et s'egli hauerà il iuspatronato de la medesima Chiesa, ne resti oltre le sudette pene, ipso fatto priuato. Et il Chierico che sarà stato fabricatore di si scelerata fraude, & vsurpatione, o vi hauerà consentito, sottogiaccia ancor esso a le medesime pene, & di piu s'intenda priuato di qualunche beneficio habbia, & resso inhabile ad hauerne più alcuno di qual si voglia sorte, & ancò dopo che sarà assoluto, & hauerà intieramente satisfatto, resti nondimeno suspeso da l'essecutione de' suoi ordini, quanto piacerà al suo ordinario.

*De bonis alienatis recuperandis.* Cap. 1024.

QVICVMQVE siue Canonici, siue moniales, siue alij quiuis Ecclesiastica bona, aut permutauerint, aut quouis pacto alienauerint, nulla legitima superioris auctoritate, nos tam ijs a quibus alienata fuerint, quam a quibus occupantur, præcipimus, illis quidem vt ea recuperandi actionem instituant, his verò, vt reddere ea cum fructibus iniuste perceptis in animum inducant. Non parentes cum alijs pœnis ex Canonum iure compellemus, tum suspensionis atque etiam anathematis telo, si opus esse intellexerimus, feriemus: permutatationes autem ipsas alienationesque nullam prorsus vim habere decernimus.

*De bonis Ecclesiæ propinquis suis non locandis.*
Cap. 1025.

NEMINI Ecclesiastici beneficij possessori vlla Ecclesiæ bona, vlli propinquo suo intra tertium gradum, in Emphiteosim, aut ad cuiusuis temporis

spatium

ſpatium locare liceat, ne ſi perſona quidem, nomenque alterius ſuppoſitum ſit, niſi magna, euidens ac non dubia Eccleſiæ vtilitas, præter alia iuris requiſita, etiam iudicio Epiſcopi, appareat: ſi aliter factum fuerit, & nullam eſſe locationē decernimus, & qui locauerit, vt meritus fuerit punietur. quin ab his, quibus negotium datū a nobis ex Concilij Tridentini auctoritate fuerit recognoſci etiam ex officio omnes locationes bonorum Eccleſiaſticorum ad diuturnum tempus factas, & quas contra Canonicas ſanctiones, & Eccleſiæ detrimentoſas eſſe iudicauerint, reſcindi atque irritas, nullaſque declarari volumus.

*De bonis Caducis.* *Cap.* 1026.

SI quæ laicis conceſſa Eccleſiæ bona aliquo modo caduca facta ſint, caueat Eccleſiæ ipſius rector, aut miniſter ne pœnam caducitatis remittat, niſi ſeruatis ijs, quæ in hoc genere iura præſcribunt; qui ſecus fecerit, arbitrio noſtro plectetur; bona autem quæ ad Eccleſiam redierunt, amplius in longum tempus locare, aut alienare, ne capitulo quidem ſine conſenſu Epiſcopi volumus licere: nam quantum ſuperioribus temporibus ſeu dolo, ſeu negligentia in alienandis Eccleſiæ bonis peccatum eſt, tantum in recuperandis ſtudij adhibendum nunc eſſe videtur.

*De locationibus anticipata ſolutione factis.* *Cap.* 1027.

SI quis contra quàm Concilij Tridentini decreto in Seſſ. XXV. Cap. XI. cautum eſt, bona Eccleſiæ repræſentata pecunia conducere locareuè in ſucceſſorum fraudem detrimentumque auſus fuerit, & a nobis, vt meritus erit, mulctabitur, & locationes ipſas vim nullam habere, neque vllum ſucceſſoribus præiudicium afferre decernimus.

*Adminiſtrantes Eccleſiarum bona ab ijs emendis excludantur.* *Cap.* 1028.

QVI cuiuſcunque Eccleſiæ aut Pij loci bona adminiſtrant, ijs nullo modo volumus licere, ſiue ſuo, ſiue alterius nomine ſubiecto, ex illis ipſis bonis emere, aut conducere, aut in emphyteoſim accipere quicquam. Qui contra fecerint, ab illo adminiſtrandi munere ſtatim amoueri, nec in poſterum dignos duci, quorum fidei vlla talium bonorum procuratio committatur, & nihilominus in ius vocari, & ad reddendum quod Eccleſiæ debent, legibus cogi iubemus.

*De Clericorum pœnis Eccleſiæ monumenta ſupprimentium.* *Cap.* 1029.

QVAS pœnas Agathenſis, & Aurelianenſis Sinodus ſtatuere aduerſus ſacerdotes clericosvè, qui monumenta ſcriptavè vlla cuiuſuis generis

ad

ad Ecclesiæ iura rationesque pertinentia dolosè occultauerint, auerterint, suppresserint, eas nos diœcesis nostræ Clericis Sacerdotibusque criminis huius reis indicimus, vt non solùm crimen illati Ecclesiæ damni, sed etiam ingrati animi vitium, quod grauissimi criminis instar est, vindicetur.

*De Monumentis Ecclesiæ a propinquis mortui Clerici recipiendis.* *Cap.* 1030.

DEFVNCTI Clerici hæredes, propinquosque monemus, vt intra decimum diem postquam eum extulerint, quicquid scriptorum monumentorumq; ille reliquerit, quod ad Ecclesiam, cuius rector possessorque fuerit, pertineat, ad successorem eius in eadem Ecclesia beneficioue deferant, gratisq; illi tradant, nec cum eo vllum, ne minimũ quidem huius officij pretium paciscantur, exigantue, etiam si Clericus qui decessit sumptus aliquid in eorũ exemplis exscribendis comparandisque erogauerit. qui hoc sponte sua facere, aut negliget, aut recusabit, a nobis etiam excommunicationis pœna compelletur.

*De bonis Mortui Parochi tuendis.* 1031. *Cap.*

NE Ecclesiæ bona post Rectoris mortem prædæ improbis sint, statuimus vt mortuo Parocho, Parochus vicinior aut alius Sacerdos, qui morienti adfuerit, adhibitis loci decurionibus, aut alijs probatæ fidei hominibus, inuentarium mobilium rerum ad ipsam Ecclesiam spectantium conficiat, eorumque custodiam, cui maximè tutò committi posse iudicauerit, commendet. At verò qui bona Ecclesiæ Rectore viduatæ inuadere, aut surripere ausus fuerit, eum pœna excommunicationis latæ sententiæ teneri decernimus.

*De Aduocato Ecclesiasticorum bonorum constituendo.*

*Cap.* 1032.

VBI res ita poscere videatur, perutile fuerit publicè Iurisconsultum diligere atque ei certum stipendium communi Cleri sumptu constituere, vt Ecclesiasticorum bonorum, iuriumque patrocinium suscipiat geratque, & ijs recuperandis pro sui officij munere diligenti studio, curaque intendat. Quod si Ecclesiarum Rectores, siue ob nimiam egestatem non possint, siue ob inscitiam non curent, siue ob metum non audeant, suæ quisque Ecclesiæ iura vendicare, non propterea Ecclesiæ ipsæ defensore careant, & huius ipsius Iurisconsulti, qui publicè patronus cooptabitur, fide atque studio protegantur, & ad suum aliquando ius perueniant.

*De Ecclesiarum fructibus dispensandis.* Cap. 1033.

MONITOS omnes volumus, quicunque Ecclesiasticis beneficijs potiuntur, non (quod plerique existimant) Ecclesiarum fructus fruendos, habendosque nobis esse tributos, sed dispensandos. Nec vt nos nostrosque ijs locupletemus, sed, vt ea modo parte, quæ sustendantæ vitę dignitatique necessaria sit, ex ijs sumpta, quod victui nostro ac modesto cultui superest, partim in egentes dispartiamus, partim in Ecclesiæ vsus erogemus. Caueat ergo pro se quisque, ne in re grauissima, & animæ salutem attingẽte labatur, & sciant omnes, quæ in Apostolicis litteris, quibus beneficia conferuntur, præscriptæ conditiones sunt, aut quas beneficiorum ipsorum propria institutio exigit, ijs vtique satis faciendum esse. Et qui fructus sibi ipsis vindicant, aut in alios transferunt, eos sacrilegij crimine, & restitutionis lege teneri, neque vllo exemplo aut vlla consuetudine excusari.

*De Decimis.* Cap. 1034.

MONEMVS Diœcesis nostræ homines præsertim aratores, decimas Sacerdotibus diuino iussu deberi, & Deum rerum Dominum negare, ac detrectare videri, qui cuius nutu, ac prouidentia terra nobis fruges gignit, illi reposcenti decimas subtrahere conantur. quod ne ignoretur, mandamus Parochis, & Concionatoribus, vt quotannis prima quaque die Dominica Aduentus & Quadragesimæ, populum de eo erudiant, & quæ Tridentinum Concilium de solutione decimarum statuerit, edoceant, & ipsum Concilij decretum in vulgarem sermonem conuersum recitent, magnopereque omnes hortentur, vt debitas decimas integre persoluant, ne propositas ab eodẽ Concilio excommunicationis pœnas subire cogantur.

*Decretum Tridentini Concilij Sess. XXV. Cap. VII. in vulgare conuersum.* Cap. 1035.

NON deuono esser tolerati coloro i quali con varij artificij s'ingegnano di sottrare a le chiese le Decime che li peruengono ouero temerariamente occupano, & appropriano a se quelle che da altri hanno da esser pagate, poi che il pagamento de le Decime è douuto a Dio. Et quelli che ò recusano pagarle, ò impediscano altri che le paghi, sono aggressori, & vsurpatori de le cose altrui. Per il che il Santo Concilio comanda a tutte le persone, a le quali tocca pagar Decime, di qualunq; grado & conditione si siano, che nell'auuenire paghino intieramente a la Cathedrale o a qualunque altra Chiesa o persona, a chi legittimamente si deuono, tutte quelle Decime che di ragione son tenuti. Et che coloro che le sottranno o l'impediscano, siano scommunicati, & non possino essere assoluti da questo delitto

litto se non fatta l'intiere restitutione. Essorta appresso ogn'uno che per debito di Christiana carità, & per quello che deue ciascheduno al proprio Pastore, non si grauino di souuenire de le facultà che il Signor Dio ha loro concesse, a i Prelati, & Parochi de le Chiese pouere a laude, & gloria di Dio, & conseruatione della dignità de medesmi Pastori, che non cessano d'inuigilare per la salute loro.

*Aratores etiam si in Diœcesi non habitent soluere decimas debere.*
*Cap.* 1036.

ET quia compertum habemus, quosdam spreto animæ suę periculo, vt fraudem Ecclesijs faciant, ac sua prædia a solutione decimarum eximant, alienæ Diœcesis homines ad ea colenda adducere, eosque scissis aratro agris & iactis seminibus abscedere, nec inde nisi ad messem faciendam percipiendasque fruges redire, atque ita subtrahere Ecclesiæ Decimas conari, quasi soluere eas minus debeant, propterea quod incolæ Diœcesis nostræ non sint: Nos ne hoc dolo Ecclesiæ iura minuantur & illorum ipsorum saluti consulatur, qui cupiditate lapsi, animæ suæ labem non sentiunt, statuimus, Decimas pro huius Diœcesis consuetudine ab omnibus aratoribus, cultoribusque agrorum exolui debere, siue illi domicilium intra fines nostros habeant, siue aliunde ad agros colendos aduenianτ, vt enim veteri canone cantum est, agrorum possessores etiam Ecclesiasticis censuris adigi debent, vt ijs sua prædia colenda tradant, a quibus Ecclesia sine cõtrouersia ac mora exigere decimas possit.

DE TAXA PROPONENDA.
CAP. 1037.

STATVENTVR à nobis, de illorum consilio, quos ad eam rem adhibendos censuerimus, tam Iudicibus, quam Aduocatis, Procuratoribus, Notarijs, & ministris quibuscumque; qui aliquam in Episcopali foro causis operam nauabunt, certa mercedis pretia, quę cuique pro impensa opera, laboreque dependenda erunt. Atque hanc præscriptam taxam, æstimationemque nostrã, ne ignoretur, palam proponi, & foribus Cancellariæ affigi, eiusque legibus ab omnibus stari iubebimus.

*De Notarijs examinandis.* 1038.

QVIA vsu compertum est, ex imperitia, insciτiaque Notariorum magnã litium, atque controuersiarum sementem existere, ex autoritate Tridentini Concilij statuimus, vt de singulorum intelligentia, atq; exercitatione, adhibito examine, perquiratur; quique minus probati fuerint, quamuis Apostolica, Imperiali, aut Regia autoritate in eum ordinem asciti sint, ijs offi-

officij sui vsu in Ecclesiasticis causis, siue perpetuo, siue ad tempus interdicatur, ad eiusdem Concilij præscriptum.

*De Notarijs.* *Cap.* 1048.

NOTARII Episcopalis Fori homines spectatæ integritatis, atq; industriæ asciscantur. Hi a præfinita, æstimataque, pro cuiusque causæ genere, operę mercede ne discedant, nevè plus quicquam petere, aut exigere audeant. Qui contra fecerint à nobis grauiter punientur. De controuersijs inter Notarios, & litigantes apud nos disceptetur. In acta augendi voluminis causa nihil superuacaneum referant; item ipsam scripturam, vt extendant, augeantq;, non laxioribus maioribusq; litteris, sed sueto genere exscribant; si fraudem in eo fecerint, res arbitrio nostrò æstimetur. In rebus merè spiritualibus nihil accipiant præter scripturæ mercedem, quam nos statuemus.

*De iureiurando a Notarijs exigendo.* *Cap.* 1049.

VT præter delectum in asciscendis Notarijs adhibendum, etiam religione fides eorum deuinciatur, ab singulis iusiurandum in hanc, quæ sequitur formulam exigi iubemus. Ego N. Notarius curiæ Episcopalis Ameriæ, iuro me nihil vel dedisse, vel promisisse huius officij obtinendi gratia, spondeo quoque & iuro, me fore in obeundo munere meo diligentem, fidelem, & secretum, sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

*De Aduocatis.* *Cap.* 1050.

RES æqua, & christianæ pietati consentanea fiet, si ad causas agendas, tuendasque in Episcopali foro, nemo Iurisconsultorum patronus aduocatusque adhiberi permittatur, qui ante se iureiurando non obstrinxerit, nullam causam suscepturum, quam iniustam, & ab æquitate alienam esse existimet; sic enim aliqua ex parte litium immensæ segetes relecabuntur, & multorum saluti consuletur, qui disceptationes de singulis rebus arte alentes, clientibus interea suis sanguinem haud secus quàm Hirudines sugunt. Procuratores quoq; eodem iureiurando adigantur; atque vtriq; in fraude, ac periurio deprehensi, foro Episcopali cum ignominia eijciantur, quod vt seculares quoque magistratus, Iudicesque faciant, magnopere eos hortamur.

*De his, qui in custodiam dantur.* *Cap.* 1051.

NE plus damnijs, qui in custodiam dantur, capitalium rerum ministri rapax atque auidum genus, & cui nullum æqui iniquiq; discrimen, inferant, quàm quantum Iudex ipse mulctæ nomine irrogaret, iubemus Ministris ipsis

statui

statui mercedis pretium, quod ijs, pro vnoquoq; capiendo, incarcerandoq; ducendo, proq; ipsa custodia, proq; victu, ducta ciborum ratione, exoluendum sit. Volumus etiam licere captiuis victum ab alijs quàm à custodibus cōparare, emereq; & propterea asperius tractari ab ijs, aut in deteriora loca compelli, vetamus. Res, arma, pecunia, vestes, cum quibus fuerint comprehēsi, ademptæ ijs tuto in loco asseruentur; earum rerum nihil ministris ipsis, aut carcerum custodibus attingere, vel auferre liceat, sed integra omnia vel Dominis reddatur, vel eorum hæredibus, vel quibus à Iudice adiudicatæ fuerint, dentur. qui contrafecerit duplo mulctetur, mulcta illi cui damnum illatum fuerit, attribuatur. Volumus præterea saltem trigesimo quoq; die ab ijs, quibus nos id munus mandauerimus, carceres ipsos inuisi, ac si quos acerbius indigniusque tractari comperei int, ad nos referri, quibus ne quid iniquè in quemquam fiat, & maximè ne quid, quod ad animæ salutem pertineat, desit, curæ erit. Hæc autem vt seculares quoq; magistratus faciant, magnopere eos hortamur.

*De pecunia e mulctis confecta.* Cap. 1052.

PECVNIA, quæ ex pœnis mulctisq;, siue Clericorum, siue aliorum confi cietur, omnis apud vnum Canonicorum, quem nos delegerimus, deponatur, nec inde, nisi in Ecclesiæ, & piorum locorum vsus erogetur; à Canonico accepti, expensiq; ratio quotannis reddatur.

*De excommunicationibus, quæ rerum enunciandarum causa, feruntur.* Cap. 1053.

CVM Ecclesiastica pœna excōmunicatiōne atrocior, & capitalior nulla sit, quippe qui ea affecti sunt, veluti à corpore præcisa membra, à fidelium societate, & cōmunione separantur, & eijciuntur; non temere, neq; leuibus ex caussis, sed maturè, ac deliberatè, tam dira adhibēda animaduersio est. Non ergo monitiones, quas vocant, rei alicuius enunciandę causa vllæ fiant, concedanturque, nisi ijs, qui nobis supplicem de eo libellum obtulerint; quo quidem libello, & res de qua agitur, & rei pretium, speciesq;, & ratio cōtineatur. Quò nos statuere possimus, an gerendus petenti mos sit. Concedi autem vetamus homini excommunicato, aut palàm criminoso; Item pro re, quæ enunciata infamiæ notam alicui impositura sit; Pro re quoq; non ignota prorsus occultaq; : & pro re item antiquiori, quàm, vt verisimile sit, memoriam eius amplius haberi. & præterea aduersus eum quem satis constat, inde soluendo non esse. At quibus iusta cōcedendi causa visa fuerit, ne ab ijs quidem in Natali Domini die, in Pascha Resurrectionis, in Ascēsione, in Pentecoste, in celebritate Corporis Christi, alijsq; solemnioribus diebus, promulgari volumus, nisi aliter iusta de causa visum nobis fuerit. Verùm ne sic quidem semper concedendę monitiones erunt, sed tantùm cum nobis ex Tridentini Concilij forma expedire videbitur; & monitionibus quoq; con

 cessis,

cessis, excomunicationis tamen sententia, nisi re maturius à nobis deliberata, proferenda non erit.

*De Vicario Generali.* *Cap.* 1054.

VICARIO nostro Generali iuris integram, plenamq; dictionẽ tota Diœcesi nostra esse, eiq; obtemperari,& honorẽ debitum tribui ab omnibus iubemus. Verũ si pręsentes ipsi adsimus, volumus, vt si vel diœcesanę Synodi decreta, vel edicta nostra interpretanda sint, de eo ad nos referat; Visitatores, Monialiumq; Confessors, nõ nisi ex autoritate nostra deligat, beneficia ne cõferat, nevè eorũ resignationes admittat; lites,& causas, quæ apud ipsum agent, nõ solùm summa integritate iudicet, sed paterna caritate eas cõponere,& conciliare studeat, & quantum potest odiorum, ac dissidiorũ stirpes recidat; Ad tribunal, iusq; dicendum ne accedat, quin prius diuini spiritus numen ad iustè, prudenterq; iudicandum implorauerit; iudicia benignè, humaniterq; exerceat; faciles aditus habeat, neminẽ non solùm contumeliosè, sed ne asperius quidẽ accipiat; curæ habeat, vt Notarij integrè, atq; abstinẽter in muneris sui officio versentur. Meminerit neutram quidẽ in partem propensum iudicem esse debere, sed vbi dubia res sit, Reo quàm actori magis studendũ. In decernendo non semper interpretum auctoritatem sequatur, sed interdum ipsos quoq; legum fontes adeat,& ex ijs maxime ius hauriat. Tenuioribus hominibus ius breuiter, ac summatim dicat. In criminũ causis ea caritate agat, vt emendationẽ potius errantiũ, peccãtiumq; , quàm pœnam mulctamq; spectet; sed quorum in malo contumax,& peruicax ingenium senserit, ita malis domandos putet, vt nunquam clementiæ, & humanitatis obliuiscatur; pœnasq; semper vt medicinas, non vt supplicia imponat: Mulctæ omnes,& quicquid pecunię in fiscum cogitur, pijs locis attribuatur. Nihil quod sacratis legibus, aut Pontificum Maximorũ iussis, aut Concilij Tridentini auctoritati, aut huiusce Synodi decretis aduersetur, statuat. denique immunitatem Ecclesiarum, Ecclesiasticorumq; hominum iura enixe tueatur.

*De Vicarijs Foraneis.* *Cap.* 1055.

QVOS ob spectatã industriã, ac religionẽ Vicarios foraneos esse iussimus, ij studeant, pro se quisq; mandatũ munus diligenter, ac fideliter exequi. Primum quidẽ vt Clerici in diuinis officijs partes suas impleant,& Clericalibus moribus viuant, solicitè curent. deinde quę a nobis siue in Synodo, siue in visitatione decreta, statutaq; erunt, vt præstentur. Ac si quid admissum ab illis, aut neglectũ esse aĩaduerterint, de eo certiores nos faciãt. quoties in Vrbẽ venerint, nos adeãt, & si quid auctoritatem, aut cognitionẽ nostram desiderare intelligent, doceant, consulantq;. In Populo quoq; si quid contra christianę disciplinæ rationem fieri, peccariq; aduerterint, accuratè ad nos deferant. foraneis Vicarijs reliqui Clerici, in his quæ ad illorum munus pertinent, obtemperent. qui non fecerint, à nobis

pro

ſto modo culpę punientur. Vicarij ipſi, ſi officio ſuo non rectè fungi comperti fuerint, culpę ac negligentię pœnas, arbitrio noſtro dabunt.

*Quędam præcipue cauenda Vicarijs foraneis.* Cap. 1056.

PRÆCIPVAM cuiuſq; Vicarij curā eò intendi optamus, vt quāplurim adoleſcentes, pueriq;, quorū enitere videbitur indoles, ad clericalis diſciplinę cultū inſtituantur, vt ex ea veluti bonorū Clericorū ſobole, Sacerdotes inde, atque Miniſtri Eccleſię eccleſiaſticis moribus, atq; præceptis imbuti, deligātur Hos Parochi cū in chriſtianę fidei primordijs informent, tū legere, ſcribere, & ſacrificanti Sacerdoti ſcite, ac religioſè miniſtrare condocefaciāt; & primis quoq; gramaticæ rudimētis inſtruant; maximè autē, vt cum ætate pietatis quoq; ſtudiū adoleſcat, curent; cùm ad eos annos peruenerint, quibus prima tonſura, aut primis ordinibus initiari poſſe videbuntur, ad nos adducant, initiatiq; vt ſemel ſumptam clericalem veſtem nunquam deponant; & vt clericalibus officijs diligenter exerceantur, dent operam. Cùm eleemoſynas quibuſuis pijs locis petendi ius eſſe, niſi quibus conceſſum à nobis fuerit, nemini in diœceſi noſtra velimus, foranei Vicarij, genus illud vagum, & vbiq; queritans, & ex ſimulata egeſtate queſtū captans, niſi litteras à nobis oſtenderint, quibus petendi poteſtas fiat, capi, & in cuſtodiam dari curent; vt nos quas meriti pęnas ſordidæ fraudis fuerint, ab ijs repetamus. De pijs Legatis enunciandis ſępe Notarios admoneant, quò ſciant excommunicationis pœna teneri, qui ea reticent; ac non iuſtè alienata bona eccleſiarum ſtudioſè perquirant, ſi quid repererint, certiores nos faciant.

*De Monumentis Eccleſiæ colligendis.* Cap. 1057.

MAGNI ad renouandā, excitandāq; veteris Eccleſiaſticę diſciplinæ rationem videtur referre, priſcorum Epiſcoporum vitæ, atq; morū exempla, monumentaq; conſeruari. Vnde ab initio naſcentis Eccleſiæ inſtitutum fuit, vt res ab Epiſcopis geſtę, litteris cōmendarentur. Hunc nos morem vt referamus, volumus, vt quicquid ſcriptorum, & monumentorum, aut diplomatum, quiſque aut domi ſuę habet, aut alios habere norit, aut apud Auctores legerit, quod ad Eccleſię noſtrę primordia, progreſſioneſq;, aut ad Epiſcoporū nomina, patriā genus, tempora, actaq; pertineat, id ſtudioſè ad nos; aut ad eū cui harū rerum colligendarum negotium dederimus, deferat, & pro ſe quiſq; noſtrum eruendi e tenebris obliuionis Eccleſiæ noſtræ optimorumq; in ea Epiſcoporum res, atque in hominum memoriam reuocandi, ſtudium adiutet.

DE TESTIBVS SYNODALIBVS. CAP. 1058.

VETVSTVM morem, qui in Diœceſi noſtra deſuetudine iam penitus obſoleuit, Synodales teſtes ſpectatæ probitatis viros creandi,

nos ad pristinum reuocare vsum statuimus, experti, & multa per diœcesim sæpe negligi, intermittique iussa, institutaque à nobis, & plerunque delicta ignoratione nostra inulta relinqui. Vtrique incommodo remedium allaturum eorum fidem diligentiamque speramus, quos huic muneri præponimus, ac sinodales testes creamus. Reuer. D. Bernardinũ Geraldinũm Ecclesię nostrę Archidiaconum, Reuer. D. Antiochum Archilegium Canonicũ. Reuer. D. Vincentiũ Archipræsbyterum Luniani. Reuer. D. Paulum Vannicellum Canonicum Luniani Ad hanc autem obliteratam consuetudinem longo interuallo referendam, non ea solùm quam attigimus causa adducti sumus, sed illa etiam, quod pœnæ meminimus ab Innocentio Tertio Pont Maximo in Lateranensi Concilio Episcopo indictæ, qui in Synodo nullos sinodales testes nominauerit. Decernimus etiam nemini quem Episcopus testem Sinodalem designauerit, recusare, ac defugere idmunus iusq; iurandum licere, ac recusantem, & in eo pertinacius persistentem ab Episcopo, cũ mulctis, & pœnis, tũ etiam censuris ecclesiasticis cõpelli debere.

*De iureiurando a Synodalibus Testibus exigendo.* *Cap.* 1059.

VT autem vberior certiorq; ex horum testium studio, ac vigilantia fructus ad Ecclesiasticę disciplinę custodiam, morumq; emendationem percipiatur, ipsos volumus testes in Synodo positis in medio ex prisco more sanctorũ pignoribus reliquijsq; iureiurãdo adigi, mandatũ munus cum fide executuros. Cuius iurisiurandi formula hæc est, quam huic decreto subscribi iussimus ex veteri Canone excerptam.

Ego N. testis Sinodalis, à Reuerendissimo N. Episcopo nominatus, promitto, spondeo, & iuro, quod amodo in antea quicquid noui, aut audiui, aut postmodum inquisiturus sum, quod contra voluntatem Dei, & rectam christianitatem in Diœcesi, vel regione mihi commissa factum sit, vel futurũ erit, si in diebus meis euenerit, tantum, vt ad meam cognitionem quocumq; modo si sciuero, aut indicatum fuerit mihi Synodalem causam esse, & ad ministerium Reuerendiss. Episcopi pertinere, quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam vllatenus celabo Reuerendiss. Episcopo, aut eius misso, cui hoc inquirere iusserit, quodcunq; ex hoc me interrogauerit, sic me Deus adiuuet, & hæ sanctorum Reliquiæ.

*Quæ Testes Synodales aduertere in Ecclesiasticis hominibus debent.* *Cap.* 1059.

SYNODALIBVS testibus dãda in primis opera est, vt ne quid illos fugiat eorũ, quæ maximè ab ecclesiasticis hominibus tã in Vrbe q̃ in Diœcesi fiunt administranturq;. Perquirãt an qui residentię lege tenentur, quam debẽt assiduitatem Ecclesię suę prestent. An Parochi ad sui quisq; gregis curã excubẽt, An eorũ opera indigentibus, & maximè expetẽtibus sacramẽta presto sit, an id promptè, & minimè grauatè faciant; an instituant, sœpeque alloquantur Populum.

An

An rudibus, Puerisq; prima Christianę pietatis rudimenta tradant, reliquasq; muneris sui partes impleant; an cęteri Ecclesiastici homines omnia vt debent, administrẽt; an Ecclesię sartæ, tectæ habeantur, & an vlla ijs necessaria supellex desit; an nitori quoque earum studeatur, an verò suæ quisque dignitati atque ordini vita atque moribus respondeat. Præcipua tamen cura videant, an res Ecclesiasticæ ex regulis hac ipsa Synodo traditis administrẽtur, quæq; in ea decreta, statutaque sunt seruentur.

*Synodales Testes quæ aduertere in secularibus hominibus debent.* 1060.

AD Populi quoq; mores aduertere curam suam Synodales testes debent; vt cognoscant, an diuinis officijs sacrisque concionibus frequens adsit, an in Ecclesijs modestè ac religiosè versetur; an ieiuniorum tempora & festos dies ritè colat; an quis debitas soluere decimas recuset; an quis in Pascha confessionem comunionemq; omiserit; an quis excomunicatus, & excomunicationis contemptor, an quis maleficij, an magicæ artis, diuinationis, superstitionis, an verò hæresis suspitionem vllam præbeat; an qui blasphemi, sacrilegi, concubinarij, adulteri, incestuosi, virginum raptores: An item aliæ morũ corruptelæ, quæ emendationem desiderent. An Pontificum Maximorum constitutionibus, an Concilij Tridentini iussis, an edictis decretisque nostris obtemperetur.

*De Synodalium testium integritate.* Cap. 1061.

HÆC omnia, quæ supra attigimus, Synodales Testes diligenter obseruata, explorataq;, ad nos cùm aliàs, tum maximè in Sinodo summa cum fide referent, vt neq; inuidię, metu ab officio deterreantur, neq; gratię, aut premij spe sollicitentur, deniq; sine amore, sine odio, sine vllius necessitudinis respectu rem liberè atq; integrè exequantur; non aliud quàm commune bonum, ab studio veritatis, ac religionis, spectantes.

*De viatico Synodalibus Testibus præstando & potestate, examinandi.* Cap. 1062.

QVIA accidere interdum potest, vt Synodalium Testium aliquis ab domo sua aliquo proficiscatur muneris sui exequendi, & rei cognoscendæ, atque explorandæ causa, ne ea profectio oneri illi atq; sumptui sit, volumus, ac decernimus, vt viaticum ei victusq; eorum expensa præstetur, quorum causa illud iter susceperit. ad idque prestandum illi ab Episcopo cōpellantur. Quò autem munus ipsum suum rectius vtiliusq; obeant, facultatem ijs tribuimus, inquirendi, & adhibito Notario Testes examinandi; Inquisitionem autem ipsam & testium dicta, statim ad nos, aut Vicarium nostrum mitti iubemus.

## DE PRÆSCRIPTO TEMPORE HIS DECRETIS PARENDI. CAP. 1063.

HORVM decretorum legibus sexaginta post dies quàm ea exscripta, edita, promulgata, & in publicum archiuium relata fuerint, teneri omnes decernimus. promulgata verò, atque edita tum dici volumus, cùm à nobis ea de re propositum edictum, & Ecclesiæ valuis affixum erit.

*De pœnis non parentium his decretis.*
*Cap.* 1064.

QVAS nos pœnas contra non parentes huiusce Sinodi decretis, aut alia delicta admittentes decreuimus, ijs nihil volumus detractum, derogatumque de illis pœnis esse, quas canonum iura, & Tridentinum maximè concilium aduersus eadem crimina constituerunt. Parere autem his omnes ita volumus, vt qui abnuerint, eos mulctari ex legum iussis compilleque omnibus iuris remedijs iubeamus. Vbi autem nulla est a nobis pœna statuta, eam statuimus, quam leges & sacri Canones habent, & quam præterea nos adijciendã irrogandamque esse censebimus; semper enim hanc rem integram nobis, & arbitrio nostro reseruatam esse volumus. At relatam ex mulctis pecuniam non in alios, quàm pios vsus arbitratu nostro impendi debere decernemus.

*De horum decretorum crebra lectione.* *Cap.* 1065.

NE quis autem horum decretorum iura ignorãtiæ excusatione declinare, ac defugere possit, sed ex eorum præscripto cuncta administrentur, exempla eorum iubemus apud singulas Parochiales, & collegiatas Ecclesias idoneo loco, perpetuò asseruari, crebroque ac diligenter ab omnibus legi. At ea maximè, quę de Clericorum moribus, deque sacramentorum, ac diuinorum officiorum administratione statuta sunt, quotannis in capitulo, Episcopo, & Canonicis coram euocatis, etiam ad id atque adhibitis, si Episcopo videbitur, Parochis, recitari, & intentis auribus excipi mandamus. Quò sæpe repetita inculcataque, & cognita, penitusque percepta omnibus sint, & inde facilius in vsum moremq; inducãtur.

*De ratione à Clericis reddenda horum decretorum.*
*Cap.* 1066.

VERVM quo decreta hæc omnia à Clericis nostris perdiscantur, penitusque comprehendantur, & inde ex eorum iure, atque præscripto, cum vitæ, ac morum disciplina, tum omnis Ecclesiasticarum rerum administratio instituatur, Clericos omnes omnium ordinum præmonitos volumus, vt ijs perci-

percipiendis, atq; animo sæpe repetendis diligenter operam dent, non solùm vt munus quisq; suum rectè exequatur, sed etiam, vt quotãnis percunctantibus nobis, & eorum in ea re studium, atque industriam explorantibus, peritè, ac scienter respondere possint; nam quemadmodum magnopere illi collaudabuntur, quos studiosè in eorum lectione versatos intelligemus, ita quorum notabilis negligentia, tarditasque visa fuerit, pro eorum merito acriter à nobis corripientur, atque obiurgabuntur.

*De his quæ ad Laicos pertinent.* *Cap.* 1057.

QVIA multa passim sancta hac Sinodo decreta statutaque sunt a nobis, quæ Laicorum quoque mores, officiaque attingunt, vt ne illi quidem ignorantiæ excusatione vti possint, mandamus Parochis, vt ea seligant omnia, excerpantq; & e latino in vernaculum conuersa sermonem, stato anni tempore ijs enuncient recitentq;, atq; etiam perlegenda tradant. vt sępius inculcata, suggestaque seruentur ab illis quoque, atque præstentur.

*De horum decretorum interpretatione.* *Cap.* 1068.

SI qua dubitatio, quæstioq; oriatur de sententia horum decretorum, eius dirimendę, ac diiudicandæ quæstionis, atq; decreta ipsa interpretandi, explicandiq; ius penes nos vnos esse, nec alium quemquam id sibi védicare volumus. Præterquam si quid à Santa Sede Apostolica iudicatum, statutumque fuerit, ad cuius auctoritatem, supremumque rerum arbitrium, & ipsam Sinodum, & interpretationem nostram reijcimus, & nos nostraq; omnia, qua debemus fide summittimus. Nostri item arbitrij esse volumus hæc ipsa decreta non interpretati solùm, sed etiam mutare, corrigere, augere, ac si ratio atq; vsus postulauerit, etiam soluere his quosdam, quorum saluti ita conducere iudicauerimus.

*Pro perfecta Synodo gratiæ Deo aguntur.* *Cap.* 1069.

AGIMVS omnipotenti Deo maximas gratias, cuius numine ac benignitate factum est, vt quæ hoc tempore pro ordinanda, & constituenda in Diœcesi nostra ecclesiasticæ rei, atque morum disciplina decernenda esse iudicauimus, ea aliquando ad exitum, quem optabamus perduxerimus. Restat, vt eundem Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi suppliciter oremus, atque obtestemur, vt etiam illius stabiliendæ, & re ipsa exequendæ disciplinę nobis gratiam tribuat; cuius quidem rei nos pro eximio nostro in hanc Ecclesiam amore, ac pietate, tanta cupiditate tenemur, vt si assequimur, satis vixisse nos existimaturi simus.

## DE SYNODO QVOTANNIS COGENDA DEQVE EIVS HABENDÆ RATIONE.
### CAP. 1070.

QVANDOQVIDEM Tridentinum Concilium, cuius cum ad explicandam Catholicæ fidei doctrinam, condendosque hominum mores, & Ecclesiasticam disciplinam constituendam, saluberrima decreta sint, tum sancta omnibus auctoritas esse debet, statuit, vt Diœcesanæ Synodi quotannis ab singulis Episcopis habeantur, nobisque in animo sit, Deo adiuuante, omnibus in rebus illius Concilij iussis parere, facturi etiam operæ pretium videmur, si Synodi ipsius cogendæ habendæque viam, ac rationem quandam, quę in posterum apud nostram Ecclesiam teneatur, tradiderimus, sic enim arbitramur fore, vt quo res notior, exploratiorque omnibus erit, eo inde ordinatè, ac distinctè magis agatur.

*De die Synodo statuenda ac de edicto proponendo.* *Cap.* 1071

PRIMVM ergo singulis annis in Cathedrali Ecclesia de suggestu indicatur, constituaturque locus, diesque ad quam Clerus conuenire debeat: eaque indictio, aut Cal. Ianuarij, aut Prid. Non. in Epiphania ab Archidiacono post recitatum in solemni sacrificio Euangelium, fiat. quamquam licebit Episcopo, præsertim si iusta causa intercesserit, arbitratu suo diem ipsam vel repręsentare, vel proferre, & locum etiam mutare, dum intra anni spatium, vt statutum a Tridentinis Patribus est, Synodus omnino cogatur. Deinde edictum proponatur, quo omnes Ameriam ad Synodum in Cathedralem Ecclesiam sanctę Firminæ Virginis, & martyris nomine nuncupatam, euocentur quicunque vel iurę, vel consuetudine ei interesse debent, pœnis quæ Canonum scitis sancitæ sunt, ijs denunciatis, qui ad diem dictam adesse neglexerint; quæ quidem pęnæ, nulli quamuis Procuratorem cum mandatis miserit, a nobis remittentur, nisi is legitimo se detineri impedimento docuerit.

*Quæ Parochi agere cum Populo de Synodo debent.* *Cap.* 1072.

PAROCHI cognita, ex edicto, Episcopi voluntate de Synodo habenda, primùm ipsi per mensem ante præstitutam Synodo diem, quintaquaque feria diuinum Missæ sacrificium de Spiritu Sancto faciant, & in Cathedrali Ecclesia etiam supplicationes cum lithanijs intra vel circum ipsam habeantur. Appetente deinde die, vnusquisque Parochus rem Populo nunciet, edoctumque quam Ecclesiæ salutaris, quam sancta hæc Synodi actio sit, magnopere hortetur, vt eam ipsi quoque sua pietate ac religione subsequantur, & die Dominica, quæ ipsam

Synodum

Synodum antecedet sacra confessione expiati, diuinam hostiam sumant, & Deũ precentur, vt ea res bene, ac salutariter omnibus eueniat; idem Ecclesiastici omnes faciant; quod item in ipsa Synodi die facere eo religiosius debebunt, quo puriorem ad tam sanctæ actionis munus afferre mentem illos decet.

*De oratione XL. horarum Synodi causa habenda.* Cap. 1074.

PIE, atque ordine item fiet, si sub ipsum cogendæ Synodi tempus oratio XL. horarum instituatur; quo non Clericorum modo, sed populi quoque totius precibus diuina opis ad rem æque omnibus salutarem recte, atque vtiliter peragendam imploretur. Ad has igitur sanctas preces qui conuenerint primum quidem Deum orabunt, vt cœlestis gratiæ suæ lumen Episcopo præferat, ad ea decernenda, sanciendaque, quæ cum ipsius numine, atque voluntate consentiant; deinde vt omnibus alijs, & in primis Clero vniuerso eam det mentem, vt quæ decreta sancitaque in Synodo erunt, lubenter atque studiose præstent.

*Quæ Parochi ad Synodum referre debent.* Cap. 1075.

PAROCHI, vt Episcopi solicitudinem, curamque earum rerum inuestigatione, quibus ab eo prospiciendum, atque afferendum remedium in ipsa maxime Synodo est, adiuuent, diligenter sub ipsum Synodi tempus sui quisque populi res, statumque cognoscat; qui festorum dierum cultus, quæ ratio in Ecclesia versandi, quæ modestia, quæ sodalitatũ in suis institutis exercitationes, quæ puerorum ad perdiscenda Christianæ doctrinæ incunabula frequentia, si qua superstitio, si qua malefica ars, sique aliud crimen increbruerit. Deniq; si quid emendandum aut præcipiendum ad studium diuini cultus incitandum, morumque disciplinam sanciendam esse duxerint, de eo ad nos, & ad Synodum referant. Item si quid quod ante in Synodo statutum sit, non seruetur, & quæ eius rei causa sit, quodue impedimentum, quæue difficultas obstet.

*De his, qui interesse Synodo debent ac de absentibus.* Cap. 1076.

AD Synodum autem conueniant omnes, tam Sacerdotes quam reliquorũ ordinum Clerici, qui iure, vel consuetudine, vel alia ratione interesse possunt, aut omnino debent. Conueniant item quicunq; vel in vrbe, vel in Diœcesi nostra Ecclesiasticum beneficium obtinent, etiam si aliena in Diœcesi commorentur. Regulares quoque, si qui animarum curæ præpositi sunt. Is autem, cui id negotij Episcopus dederit, pridie eius diei quo inchoanda Synodus erit, scripta omnium nomina Episcopo tradet, qui adesse Synodo debent. Ac rursus

omnium

omnium eorum, qui non venerunt, cum absentiæ causis, quas tamen iustas esse il lis ipsi probare Episcopo debebunt.

*De Itinere et hospitijs Clericorum ad Synodum conuenientium.*

*Cap.* 1077.

CLERICI ad Synodum conuenientes, tam in itinere, quàm in vrbe ea modestiæ, ea religionis specimina dent in omni actione, vt Clericalis decoris, dignitatisque memores esse videantur. Aduenientes ad publicas cauponas ne diuertant, sed aut amicorum, si quos habent in vrbe, præsertim Ecclesiasticorũ, hospitio vtantur, aut eum adeant, quem nos huic hospitiorum negotio præfecerimus; a quo eis certus hospes assignabitur, apud quem honeste, commodeque diuersentur. cui quidem hospitiorum Præfecto, vnusquisque simul ac Ameriam venerit, nomen suum hospitisque ad quem diuertit, sua ipsius manu præscriptum tradat.

*De Synodi Ministris ab Episcopo cerandis.* *Cap.* 1078.

BIDVO antequam habendæ Synodi initium fiat, vt præparata omnia ordine sint, designet Episcopus quosdam Ministros. Secretarium, qui decreta recitet, canora, & clara voce, & commoda pronunciatione. Promotorem qui cũ alia fieri, tum ab Episcopali Notario singulorum dierum acta exscribi, & in publicas tabulas referri postulet. Item alium qui scrutinio præsit, aliumque qui hospitia designet, & de singulis, apud quem diuersetur vnusquisque cognoscat. Hi omnes ex ipso Ecclesiasticorum hominum ordine, si fieri poterit, deligantur.

*De ratione conueniendi in Synodum.* *Cap.* 1079.

PRIDIE eius diei, quo cogenda Synodus erit, sub primam noctis horam, ex omnibus Ameriæ Ecclesijs intento Campanarum omnium sono significatio Populo fiat Concilij postera die futuri, quæ dies vbi aduenerit, & tabella, a Magistro Cerimoniarum affigatur de horæ tempore quo conueniendum erit, & sub illud tempus ab turri Ecclesię singularibus maioris Campanæ ictibus Clerus adesse horam admoneatur, ad Ecclesiamque conuocetur. tum omnes ad Cathedralem non turbulente, & raptim, sed sedate, & graui incessu conueniant, & quisque talari in veste, linea cotta, quam secum domo attulerit, pura, candidaque superinduta, suo considéat loco, ibi per silentium oppetiantur, nemo voce strepat, nemo garriat, nemo cum altero colloquatur, sed ea omnes modestia, & grauitate sint, quæ sanctitatem, & loci & rei decet, cui operam dant. Ieiuni vero adsint omnes, nec quisquam domi ante cibum capiat.

*De prima coactæ Synodi die.* *Cap.* 1080.

TRADITVS à maioribus mos obtinuit, vt omnis Diœcesana Synodus triduo finiatur, ne videlicet Parochi a suis gregibus, itemque alij a suis Ecclesiis diutius abessent, tantæ priscis Patribus curæ fuit a Clericis debitā diuinis officijs assiduitatem præstari; licet tamen Episcopo prorogare tempus, si negotij ratio ita postulare videbitur. Verùm quemadmodum breui Synodi actio transigitur, ita summa cum cœrimonia, ac religione tractati ac perfici debet. Prima igitur die ad diuini numinis opem implorandā bene mane supplicatum cū secularis, & regularis Cleri ordinibus à Cathedrali Ecclesia ad ædem diui Augustini, atque ad diui Francisci eatur, deinde ad Cathedralem redeatur, supplicatione actā, Episcopus Pontificali cum ornatu solemni sacrificio operetur, & Missam de Spiritu sancto celebret, festo cantu de more adhibito, & omnium mentes cęlesti afflari spiritu precetur. Inter ipsum sacrificium post recitatum Euangelium concio habeatur, & Episcopus Clericis nō sacerdotibus manu sua diuinam hostiam prębeat confessione ante expiatis, & ritè animo præparatis. Perfecto demum sacro eodem ornatu ad infimum Altaris gradum detracta mitra, genua summittat, & tegentibus latera hinc Diacono, hinc Subdiacono paulisper tacitus Deum adoret, idemque cęteri omnes faciant. Post antiphonam incipiat, Exaudi nos Domine, & cętera inde ita fiant, quemadmodum Pontificalibus libris præscribuntur. Et post recitatum hymnum, quo cœlestis spiritus præsentia inuocatur, cùm omnes suo quisque loco consederint, indicto per Magistrum Cęrimoniarum silentio, Episcopus ipse si videbitur Synodum alloquatur.

*De recitando Tridentini Concilij decreto.* *Cap.* 1081.

PRÆTER illa, quæ agenda in Synodo Pontificijs libris præfiniuntur, hęc nos, quæ magnopere ad rem pertinere videntur, adijcimus, seruarique mandamus. Postquam Episcopus perorauerit, Secretarius Synodi ad eius genua accidens, librum Concilij Tridentini, & decreta quæ ferenda erunt de illius manu accipiat, ac protinus sugestum ascendat, & decretum Trid. Concilij ex sessione XXIIII. Cap. 2. de reformatione recitet, initio sumpto ab illis verbis. Synodi quoque Diœcesanæ, quod quidem huic decreto etiam subscribere alienum ab ipsa re non fuerit.

*Concilij Tridentini verba de Synodis habendis.* *Cap.* 1082.

SYNODI quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiā omnes, qui aliàs cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur, ratione tamen Parochialium, aut aliarum secula-

secularium Ecclesiarum etiam annexarum debeant ij, qui illarum curam gerũt, quicumque illi sint Synodo interesse; quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi, & alij suprascripti negligentes fuerint, pœnas sacris Canonibus sancitas incurrant.

*De ratione viuendi in ipsa Synodo.* *Cap.* 1083.

RECITATO Tridentini Concilij decreto, hæc quoque quinque quæ proximè sequuntur decreta, secretarius perget recitare, de disciplina viuendi in Synodo, de non discedendo, de non inferẽdo cuiquam præiudicio, de querelarum iudicibus, ac de nominibus edendis. Omni quidem tempore, a Sacerdotalis ordinis, alijsque Ecclesiasticis hominibus exempla religionis, probitatis, innocentiæ prodire debent; sed tum certe maximè vitam sanctè instituere, & in diuinis laudibus versari, cum ad tractandam sacrorum disciplinam, & mores ipsos ordinandos conuenere. Quamobrem omnes magnopere in Domino hortamur, vt Sacerdotio quidem præditi rem diuinam quotidie faciant, cæteri diuinam hostiam item quotidie piè sumant. Omnes Deum religiosè precentur pro Catholicæ Ecclesiæ propagatione, pro Pontifice maximo Ecclesiæ ipsius preside, ac Rectore, ac pro vtili, & salutari Synodi ipsius exitu; ad quas preces vt puriorem ac vegetiorem omnes afferant mentem, abstinentiam, Ieiuniumque hoc triduo adhibeant, eoque efferentem se corporis ac sensuum vim, doment, ac deprimãt, & penitus (qui maximus ieiunij fructus est) rationi subijciant.

*Discessus ab Vrbe omnibus interdicitur.*
*Cap.* 1084.

DENVNCIATVR omnibus singulisque qui Synodi causa conuenerunt, aut Synodo interesse debent, ne quis Amerια discedat, antequam habita demissaque sueto more, atque ordine Synodus sit, excomunicationis pęna non parentibus proposita, nisi quis fortè iusta de causa abeundi veniã ab Episcopo impetrarit; omnes autem Synodalibus cœtibus conuentibusque interesse, eadem excomunicatione negligentibus statuta, iubentur.

*De non inferendo cuiquam præiudicio.* *Cap.* 1085.

SI qua fortè de loco, ac dignitate cõtentio, aut vetus intercederet, aut noua oriretur, ne ea re concordia, & pax Synodi vllo modo turbetur, decernimus nemini aut non suo loco sedisse, aut alienum occupasse ea re vel illi fraudi ac præiudicio esse, vel huic ius vllum acquiri, aut omnino quidquam cuiquam iuris detrahi, adduiè, sed omnia eodem statu, quo ante conuocatam, habitamque Synodum erant, manere.

De

*De querelarum Iudicibus designandis.*
*Cap.* 1086.

VT neque prohibeatur quisquam quo minus siquid aut conqueri, aut excusare apud Synodum velit, id facere arbitratu suo possit; nec rursus Synodus ipsa ijs audiendis distrahatur, præsertim tam breui ad reliqua tempore præstituto; negotium istos audiendi, ac de eorum postulatis seu se purgare, seu quę excusare velint, cognoscendi hominibus spectatis, quos Episcopus elegerit detur, eorumque nomina cum aliorum Synodi ministrorum nominibus publicè proponantur. Nos autem id negotij Reuerendis Dominis Ascanio Clementino Vicario nostro generali, & Bernardino Geraldino Archidiacono damus, ad eosque omnes siue querentium, siue absentiam excusantium causas reijcimus.

*De eorum qui Synodo intersunt nominibus describendis.*
*Cap.* 1087.

QVO facilius iniri ratio possit eorum qui huic sancto conuentui interfuerunt, quique adesse neglexerunt, & meritis pœnis ex iure sacrorum Canonum in contumaces animaduerti, infra biduum iubemus nomen suum quemque apud Notarium Synodi edere, nominaque inde ad nos descripta deferri.

*De prima finienda, et secunda indicenda sessione.*
*Cap.* 1088.

HIS demum pronunciatis, quia ad multum diei progressum iam erit, finisque primæ sessioni videbitur imponendus, Promotor Synodi petet acta in tabulas referri, & alteram indici sessionem, quod cum fieri Episcopus mandauerit, secretarius id decretum recitabit. Quia permulta adhuc agenda decernendaque supersunt nobis ad rem Ecclesiasticam ordinandam, & tempus instat finiendæ primæ sessionis, edicimus, præcipimusque vobis alijsque quorum interest, vt die crastina hora . . . eodem hoc loco ad secundam celebrandam sessionem, Deo adiuuante, adsitis omnes. Atque his actis Episcopus consurget, ac solemni ritu impartita benedictione, conuentum eius diei dimittet, & deposito pontificali ornatu, & recepta Cappa, domum antè eunte cum Cottis vniuerso Clero redibit.

*De secundæ coactæ Synodi die, ac de Concilij Tridentini decreto.*
*Cap.* 1089.

SECVNDA Synodi die præscripta ratione in Ecclesiam conueniatur, & supplicationibus, & solemni illo cum festo cantu, sacrificio ommisso, Episcopus rei diuinæ, quæ priuatim a Priore Cathedralis Ecclesiæ nostræ fiet, intersit, eaque finita, Pontificium cultum assumat, & quæ Pontificali rituum libro traduntur omnia peragat: cum & habita concio, & Episcopus ipse Synodum paucis allocutus fuerit, secretarius Synodi accepto vt pridie de manu Episcopi Tridentini Concilij libro, sugestum statim conscendet, & primo Concilij Tridentini decretum de fide profitenda ex sessione XXV. Cap. ij. cuius initium est. Cogit temporum calamitas, recitet.

*De fidei professione facienda.* *Cap.* 1090.

TRIDENTINI Concilij decreto pronunciato Episcopus ipse positis ante suam sedem genibus, sublata paulum voce, vt ab omnibus exaudiri possit. Fidem ex formula a Pio Quarto Pontifice Maximo edita, profiteatur. Idem pari animo, voce summissiori, Episcopi præeuntis verba excipientes omnes faciant, omnesque pariter iurent, ita se credere, & secus sentientes detestari.

*De eligendis, et adigendis adiuramentum examinatoribus ac testibus Synodalibus.*
*Cap.* 1091.

EX Concilij Tridentini auctoritate designādi ab Episcopo in Synodo examinatores sunt, de quorum munere atque præstantia nos supra abunde diseruimus, cum de Sacramento ordinis ageremus. De his iubebit Episcopus recitari quæ statuit Concilium Tridentinum, deinde eorum nomina referri, quos ipse ad id munus delegerit, ac de singulis sententiam Synodi approbationemque exquiri. Tum eos ad se a Magistro Cerimoniarum adductos iureiurando adiget, rectè & cum fide mandatum munus administraturos ex formula quam supra in Sacramento ordinis tradidimus. Secundum examinatores pari ratione etiam Synodales testes supra a nobis designatos, tradito item iureiurando adigantur,

tur, lectis prius à secretario primò ac secundo decreto de ijsdem testibus, & Vasculo reliquiarum per quas iuraturi sunt, prolato. Horum omnium si quis fortè præsens in Synodo non adesset, ab eo postmodum Vicarius noster idem iusiurandum exigat.

*De continuatione aut fine secundæ sessionis et indictione tertiæ.*
*Cap.* 1092.

HIS ad iusiurandum ritè adactis, secretarius quamdiu Episcopo visum fuerit Synodi decreta legat, voce sublata, & clara, & interpunctis distincta oratione. Quibus lectis assensus Synodi exquiratur, sed si fortè res poscere videatur, vt sessio in pomeridianum tempus prorogetur, id ipsum promotor ab Episcopo petat, & Episcopus ita fieri decernat, decretumque recitari hoc iubeat. Cùm vrgeri nos temporis angustia intelligamus ad omnia peragenda statuendaq́;, quę hac sancta Synodo agere atque statuere necesse arbitramur ad Ecclesiæ nostræ vtilitatem, atque Ecclesiasticæ disciplinę instaurationem, volumus vt hæc ipsa sessio prorogetur & continuetur post meridiem, & omnibus qui debent adesse præcipimus, vt hodie hora ... eodem hoc loco adsint. sin vero id minus necessarium fuerit, post interrogatas sententias Promotor acta omnia in publicas tabulas referri, & tertiam indici sessionem petat, & secretarius decretũ vt supra recitet, quo omnes ad tertiam celebrandam sessionem adesse iubeantur, & Episcopus data solemni ritu benedictione conuentum dimittat, domumque ab omnibus vt supra traditum est reducatur.

*De Tertia coactæ Synodi die.* *Cap.* 1093.

POSTREMA demum Synodi die in diuino sacrificio quod præsente Episcopo Archidiaconus faciet, deprecatrix pro nobis apud Deum adhibeatur sanctissima virgo Dei Mater, & Missa de Beata Maria celebretur, ac reliqua inde omnia ex ritu Pontificalis libri peragantur. Cùm autem Hymnum Veni creator spiritus, chorus continuerit Episcopus si videbitur, præter præscripta in libro verba peramanti ipse ac paterna cohortatione omnes ad amplectendam disciplinã, ex ipsa Synodo sancitam, animare, atque excitare contendet. Ac postquam illa dixerit, tum decreta, quæ reliqua fuerint omnia à secretario perlegantur, & voce clara pronuntientur. Deinde assensus, atque approbatio Synodi exquiratur, & assentientium verbum sit, Placet. Approbatione accepta, Promotor absentes accuset, eosque citari ad dicendum causam quam ob rē edicto non paruerint, ac dãnari si eam non probarint, postulet. Tum nominatim omnes, qui Synodo interesse debent, citentur, & vt quisque citari nomen suum audiet, exurgat, & Adsum. respondeat: absentes vero, nisi sit à quo legitimè excusentur, iudicio Episco-

pi pro eorum merito, mulctentur; postremò idem Promotor acta omnia vt pridie in publicas tabulas referri petat, & Episcopus ita fieri, & omnia decreta tradi Notario iubeat.

*De exitu, et conclusione Synodi.* Cap. 1094.

HIS actis Promotor finem Synodo imponi petat his, aut similibus verbis. Cùm omnia iam gesta decretaque hac sancta Synodo sint, quæ veteris disciplinæ ratio, & sacri Tridentini Concilij iussa præscribunt, peto à D. V. Reueren. vt Synodo ipsi finem statui, & Clerum ad suas Ecclesias, & ad ea exequenda, quæ decreta hic sunt, dimitti iubeat. Et Episcopus respondeat, in nomine Domini Synodum finiri concludique mandamus. Et Magister cœrimoniarum silentium indicat, & tacitè ab omnibus genibus positis quam diu visum Episcopo fuerit preces ad Deum fiant. Post Episcopus inchoet hymnum, Te Deum laudamus, & chorus prosequatur, ac statim prælata cruce supplicatio circum ipsam Ecclesiam habeatur, in qua idem hymnus gratanter ab omnibus concinatur, & Episcopus in Ecclesiam reuersus precationem ex Pontificali libro recitet, cuius est initium Exaudi quæsumus Domine, qua conclusa, acclamationes de more fiant alternis versiculis. Tum consurgant omnes, & vnusquisque ordine ad venerandum Episcopum, & ab eo pacis osculum accipiendum adeant, atque eodem osculo, se quoque ipsos inuicem complectantur, & quod huius rei significatione ostenditur, id re ipsa præstent, vt concordibus animis, & magno pacis, & caritatis studio, quæ consensu decreta sunt, pro se quisque exequatur. Demum Episcopus solemni ritu omnibus benedicat. & Prior, qui Pontificis latus tegit, clara voce ea verba pronunciet, Recedamus in pace, reddaturque responsum ab omnibus, In Nomine Domini. Et Episcopus deposito pontificali ornatu cum Cappa domum reducatur.

*Acclamationes.* Cap. 1095.

DEO patri misericordiarum, ac Deo totius consolationis, qui nobis in se confitendo, in se colendo, in se adorando consentientes animos tribuit, quique sanctæ disciplinæ cultum tradidit, ipsi honor, ipsi gloria, ipsi grates in æternum.

℟. Amen. Amen. Amen.

Beatissimo Papæ ac Domino nostro, Domino Clementi Octauo sanctæ vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici vita, imperium, & ab omnibus gentibus fides, & obedientia.

℟. Deus Sanctissimum atque optimum patrem Ecclesiæ tuæ diutissimè incolumem præsta.

Reuerendissimo Episcopo nostro perpetua vigilantia.

℟. Pastorem nostrum Domine vsque gratiæ tuæ cœlestibus cumula donis.

Populo Amerino pax & Christianæ pietatis incrementum.

℟. Memento Domine in beneplacito populi tui & visita eum in salutari tuo.

Nos tibi Domine, tuoque nutui purè obtemperantes, & quæ tuo instinctu decreta sunt cum fide exequentes, digni reddamur quibus misericordiam tuam impartiaris. Adiuuante Beatissima Virgine genitrice Maria, & beatis martyribus Firmina & Olympiade & omnibus sanctis.

℟. Amen. Amen. Fiat, fiat.

## DE SCRVTINIO SEV DE HIS QVÆ AB SINGVLIS CLERICIS QVÆRENDA IN SYNODO ERVNT. CAP. 1096

SCRVTINIVM in omni Diœcesana Synodo fieri, & ab singulis Clericis de cuiusque Ecclesiæ statu percunctando cognoscere magnum sanè operæpretium habebit, magnusque ex ea re fructus, si ritè atque ordine peragatur, ad Ecclesiasticæ rei disciplinam regendam redibit. Nam & si hæc ratio ab vno quoq; expiscandi, exprimendique quæ in rem esse videbuntur, non eò spectet tũ quidem vt ulli pœnę quicquam aut mulctæ irrogetur, sed tantùm vt status Ecclesiarum cognoscatur, & si quid mali moris irrepsisse, aut boni negligentia prætermissum esse compertum erit, id quoad fieri potest emendetur, corrigaturque; tamen & segnes negligentesque, cùm reddendam sibi sui muneris rationem esse intelligant, excitabuntur, & naui, atq; industrij alacriores ad nauandam operã fient; & nos quò res poscet opem ferre, & omnibus siue hominum, siue Ecclesiarum incommodis occurrere, mederique, sic quidem non magno negotio poterimus. In quo vt certa progrediamur via, & Clerici ipsi haud imparati adueniant, etiam formam, ac modum rei agendę tradere minimè ab instituto alienum fore videtur. Quod tamen arbitrio, prudentiaque eorum moderandum erit, quos ipsi nobis negotij huius adiutores asciuerimus. Quos quidem non studium solum atque diligentiam, sed fidem quoque ac taciturnitatem præstare iubemus. Igitur dimisso mane Synodi conuentu, vbi pransi omnes fuerint, scrutatores separatim suo quisque loco considebunt, adhibito minorum ordinum Clerico, qui quæsita, responsaque describat. Quæ inde scripta ad nos afferri debebunt, vt ijs vti maximè in obeunda Diœcesi, lustrandisque ac visitandis singulis Ecclesijs possimus, sic enim an quisque vera de se deque Ecclesiæ suæ statu responderit, facile deprehendemus. Quærenda autem ab vnoquoque hæc maximè statuimus.

*Quæ ab ijs quærenda qui beneficia habent.* *Cap. 1097.*

Vbi sit eius Ecclesia.
Quo nomine nuncupetur.
Quo titulo aut iure eam obtineat.
An sit consecrata, & quod consecrationis monumentum extet.
An bene tecta, beneque materiata.
An pauimentum coctis lateribus stratum, & an fractum vsquam sit.
An parietes vndique inalbatæ.
An sacræ imagines vllæ vetustatæ corruptæ ac deformatæ.
An vitro fenestræ, vel cerata tela claudantur.
An ostia suis valuis, seris, pessulis muniantur.
An supra ostium imago vlla sit Sancti cui Ecclesia est dicata.
An ijs ipse satisfecerit, quæ ex beneficij ratione ac institutione debet.
An quæ præcepta in visitatione sunt præstiterit.
An breuiarium habeat.
An Calendarium.
An horas Canonicas recitet.
An veste ad talos demissa semper vtatur.
An ea sordida nimis sit.
An lineam cottam habeat.
An sæpe lauari eam vt pura mundaque sit, curet.
An tonsuram ordini suo congruentem ferat.
An caligas incisas, aut alio quam nigro colore.
Quæ vitæ ratio, quæ studia, quæ in spiritualibus rebus exercitationes.
Quæ in diuinis officijs, sacrisque cœrimonijs obeundis peritia.

*Quæ de minorum ordinum Clericis quærenda.* *Cap. 1098.*

An Clericalibus institutis viuant.
An si ad Canonicas horas non tenentur, officium beatæ Mariæ recitent.
An Rosarium quotidie.
Quoties in anno peccata confiteantur, communicentque.
An quæ præscripta Clericis sunt exequantur.
An rationem sacrificanti Sacerdoti ministrandi a nobis traditam rectè teneant.
An versati sint in doctrina christiana.
An scolas frequentent, & quid discunt.
An Musicę vllam derit operam.

*Quae de Parochis, & Curatis quaerenda. Cap. 1099.*

DE Ecclesia ipsa, eadem quae supra ab alijs, & praeterea an adiunctas aedes Parochi habeat.
An sepulchra in ea sint, & cuiusmodi.
An caemiterium habeat, & an id consecratum, & an clausum.
Quod pro asseruanda eucharistia tabernaculum, & an in ipso omnia ex disciplina seruentur.
An lampas ante Tabernaculum perpetuò ardeat.
An fons Baptismi, & qua forma sit, & qua parte Ecclesiae situs, & an ex instituto habitus.
An vas Aquae benedictae, & quale, & aqua ipsa an saepe renouetur.
An Reliquiae vllae, & quo cultu habeantur.
An ostendantur populo, & quando, & qua cerimonia.
An plures in Ecclesia capellae, pluraque Altaria, & an certos habeant reditus, & an debita ijs officia persoluantur.
An singula Altaria ternis mappis tegantur, an bina candelabra, & Crucem, & pallium singula habeant.
An confessionalia sint in Ecclesia, & qua forma.
An sit suggestus.
An habeat necessariā suppellectilem ad vsum sacrorum, & maximè ad sacramentorum administrationem.
An praetiosiorem ornatum pro celebrioribus diebus.
An duas saltē habeat lineas Cottas, & an hae candidae, purae, & minimè scissae sint.
An tota supellex in sacristia suis in armarijs asseruetur, an armaria ipsa clauibus claudantur.
An habeat plus vno Missale.
An plus vno Breuiarium.
An Calendarium.
An Concilium Tridentinum.
An Cathechismum Romanum.
An summas aliquas, & quas.
An Rituale.
An librum Matrimoniorum.
An librum Baptizatorum.
An librum Confirmatorum.
An librum animarum ex instituta in Synodo ratione. & quot mares, quotque foeminae, & quot, & quibus sacra Eucharistia praebeatur.
An inuentarium totius supellectilis.
An inuentarium omnium bonorum, & an eius exemplum ad Vicarium miserit.
An ipse duplicem vestitum habeat, alterum ad talos vsq; demissum, quo in Vrbe vtatur, alterum ad iter faciendum breuiorem.

An praeter

An præter ipsum alius sit in eius Ecclesia Sacerdos aut Clericus, cuius opera in ministrandis Sacramentis vtatur.
Ad domi suæ mulieres habitent. an sanguine ei coniunctæ, & qua ætate sint, & an eius rei facultatem a nobis, aut Vicario nostro obtinuit.
Populum vt in Christianis moribus bene institutum habeat.
Quam rationem in Ecclesia versandi teneat.
An hastas, sclopos, vetitaq; arma in Ecclesiam inferri patiatur.
An vlli sint in eius Parochia, qui confiteri & sacram communionem sumere in Pascha negligunt.
An Concubinarij.
An fæneratores.
An blasphemi.
An facinorosi.
An festorum dierum contemptores.
An superstitiosi.
An malefici.
An aliqua populum ipsum superstitiosa consuetudo incesserit.
An aliæ sint in eius Parochia ecclesiæ, cuius sint & quo cultu habitæ.
An ipse in Parochia habitet, & quam propè Ecclesiam.
An interdum populum alloquatur, instituendi, atque hortandi causa.
An pueros rudimenta saltem christianæ doctrinæ doceat.
An sacrum quotidie, vel quibus potissimum diebus faciat.
An tondeat barbam, aut saltem superioris labri pilos præcidat.
An egentium curam gerat.
An ægros visat.
An in visendis ægris præscriptam a nobis rationem teneat.
Si quem contigit in eius Parochia sacramentis non procuratum mori.
An Sacramenta ritè ex tradita maximè a nobis ratione administret.
An per quadragesimam sit qui conciones ad populum habeat.
An ieiunia ab Ecclesia indicta seruentur.
An in sua Parochia sit societas corporis Christi, & an societatis instituta seruentur.
An eorum nomina qui in die Paschę non communicarunt detulerit.
An cœtibus, congregationibusq; Parochorum a nobis institutis interfuerit, & an congregationes ipsæ ritè habitæ sint.

*Quædam de Sacerdotibus non Curatis quærenda.* Cap. 1100.

AN sacrum quotidie faciat, an saltem Dominicis, & festis diebus.
An id spontè, atque arbitratu suo, vel ex muneris alicuius officio.
An frequenter confiteatur.
An cum versatur in Choro Chori legibus, & Magistro Cerimoniarum pareat.
An vestitu vtatur qui ordini suo conueniat.

An Ton-

An tonſuram ſacerdotalem ferat.
An ritus in ſacrificio quos liber Miſſarum præſcribit adhibeat.
An in Eccleſiaſticis cantibus ſit verſatus.
An vllam ſtudijs det operam.
An aliquos habeat eccleſiaſticos libros, & quos.

*Quædam de Canonicis quærenda.* Cap. 1101.

A Canonicis eadem quæ à Sacerdotibus cæteris quęrenda erunt, & præterea quot dies eo anno a reſidentia abfuerit, & quoties a Punctatore fuerit notatus.
An ſeorſum a ſuis habitet, viuatque.
An fœminas domi habeat, & qua ætate, & an permiſſum ei ex auctoritate noſtra ſit, & propinquę an alienæ ſint.
Qua vtatur domeſtica diſciplina.
An in Choro pſallat.
An chori diſciplinam teneat.
An item habendi capituli rationem a nobis inſtitutam ſeruet.

*De Scrutatoribus.* Cap. 1102.

QVI huic negotio ſcrutandi, quærendiq; ab ſingulis quæ in rem eſſe videbuntur præerunt, non ea ſolùm quæ nos præſcripſimus, ſed alia itē ex eorum ingenio exquirent pro cuiuſq; ſtatu, ac munere, ac ne præſcripta quidem a nobis omnia perſequentur, niſi id neceſſarium duxerint; rem enim totam nos eorum prudentiæ ac fidei permittimus. Illud vtique tàm ab ijs quàm ab Clericis, quos ipſi Amanuenſes adhibebunt, exigimus, vt omnia fideli ſilentio premant, ac penes ſe habeant, nequid, quod aut quæſitum, aut reſponſum ſit alijs prodant. Clerici ſcriptores cuncta in libellum referant huius rei cauſa comparatum, præſcripto cuiuſque nomine. Singuli cùm adibunt perhumaniter accipiantur, caput tegere, ac ſedere iubeantur, moneanturq;, non eam vllius pœnæ exigendæ cauſa inſtitutam eſſe quæſtionem, ſed ſui quemque officij commonefaciendi gratia, proinde liberè & cum fide omnia de quibus interrogantur reſpondeant, nam grauior mendacij quàm negligentiæ, aut inſcitiæ culpa erit, dicta autem eorum quam breuiſſimè perſcribantur. Poſtremò ſcrutatores pro merito quemque amanter ad munus ſuum rectè, ac ſtudioſè obeundum, corrigendaq; quæ per negligentiam prætermiſſa ab ijs ſunt, hortabuntur.

MONITIONES. CAP. 1103.

ETSI quæ ad clericorum aliorumq; vitam officiaq; pertinere intelleximus, ſupra ſuo quidq; loco vt poſtulare res viſa eſt, tradidimus; tamen ne quas

paternę

paternæ charitatis nostræ, & Episcopalis studij partes, quantum adiuuante Domino possimus prætermittamus, vetus sanctorum patrum secuti institutum, etiã separatim attingere quædã, deq; ijs vnumquodq; genus ordinemq; monere voluimus, paucis quidem omnes, sed clericos paucioribus, quorum munera ab vnde superioribus decretis persecuti videmur. Hæc autem suscepta, seruataq; non paruã retinendæ, restituendæq; christianæ disciplinæ vtilitatem videtur allatura.

### *Ad Clerum vniuersum.* Cap. 1104.

VOS igitur omnes omnium ordinum Clerici, qui in Dei exercituum militiam nomen dedistis, nominis ipsius, quo censemini, vim tenete; & vos in sortem Domini receptos, & ipsum Dominum sortem vestram esse, assiduè ita cogitate, vt & possidere eum, & possideri ab eo videamini, & verè dicere possitis, Dominus pars hæreditatis meæ; & quã diuino beneficio nacti vitæ, ac dignitatis conditionem estis, eam moribus, religione & sanctis christianæ disciplinæ institutis exequamini, tueaminiq; ; nihil enim absurdius, nihil quod ab re, reique ratione magis abhorreat à, quã si quis quod nomine profitetur, vita refellat. Nihil contra tam decorum, tam pulchrum tam consonum, quàm studijs, institutis, ordini cui se quisque addixit, parem vitam agere, eiq; ex omni parte moribus respondere. Quam vnam rem si vos tenueritis, in magnum populos vestri ordinis amorẽ, venerationemq; adducetis, ac magnum ecclesiasticæ ædificationi incrementum afferetis. Abstinentiæ, ac temperantię laudem, ac ieiunandi sancta salubriaq; instituta amplexamini; quam veluti comes castitas & continentia maximum clericalis vitæ ornamentum, sequitur. In diuinarum laudum officijs summam diligentiam assiduitatemq; præstate; atq; Ecclesiam veluti propriã clericalis ordinis stationem ducite; in eaq; piè, ac sanctè, sacris rebus diuinisque operantes, cœlestis patriæ, quò hac vitæ peregrinatione tendimus, speciem, atque imaginem quandam præcipite. Ad ipsa officia sollicitè, non eius mercedis, quæ nauantibus operam quotidie distribuitur lucro adducti, sed caritate Dei, & studio religionis conuenire; vt illa ex Psalmis verba verè concinere possitis, Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est. Qui canonicarum horarum officio deuincti estis, curate, vt illud rectè, attentè, ac mente supplici persoluatis, & quoad fieri potest, tempora quoq; ipsa, statasq; singulis precibus horas obeatis. Facite vobis cõsuetudinem ijs peractis animum paululum colligendi, & veniam à Deo petendi, si quid fortè per negligentiam, aut mentis aberrationem commiseritis; & vt quanta id cura studioq; tractandum exoluendumq; officium sit, quotq; modis in eo erretur, scire possitis, legite quæ B. Antoninus Archiepiscopus ea de re scriptũ reliquit. Præter stata hæc carmina, statis recitanda, orandaq; diei horis, sumite præterea vobis aliquid cotidiani temporis ad proprias preces Deo faciendas; quibus non vos solùm ipsos, sed populum vniuersum diuinæ benignitati commendetis; precamini, vt hominum animis vitiorum fibras euellat, virtutum stirpes educet; vt discordiarum inter

christianos

christianos Reges semina auferat; atque pacis amorem omnibus ingeneret; vt eorum consensione Christi Domini Regnum proferatur, atque in omnes gentes propagetur. Quod vobis a diuinis officijs, atque Ecclesiæ cultu superest temporis, id ne inaniter terire, sed maximè in diuinarum litterarum studijs consumite, atque ex ijs non solùm doctrinæ sapientiam, sed animi institutionem, informationemque ad benè, beatèq; viuendum quęrite. Quem nos in Ecclesia Theologiam, & sacras litteras interpretari iussimus, attentè audite, eiq; docenti quàm frequentissimi adeste. Paupertas vestra, neq; angori vobis, neq; pudori sit, quando eam ipse Deus ac magister noster Christus, non tulit modo, vltroque suscepit, & cœli terręque Dominus in vili pręsepio parturiri sustinuit, sed verbis quoque sæpe extulir, & nobis magnopere commendauit. Ac præterea paupertati ferè frugalitas, atq; abstinentia haud mediocres virtutes iunguntur. Non itaque proptęrea quòd res vobis pertennis angustaq; sit, indecoros quęstus appetite, aut pecunię cupiditate, & auaritiæ sordibus inquinari animum vestrum sinire. Quin de vestra quoque tenuitate, & vestras Ecclesias excolite, & alienis necessitatibus subuenite. Quod vobis in veras opes, verumque thesaurum vertetur; charitas, mansuetudo, humanitas, humilitas vestra omnibus rebus eniteat; nihil in cogitationibus, nihil in actionibus, nihil in sermonibus vestris, non verum, non sanctum, non pudicum versetur. Omnia denique quę de vita, de moribus, deque muneris vestri partibus, aut a Sanctis Patribus mandata litteris, aut Pontificum Maximorum legibus præscripta, aut hac ipsa Synodo a nobis tradita, sancitaque sunt, tenete, & sanctè ac inuiolatè seruate.

## *Ad Sacerdotes. Cap. 1105.*

AT vos, qui sanctissimo sacerdotio præditi estis, memores in primis esse debetis, maximi in Ecclesia muneris, quo vos dignatus est Deus, atq; eius recordatione honoris excitare vos ad omnem virtutem, vt vestra integritas, atq; religio, quasi lumen aliquod luceat alijs. & quemadmodum ordinis dignitate reliquis hominibus longè præstatis, ita vitæ quoq; ornamentis anteire videamini. Charitatem in primis colite, quæ radix quędam est, & origo reliquarum virtutum, & planè tanta, vt ad eã subinde exhortans discipulos suos Diuus Io. Euangelista, mirantibus illis eadem assiduè inculcari, præceptũ Domini esse, & si solum fiat, sufficere pronuntiauerit. Summa animi contentione omnes summoq; consensu diuino cultui, diuinisq; rebus intendite, in ijs curas, in ijs studia vestra consumite. Diuinum sacrificium, in quo hominibus corporis pondere pressis, ipsum cernere, & manibus attrectare Deum, eiusque præsenti numine frui, ius fasq; est, cum sæpe, tum qua oporret religione, atque sanctitate facite; nec manus sacris altaribus, ac diuinę illi hostię vnquam admouete, quin prius pœnitentiæ sacramento, ac diligenti peccatorum confessione animam expiaueritis, vt ne leuis quidem culpæ conscientia redargui possitis. Quę nos supra de ratione castè, & sanctè sacrificandi præscripsimus, studiosè omnia seruate, vt munus sanctitatis

retinete. Incumbite studijs non solû litterarum, & latinæ linguæ, sed etiam ecclesiasticæ disciplinæ, cuius discendi causa, quisq; sacerdotis alicuius familiaritati se applicet, cuius spiritualis vitæ laus spectatior videatur, atque illius vsu, exemplo, preceptisque animum, mores, vitam vestram quotidie magis ad sancta ecclesiæ instituta, clericaliaque officia excolite.

*Ad Parochos. Cap. 108.*

QVÆ Clerum, sacerdotesq; monuimus, communia quidẽ vobis Parochi sunt omnia, sed quibus grauissimum onus, curaq; iniuncta est alienas animas regendi, propria etiã vestri muneris admonitione prosequẽdi estis; quamquam ante multa de eo statuerimus. Primum igitur omnium integritas, religio, vita moresq; vestri omnibus probentur. Facile vobis erit alios informare, & sanctis christianæ disciplinę institutis imbuere, & traditas oues, quando pastorum nomine censemini, quò placitum fuerit perducere, si ipsi exemplo anteibitis. Facite vt & cognoscatis eas, & cogniti illis sitis. Earum quoque numerum, rationemque inite, & qualis quæque sit perspectum habete; vt inde aptè consulere omnibus possitis. Vitiosas, deprauatasq; secernite, ne in alias earum contagio manet. Fœneratores, cócubinarios, blasphemos, superstitiosos, maleficos, aleatores, aliosq; populi corruptores, si reuocari per vos a flagitiosis & improbis moribus nequibunt, ad nos deferte. Pauperes, atq; vltima egestate laborantes, viduas maximè, pupillosq; qua potestis ope iuuate; quibus ipsi re subuenire, propter vestram tenuitatem nequitis, ijs consolando, operam pollicendo, consilium dando, adeste; & alios crebris cohortationibus ad eos subleuandos accẽdite. In sacramentorum administratione, nõ industria solùm ac sedulitas, sed etiam charitas, atq; humanitas vestra eniteat. Ne vos ab ægris præsertim sacro illo subsidio indigẽtibus, rogari sinatis, sed vltro ijs præsto sitis. Pascite verò, & verbi Dei explicatione instituite, ac docere populum, in eamq; rem summam diligentiam studiumq; adhibete. Pueris, per festos præsertim dies, prima christianæ pietatis rudimenta tradite; omnes vt in ecclesia versari, vt sacris interesse, quæ in precibus præstare, quando genua ponere, quando stare conueniat, quę cauenda fugiendaque in sacro illo loco, sacrisque actionibus sint, cum studio erudite, atque instruite. Hæc enim disciplina maximè populos ad religionis cultum commouet. Dies Dei, sanctorumque honori consecrati, quo pacto festi habeantur, aganturque docete; Ostendite quam indignum sit sacro illo tempore ad otium, ad ludos, ad voluptates abuti, quod pietati, ac religioni dicatũ est; nec satis esse, a seruilibus negotijs cessare, nisi etiã religionis ac pietatis opera exerceantur. Ieiuniorũ quoq; tẽpora, nõ denuntiate solũ populo, sed qua ratione ieiuniũ verè colatur disserite. Odijs, simultatibus, inimicitijs tollẽdis, sedãdisq; diligẽter incũbite, & ne tẽpore cõualescãt, in ipso eas ortu, initioq; cõponere, atq; opprimere conamini. Obtrectatores, maledicosq; vñ sępe hę ipsę dissensiones, ac simultates oriũtur, omni rõne cõpescite; prauas cõsuetudines temere iurãdi ĩprecãdiq; ac maledicta iaciẽdi

vt tollatis, studete; fraternę correctionis officium a Domino commendatum, in quo vel maximè hominum inter se charitas enitet, ad vsum reuocate; & cum alios, si res poscat, tum ipsos minorum ordinum clericos, si fortè lubrico ætatis labantur paterna beneuolentia corripite. Postremò illud Diui Pauli iubentis animarum curatores depositum custodire, vobis ipsis dictum putate, scilicet traditum fidei vestræ gregem ita incolumen ab omni peccati noxa præstate, vt reposcente Domino integrum reddere possitis.

*Ad Confessores.* Cap. 1109.

SI reliquis Clericis, Sacerdotibusque ad suum munus vtiliter, & fructuosè exequendum, populumq; ad cultum christianę disciplinæ traducendum, necessaria in primis est vitæ laus, quantam vos religionis, quantam innocentiæ, quantam fidei habere opinionem oportet, quibus arcana animi, & non solùm patrata, sed cogitata etiã flagitia, peccataq; detegere, atq; nudare, ac veluti pectus ipsum introspiciendũ reserare homines debent? Primũ igitur, vt necessaria potestate prędi̇ti sitis videte; neq; vobis vltra quã concessum est sumite; magno enim vos crimine obstringeretis. Vos ipsos, vestrasq; vires expendite; neq; enim satis fuerit prętare integritatẽ, nisi etiã rerũ doctrina, qua dispicere, ac dijudicare discrimina peccatorũ possitis, nitamini. Cauete, ne cuius mortiferę culpæ conscij vobis sitis, cũ alterius auditur confessionem estis; nã lethaliter delinquit, qui lethali crimine deuinctus, sacramenta alijs ministrat. Itaq; hoc functuri officio cogitate in eo hominum animas Iesu Christi sanguine abluendas vobis pręberi. Quẽ vos sanguinem neq; temerè profundere, neq; parcè impartiri petentibus debetis. Vt igitur vestrę mentes vestraq; iudicia diuino afflatu regantur, ante Deo vos pia precatione cõmendate, sanctissimũq; eius numẽ rogate, vt neq; vos quicquã, quod rei sanctitas postulet, prætermittatis, & quorũ curationẽ suscipitis, ea vos religione adeãt, vt salutẽ e percepto sacramento consequantur, vosq; peccatorũ absolutionẽ, neq; merentibus negetis, neq; indigno cuiquã per inscitiam tribuatis. Adeuntes verò magna semper humanitate accipite, ac si fortè diuturni laboris tædio fessi estis, potius quã grauatè, moroseq; audiatis, exurgite, atq; abite, & in aliud tẽpus, benignè, blandeq; eos appellando, differte; nec vnquã quemquã asperè, atq; iniucundè reijcite. Confessiones in laicorũ domibus, aut omnino alibi quàm in Ecclesia nõ audite, nisi ab his accersamini, qui valetudine pręperditi exire domo nõ queũt; ac tũ, si fœminã audiatis, patere cubiculi fores iubete, vt aspici ab his, qui proximo in cubiculo obseruant, possitis. Quos nõ ita affectos, vt & peccasse, verè, & ex animo pœniteat, & abstinere in posterũ destinasse intelligitis, eos benignè admonitos, quanta id religione adeundum sacramentum sit, inauditos, iussosq; paratiores redire dimittit; Quo in numero habendæ videntur mulieres, quæ vestibus acu pictis, atque auro contextis, pendentibus ex auribus gemmis, e collo monilibus, cincinnis exquisita arte compositis, fucis, vnguentisque delibutę, vos adeũt; Neq; enim reorũ hic, & delicta lugentiũ, sed delinquere perseuerantium

ratium est habitus. Initiũ autẽ sacræ confessionis rectè sumetis a percunctatione, vt sciatis quã diu pœnitens eo se sacramento non procurauerit, & an imperatam pœnitentiam peregerit, & reuocandi causa in mentem peccata diligenter animum suum excusserit, atque an prima christianæ fidei rudimenta teneat. Quibus, atque alijs, quę prius noscenda censueritis acceptis, ipsum per se effari, ac promere quæ deliquit, pœnitentem iubete; atque eum si opus esse intelligetis, subijciendo, atque aperiendo loca adiuuate; quod tamen cautè vobis, ac prudenter faciendum erit, præsertim cùm fœminas ac pueros interrogatis, ne non tàm eliciatis peccata, quàm commonstretis. Peracta demum confessione, pœnitentiam pro grauitate, atque modo facinorum, peccatorumque, quæ fassus erit iniũgite, ac pro cuiusq; ingenio, ætate, sexu castigate, corripite, vehementius etiam increpate. Aut si contra benignè agendo plus moturos sperabitis, partetna cohortatione, ac monitione animum permulcere, ac etiam consolationem, si opus esse intellexeritis, adhibete. Cauete verò, ne tum quicquam eleemosinę, aut pecuniæ dari vobis rogetis, aut commendari vos, aut vestra postuletis, aut omnino de vllo honore, vel commodo vestro, vestrorumvè agatis. Cõceditenim omnis continuo confessoris auctoritas, maiestasque illa parentis, ac iudicis prorsus dilabit, simul ac vel sordidi quæstus, vel ambitiosæ cupidinis suspicio incessit.

## *Ad Patresfamilias.* Cap. IIII.

NON patitur summum illud studium, caritasque qua populum curæ atque fidei nostræ traditum prosequimur, vt vos Patresfamilias sine admonitione, & cohortatione aliqua hoc loco prætermittamus; quando in vestra diligentia, fide, disciplina sita prope sunt omnia. Nam ex domestica vestra institutione, & clerici ipsi prodeunt, & noster labor, quem optamus fructum, ad populum in christianæ pietatis studijs habendum, afferet; si vos & quæ sint vestræ partes intellexeritis, & eas qua debetis cura studioque implere contendetis. Ac primum nolite existimare administratæ vestræ domus rationem vos aliquando Deo nõ esse reddituros, aut eũ pœnas a vobis neglectæ liberorũ curę, & familiæ, indulgenter nimis & incuriose, ac dissolutè habitæ, nõ experiturũ. Cuius rei in diuinis litteris salutare ad cauendum exemplum capite ab veteri illo Heli, qui quamquam sæpe corriperet filios suos licentius viuentes, tamen quia non qua oportuit seueritate procaces eorum mores coercuit, eam a Domino pœnam tulit, vt fuso, fugatoq; magna cũ cæde illius exercitu, amissis in acie filijs, & hostes Arca Dei potirentur, & ipse sua ex sede subita morte correptus concideret; & pregnans vxor edito immaturo partu interiret, regnumq; ac sacerdotium protinus a posteritate eius auferretur. Liberos igitur vestros, a prima statim ætate Deum vereri condocefacite; sanctoque illius metu teneros adhuc animos informate, atque imbuire. Tum adolescentem cum ipsa ætate religionem excolite, & christianæ pietatis præceptis instruite. Ad ludũ inde deducti, haud minor vobis cura sit quantũ in moribus, quã quantũ in litteris proficiãt. Nec mores putate, benignè ac prudẽter

salutare, in tempore caput aperire, maiores natu reuereri, atque alia communis
vsus officia scitè, eleganterque obire, quamquam ne hæc quidem spernenda sint;
sed pietatem colere, fidem seruare, diuinis iussis parere, pudorem, modestiam, hu
manitatem, caritatem, beneficentiam, & cæteras christiano homine dignas artes
amplecti: His cõstare mores credite. Neq; enim liberi procreãtur, suscipiuntur q;
& tantis parentum laboribus aluntur, atq; educantur, ad id modò, vt inde ab ijs
stirps, nomenq; familię propagetur, honoribus, diuitijs augeatur; Humana hęc
sunt, fluxa, infirmaq;, & marini æstus instar assidue fluũt, refluuntque; sed qui-
bus Deus quandam sui ipsius imaginem ingenerauit, quos culpa prolapsos, &
ab se desciscentes, & ex eo sempiternis damnatos cruciatibus suo ipse sanguine,
suis supplicijs, sua morte liberauit, ij salui, beatique vt sint, cœlestium ciuium
numerum augeãt; nec terrenas has breues, & caducas, sed infinitas in cœlo at-
que immortales opes adipiscatur, ad easq; monstratis ab se itineribus, perueniãt.
Hunc vestrorum in gignendis, educandisque liberis laborum, curarum, ac sollici
tudinũ fructum, huic finẽ, nõ fucatum, & falsum, sed verũ, certumq; propositum
habete; atque eos ita instituite, vt cęlestibus hisce bonis potiri, fruique possint:
Nam opes hæ nostræ, & morte finiuntur, & animus ijs nunquam impletur. Ve-
rũ qui copiosi ac diuites estis, & domi rebus omnibus abundatis, acceptũ id diui
næ benignitati referte, & ex affluentia vestra alienę egestati subuenite potius, quã
canibus, equisq; alendis, atq; alijs superuacuis sumptibus prodigatis. Deniq; san-
cti illius vatis consilium amplectimini: Diuitiæ si affluant nolite cor apponere. At
contra quibus angusta domi res est, ita filios instituite, vt inde vel labore iusto,
ac virtute acquirant, quod eorum vitæ, atq; cultui satis sit, vel ipsam paupertatem
magno & christiano animo ferant, eamq; nec ipsi in malis ducant, & ab alijs am
plissimis digni copijs iudicentur. Nec liberorum solùm, sed ministrorum quoq;
ac famulorum, tàm marium quàm fęminarũ curã gerite; ac date operam, ne quid
vos fugiat, quod ab illis seu domi, seu foris, secus quã vestræ disciplinæ ratio fert,
committatur. Qui cõmiserint, eos pro modo culpæ castigate, flagitiosos, blasphe
mos, fures, irreligiosos, & sacram confessionem subire statis temporibus renuen
tes, nullo modo toleretis. Tàm filiorum, quàm famulorum cubicula, lectosq; ma
gna ratione diuidite; & maximè a mulieribus ita separate, ut aditus omnes pericu
lis præcludatis. Interdum ex nec opinato singulorũ conclauia intrate; clausa reclu-
dite, arculas quoq; excutite, & si quid, qđ officere institutę disciplinę uestrę possit
deprehẽderitis, auferte. Comedias, librosq; alios lasciuis amoribus, amorumq; ar-
tibus plenos, atq; amatoria itẽ carmina, quę magnopere molles adolescentiũ ani-
mos subruunt, & sæpe bonas quoq; mẽtes labefactant, tollite. Aduertite diligẽter
quas uẽritare domũ; & cũ mulieribus uestris familiarius uersari sinatis; itẽ foris qui
bus cũ filij amicitias misceãt. Desidem, atq; otiosum neminẽ sinite; sed suo quẽq;
negotio detinete. Mulieres non uagari solùm per vrbem, non necessaria de causa
vetate, sed etiam aditu domus, fenestrisq; prohibite; intra parietes rebus suis inten
tas continete; item fucis, pigmentisq;, & alijs naturalis formę, & veri castiq; pudo
ris dehonestamẽtis, interdicite; inanẽ, ac nimiũ cultus, ac vestiũ sumptũ, tam in

fœminis,

fœminis, quam in maribus compescite; & quemq; pro sua ætate, ordine, sexu, modesto, decentiq;, atq; etiam honorifico, dum ne sumptuoso, ac vano, vestitu contentũ esse iubete. Quam si priuatim suæ quisq; domui legẽ indixerit, non erit cur publicè sumptuariæ leges desiderentur; ac desinent quotidianæ seniorũ querimoniæ, exhauriri domos vestiũ luxuria indignantium. Qui famulos, ancillasq; cóductas habetis, quã ijs operæ mercedem debetis, repręsentate potius, quã contra eorum cõmodum differatis. Victũ quidem qualis frugi domũ decet, sed tamẽ abunde prębete. Contumelijs, conuicijsq; maximè in filios temperate, Pauli Apostoli memores, monẽtis patres ne filios ad iracũdiã prouocẽt. Si quis fortè ęgrotet e uestris, huic ne medicus, neve alia, pellendo morbo, desint curate; visite, ac si grauius conflictentur, comi, benignoq; alloquio confirmate. Ante omnia sacra confessione, & cõmunione procurari pręcipite. Paci, cõcordiæq; studete, ac statim orientibus dissidijs imperio, atq; auctoritate occurrite, & quã a christianę pietatis institutis abhorreat persequi iniurias, aut odiũ in quemquã habere, sępe apud vestros disserite; maximè autẽ omniũ pietati studete. sępe per annũ festis diebus pręsertim celebrioribus, saciã toti familię confessionẽ & cõmunionem indicite; cũq; ea vnã Ecclesiam adite, vnã sanctissimã Eucharistiã sumite, unã pias pręcationes obite, vnã vos domũ recipite, vnã cibũ capite. Quę res nõ parũ religionẽ omniũ in Deũ, & mutuã inter ipsos caritatem commouebit. Filios cum maturum ad id rempus erit, chrismate confirmari curate; item vt viam quandam ac rationem confitendi peccata condiscant, idq; frequenter facere assuescant. Eos quotidie si fieri potest, festis vtiq; diebus, diuinæ rei interesse iubete; ipsosq; festos dies, diuinis maximè laudibus pijsq; officijs, non per ludum ac lasciuiam agere; Delatum aliquò sanctissimum Sacramentum deduci, accenso cum cereo, item iubete; atque eius rei causa comparatos cereos domi habete. Ieiunia vt sanctè colantur videte. At verò cauete ne filias vestras inuitas in monasteria cõpellatis, & moniales fieri cogatis; graui enim vos crimine obstringeretis. Item filios cupientes in alicuius sacrę familiæ disciplinã sese dedere, & religionem ingredi, ne deterreatis, retrahatisq;. Pias Ecclesiæ consuetudines, vt non solùm non negligantur apud vos, sed etiam sanctè, ac religiosè seruentur curate. Quo tempore sacra aqua domos, & singula conclauia aspergi a sacerdote consueuerunt, eam lustrationem religiosè suscipite. Morem cibos quosdam certis pręcationibus, ab eodem sacerdote benedicendi, ne omittite. Alunt enim hæ cõsuetudines, augentq; apud bonos studia pietatis. Aniles verò superstitiones, quæ maximè mulierũ animos subeunt, abolere penitus, atq; abijcite; & in omnibus rebus, ad Deum confugite, & confugere uestros iubete. Quotidie tàm mane quàm uesperi filios pijs precibus sibi, domuique propitiare Deum docete; ut & mane e lecto surgentes, & uesperi cubitum se conferentes ante sacram cubicularem imaginem positis genibus Deũ adorare, sanctoq; eius numini se, uitã, domumq; cõmendare condiscant; atq; hunc morem per omnem inde uitã teneant, quo pariter diẽ & religiosè inchoare, & piè concludere uideant. Nullũ domi urę cubiculũ sine sacra aliqua imagine esse sinite, adijcite, aquę benedictę uasculũ, consuetudinẽq; inducite, ut quisq; quoties intrat, quoties exit

illius se sacratæ aquæ rore leuiter aspergant. Nihil magnopere incipite, aut incipere vestros instituite, quin vos prius sacro signo crucis veluti præmuniatis, ac si res grauior sit, etiam pia aliqua prece adiutorem eius Deum aduocetis: si fieri potest communem aliquem orandi locum domi vestræ habete, in eumque stato tempore cum tota familia conuenite. Ad capiendum cibum discumbere neminem sinite, antequam vos ipsi, aut alius iusso vestro, solemni carmine mensæ benedixerit; nec inde exurgere, atque abire quemquam nisi post mensam sublatã, & gratias de more Deo actas. Post cœnam ne illud tempus inutiliter teratis, piũ aliquem librum, & maximè sanctorum vitas legi iubete; atque ex eorum moribus ac rebus gestis exempla vobis ad imitandum seligite. Dormitum, vt vno omnes tempore se conferant curate, idque religiosè, ac per silentium, & sine vllo prorsus strepitu fiat. Quæ omnia vna ratio est familiæ vestræ iniungendi, persuadendique, vt ita præstent, si vos præstiteritis; si institutorum vestrorum exemplum omnibus eritis, si quantum auctoritate excellitis, tantum vestri mores, innocentia diligentiaque nitebunt, si quam disciplinæ legem indicitis alijs, eam ante alios à vobis ipsis exigetis.

*Ad viros & vxores*, *Cap.* xxx.

QVI sancti coniugij fœdere iuncti, illius vi duo in carne vna effecti estis, ita mutuæ beneuolentiæ, & charitatis vinculis vos assidue constringite, sicuti perpetuo, atque insolubili vitæ, ac fidei nexu continemini. Viri, inquit magnus ille Princeps Apostolorum, diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam; qui enim suam diligit vxorem, seipsum diligit. Cogitate quo vos esse animo in vxores vestras oporteat, quorum amor cum Iesu Christi in Ecclesiam amore comparetur, qui pro eius salute se, vitam, ac sanguinem suum profundere, ac tot se cruciatibus offerre non dubitauit. Benignè, coniunctè, iucundè cum ijs viuite. Iniuria, acerbitas, tristitia omnis procul coniugali vestra societate, & consortione sit: & vt ipsis Diui Pauli verbis vtar, nolite amari esse in illas, & cohabitantes, secundũ conscientiam quasi infirmiori vasculo muliebri impartite honorem. Quam in ijs fidem expetitis, eius ipsi exemplum sitis, pari enim per omnia iure, pari lege attinemini, & eiusdẽ Pauli tenete verba, ita viros alloquentis. Abstinete vos a fornicatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore non in passione desiderij. At vos vxores colite viros vestros, ijs parete, ijs, vt idem vos monet Apostolus, subditæ in omnibus sitis, sicuti subdita Christo est Ecclesia. Amore, obsequio, fide eos demereri studete. Puras, castas, mundas, hilares vos ijs exhibete; non fucatas, nõ sumptuosas, non elatas, non difficiles, fastidiosasque: Domus familiæque curam gerite, rei vestrę intentæ, alienæ non curiosæ. Deũ timentes per exempla sanctissimarum e sacris litteris mulierum incedite, earumque vestigijs insistite. Egenis pię, in Ecclesijs religiosæ, in omni actione fidem, ac sanctitatem retinentes, non falsę, non vanæ, nõ

super-

superstitiosę; filias vestras paribus moribus instituite. Deniq; vt inquit Apostolus, vbiq; probate vos pudicas, castas, sobrias, & irreprensibiles.

## *Ad Virgines.* *Cap.* IIII.

VESTRAS Virgines laudes nos quidem attingere supersedebimus, quæ tantæ sunt, vt eas nec vlla humana vox oratione assequi possit, & præstantibus ingenijs disertissimorũ ac sanctissimorũ virorũ attrectatæ sint. Verùm earũ virginũ, quæ nõ corpus solũ inuiolatũ, sed mentẽ etiã impollutam gerunt. Tuemini igitur dignitatem vestram, pari pudoris, modestiæ, verecundiæ, ac religionis studio. Parentum imperium sanctum habete; eorum iussis obedienter obtemperate; ab eorum auctoritate latam vnguem ne discedite, sermonis parcæ, officijs promptæ, oculos demissæ, non garrulæ, non contumaces, non curiosæ sitis, virorum præterquam coniunctissimorum, non solùm familiaritatem, sed etiam alloquia declinate. Vestros quidem diligite, charosque habete, ab alienorum amoribus penitus abstinete; ne inde sensim in eas cupidines delabamini, quæ non facile a flagitij cogitatione, ac lethali peccato seiunguntur. Mulierum quoque, si quam blandiri auribus vestris, tentare constantiam, bonamque mentem sermonibus improbis labefactare conari intelligitis, eam vel propinquam, non a consuetudine modo vestra repellite, sed etiam domo exigite. In cultu corporis ne nimiæ sitis, neve plus in eo comendo operæ studijque ponite, quàm virgines castis consilijs, moribusque insistẽtes deceat. Otium vitate; domi clausæ muliebribus operibus intendite, aut si quando ab ijs cessatis, sanctarum virginum vitas legite; earum virtutes imitari contendite, maximè pietatem ac religionem colite, multæ in diuinis precibus sitis, ijs non solùm vos, sed vestros quoque Deo commendate; choreis, spectaculis publicisque alijs ludis temperate, ne qua vos macula incommodæ suspicionis ea res aspergat, atque adeo ne bonas mentes vestras ea corruptela deprauet. Denique vt Diui Pauli verbis sermo noster claudatur, cogitate semper quæ Domini sunt, vt corpore & spiritu sanctæ sitis.

## *Ad Viduas.* *Cap.* IIIII.

NE vos quidem viduæ silentio præteribimus. Quæ profectò si verè viduæ videri, atque adeo esse vultis, spem vestram omnem eo magis in Deo collocare, in eiusque sancto cultu versari debetis, quo magis virorum destitutæ ope, & præsidio estis; item si vera vestra in eos charitas fuit, eandem mortuis quoque præstate, & obsequia, atque officia a vobis in viuos conferri debita, vertite in castas continuasque ad Deum preces, illiusque sanctum numen, eorum placare, ac propitiare animæ studete; eaque re vestram solitudinem, vestrum desiderium solamini; in eaque conquiescite. Atque abiecisse vos humanarum rerum solatia, oblectamentaque, cum hac precandi assidua consuetudine ostendite, tum alijs quoque rebus, vestitu, sermone, victu, piorum munerum exercitatione testamini. Alienos, aut de quibus vlla incessere suspicio possit, viros in domum vestrã

ne recipite. Probatiſſimi, ac religioſiſſimi cuiuſq; conſilium in rebus ueſtris adhibete. Et quod uirgines ſupra monuimus, uos quoque facite, ut ſanctè exactę uiduitatis exempla a ſacris litteris, ſanctarumque uitis petatis, eaque uobis ad imitandum proponatis.

## *Ad ſenes.* Cap. 1114.

SENES quemadmodum uſu, atque ętate alios anteceditis, ex eoque præcipuus uobis honor ab omnibus tribuitur, ita uos prudentiæ, temperantiæ, religionis laudibus excellere conuenit; harumque uirtutum exemplo ita iuniores anteire, ut eos ad uitę, ac diſciplinę ueſtrę imitationem, æmulationemq; excitetis, & quam ab ijs obſeruantiam dignitas ſenectutis exigit, eam illi morum quoque præſtantiæ libenter exoluant. Illos conſilijs ueſtris iuuate, ac regite; efferueſcentiſque uitia ætatis, ueſtra ſapientia, atque auctoritate cohibere moderaminique. Recta uia ad probitatem euntes incitate, aberrantes corripite, reduciteq;: ijs pręſentibus ex ore ueſtro, nihil unquam, impudicum excidat; nullum uerò dictum, factumque a uobis audiant, quod in ſeipſos transferendum, neque exequendum non exiſtiment. Cum autem ad alias uirtutes, tum uerò maximè, ad pietatis, ac religionis laudem uitę ueſtrę ſpecimina incitamentum ijs afferant. Videant uos frequentes in templis, aſpiciant diuinis officijs, & maximè cœleſti Miſſę ſacrificio operam dantes, attentè, ſanctè, demiſſe ſacra colentes intueantur. Quę quidem fieri a uobis, ut ueſtro exemplo iuuenum religio accendatur, debent; at uerè, & ex animo, & ueſtra non aliorum cauſa ſuſcipienda, pręſtandaq; ſunt. Cogitate vos in ipſo iam vitæ occaſu verſari, inſtare, ac propè iam adeſſe noctē. Iuuenibus quoq; ſepe vitam in medio curſu præcidi, at ſenibus quid tandem ſpatij reliquum eſſe? In ipſum mortis limen alterum pedem inieciſtis, vt greſſum niſi intra ferre iam non poſſitis. Ita igitur viuitę, vt quæcunque imminet hora, eam vobis ſupremam eſſe exiſtimetis.

## *Ad Iuuenes.* Cap. 1115.

IVVENES quò veſtra magis floret ætas, quò feruent acrius ſenſus, eò prouidendum accuratius, enitendumque eſt vobis, ne quò appetitus impotens rapiat, eò præcipites vos ferri ſinatis. Ætatem iſtam ita regite, vt recta ei ratio non libido dominetur. Hæc enim indolis veſtræ vera commendatio eſt, hæc ſpes maturæ virtutis, vincere vitia, quæ annis ineſſe veſtris videntur. Quemadmodū enim equum tenacem, & minus parentem freno, in curſu retinere, flectere, & circumagere periti Domitoris maxima laus fuerit, Ita vobis hoc apperendum decus eſt, vt efferentem ſe nimis ferocientemque iuuentam, & modeſtiæ, & continentiæ frena detrectantem, conſilio dometis, ac rationi obtemperare cogatis. Nam neque manſuefacto, at facili equo inſidere, & quò velis agere magnæ induſtriæ eſt, neque vbi deflexa ætas, vbi naturæ impetus ſponte ſua deferbuit, defeditque,

moderatius

moderatius viuere, magnæ virtutis experimentum habetur. Igitur qui prima adolescentis ætatis spatia ingredimini, ac inconsulto, & contento cursu veluti exultantes peruadere properatis, caute incedite, ne cursu grauiore illidamini. Vita maris instar, animi nostri motibus, ac perturbationibus, quasi ventis, ac tempestatibus agitatur, crebris, ac latentibus illecebrarũ, & voluptatum, ac peccatorũ sparsa scopulis. His si quando temere nauigando illati naufragium feceritis, nõ cunctemini sanctæ pœnitentiæ tabulam arripere, eaque inde seruati, Dei benignitatem, a quo tabula vobis oblata est, agnoscite, ei acceptam salutem referte, atque in posterum cautius vitam instituite. Otium, ac desidiam vt pestem vitate. Hoc enim fonte multa profluunt mala ætati vestræ infesta. Ab improborũ vsu, amicitiaque longè refugite, vosque ad optimi, ac spectatissimi cuiusq; familiaritatem applicate. Senioribus, ac recta monentibus auscultate. Hos secundum parentes maximè obseruate, lateri hærete, eorumque fieri sermonibus meliores, eruditioresque studete. Bonas, atque ingenuas artes colite, ijs diligentem operam date. Ante omnia Deum timete, diuinisque iussis obtemperate. In Ecclesijs religiosè, in ludo, ac schola modèste versamini, pariter intenti hęc discendo, ac doctrinæ præceptis audiendis, illic Deo adorando, sacrisque venerandis. Qui generis dignitate præstatis, non inaniter maiorum vestrorum laudibus efferamini, sed illos per ipsorum exempla, vestigiaque sequentes, par decus pari virtute paribusque animis parare contendite, planè vt vestra, non aliena industria clarescere velle videamini; siquidem turpius nobiles ab suorum claris facinoribus degenerant, quàm tenui, atque humili fortuna nati, non emergunt. At vos quoque quibus nulla maiorum commendatio & obscuri parentes, nihil ad enitendũ præsidij reliquerunt, ita conatus vestros ad omnem virtutem incitate, vt nouum, ignotumque genus vestrum vestris laudibus illustretis; maiori enim vos gloria nõ acceptam a patribus nobilitatem posteris tradideritis, quàm nobilitas suorum claritudinem vitijs non deformat.

## *Ad Milites.* Cap. 116.

EST quidem vestrum milites plenum periculis vitæ genus, verùm ne vos quidem sua destitutos ope diuina benignitas esse sinet, si vos ad eam confugeritis, & ita vos hominibus militare cogitabitis, vt prius Christi milites esse memineritis, priusque animæ vestræ saluti cautum, quàm prædarum cupiditati indultum volueritis. Ne ita temerè nomina in bellum date, quin ante videndum esse vobis existimetis, an iustum illud iusteque susceptum sit. Ita inde prælia inite, vt victoriæ fructum pacem esse optetis; iniustis rapinis manus abstinere, ab Ecclesijs, locisque sacris quantum in vobis est, vim arcere; matronarũ, ac virginũ pudor eo sanctior vobis sit, quo plus iuris in eas bellum fecerit. Nã qui expilare, diripere, stuprare, violare, diuina, humanaq; cõfundere, atq; omnium rerũ licentia grassari, militiæ ius putant, næ horum non minus animis interitus, quàm corporibus nex in singula temporis momenta impendet, nec tàm milites isti, quàm

latrones

latrones, &c. grassatores dicendi videntur. Insideat semper animis vestris Dei metus, nec vnquam ita abripi impetu atque ardore eundi in hostes patiamini, quin religio aliqua vos Dei admoneat. Quoties in certamina descensuri estis, Deo vos vitamque vestram, ita tradite, ita destinate animo pro iustitia pugnare, vt si cadere in acie prælioque vos contigerit, mortem tamquam Dei hostia occumbatis. Non quia in castris inter arma pugnasque & cædes versemini, propterea debita Christianæ pietatis officia intermittite; sæpe sacra confessione, sæpe sanctissima Eucharistia, aut certè solemnioribus anni temporibus, animam procurate. Mane cum surgetis, vesperi cum quietem capturi estis, eo intentius Deum adorate, vosque ei, salutemque vestram commendate, quo maiora cotidie certaminum discrimina penè necessariò subituri estis. Sic affectis, sic animo paratis licebit obijcere se periculis, & mortem pro fide, pro sacramento, quo deuicti estis, contemnere, sic vestra fortitudo, Dei exercituum spe freta, confirmataque, enitebit, his denique animis victoria parietur.

## AD OPIFICES. CAP. IIII.

AD vos quidem pleraque pertineat eorum, quæ supra patresfamilias admonuimus, sed vestrum quoque ordinem opifices, omnesque qui apertis tabernis quæstum, victumque ex labore, atque artificio vestro quæritis, peculiari monitione appellare, atque affari libet; non vt eadem repetamus, sed vt pauca quædã, quæ propria vos attingere videntur, persequamur. Propositus vobis idem finis sit, cœlestis vitæ bonis aliquando potiundi. Quò quidem pertinet, vt memoria repetatis, quod diuinis litteris traditum est, nihil prodesse homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur. Ergo animæ vobis antiquissima, & maxima semper cura sit, quam si lucrati fueritis, nõ vanũ, & caducum, sed verum & sempiternum lucrum feceritis. Ab omni iniusto fœnore, vt animæ pernicie, ac peste abstinete. Cauete ne quem mentiendo, multo minus per Deum, sanctosque peierando decipiatis; ne pretium operæ rerumq, nostrarum, cupidine quæstus, plus æquo augeatis; ne quid cuiquam adulterinum pro vero, & probo ingeratis; ne mensuris, ne ponderibus detrahatis; ne quod falsum nomen in codicem referatis; Denique eam ipsi fidem alijs præstate, quam præstari vobis ab alijs velletis. Nam fraudare quidem, ac fallere homines poteritis, Deum qui non solùm factorum dictorumque, sed etiam cogitationum vestrarum testis adest, certè non falletis. Deum igitur veremini, & sancto eius metu, cultuque vos, vitam, negotiaque vestra moderamini. Ad excitandam tuendamque vestram vestrorumque religionem, vnusquisque vestrum piam aliquam in sua taberna, aut Christi Domini, aut B. Mariæ Virginis, aut sancti alicuius imaginem habeat; Eam magno omnes honore colite, Primo mane tàm ipsi, quàm famuli, ac operarij vestri, vt quisque tabernam intrarit, positis genibus, sacram imaginem veneretur; nec an:e inde, nisi recitata Dominicam oratione,

& Angelica salutatione ad opus suum exurgat. Idem vesperi, cùm clausuri tabernam eritis, seruate; item interdiu, nunquam eam prætereatis, quin aperto capite, cultum honoremque illi tribuatis; cùm datum campana salutandi ac venerandi B. Virginem ab Ecclesia signum acceperitis, vnà omnes genua ante eam imaginē ad terrā date, salutationēque ipsam religiosè peragite; idem facite cùm manè a Cathedrali Ecclesia, eadem campana datum signum audieritis, diuinam in maiori sacro hostiam extolli, & populo adorandam præberi. In tabernis vestris obscenas res narrari, obscena verba dici, aut omnino inhonestum quicquam fieri vetate; omni ludo, omnibus interdicite. Alienæ existimationi detrahi, obtrectari, ac maledici absentibus, ne permittite; item iurgia conuiciaq; inter præsentes vetate; fraternam inter omnes concordiam tueri contendite. Quos administros, operariosque artificij vestri conducitis, eorum sanè fidem, ingenium, scientiam, operam, quæ elaboraturi sunt probate; sed haud minori studio mores cognoscite. Nemo irreligiosus, & qui statis temporibus sacrā confessionē nō subeat, nemo blasphemus, nemo aleator, nemo ganeo, nemo concubinarius, aut scortator vobis conducatur; nisi amanter monitus, hæc se uitia desiturum sanctè polliceatur. Rudimenta christianæ fidei, neque ipsi ignoretis, & disci ab operarijs vestris iubete, contumaciusque recusantes, aut rem irridentes, protinus missos facite; id enim ipsum haud leuem suspicionem habet animi parum in christianam pietatem propensi. Omnes alioquin humaniter habete; debitam mercedem liberaliter exsoluite; spectatā fide, industriaq; interdū etiā extraordinario aliquo munere remunerate. Morem improbū eorū detestamini, qui quicquid alijs diebus lucrati fuerint, id festis in cauponis, in lustris, ganeisq; helluuntur; nulla coniugum, nulla liberorum cura; quibus interdum necessaria etiam alimenta desunt. At hi quidem nisi se vltro correxerint, etiam pęnis a nobis coercebuntur. Vos festos dies persanctè colite, non cessatione solùm vestra, vestrorumq; ab sueris operibus, sed exercitatione honestorum, ac piorum officiorum. Quibus diebus publicæ supplicationes habentur, tabernas claudite, nec eas nisi supplicationibus demū peractis aperite. Hunc autem cultum festis diebus non metu mulctæ, sed studio religionis tribuite.

## *Ad Caupones.* Cap. 1118.

NISI vobis diligenter caueatis, magno Caupones in salutis periculo versari videmini. Eò enim progressa res est, vestra multorum nequitia, tanta cauponariam corruptela incessit, vt nihil penè vitiorum sit, quod non veluti in sentinam istò iam defluat. Meminisse vos cupimus, vicem a vobis hospitij sustineri, rei apud omnes gentes sanctæ; hospitesq; esse qui ad vos diuertunt, hospitaliterque accipiendos, indeq; omnia vobis cum illis humanitatis iura intercedere. At plerīq; vestrū, quod salutis vestræ studio effari liberius libet, latrocinari, non negotiari, cauponariq; videmini; adeo nō hospitali comitate, sed hostili immanitate

diuersoria,tectaque vestra subeuntes accipitis, aut adeo dimittitis. Nam ferè blande vos quidem, ac liberaliter inuitatis,vt nihil viatoribus non vltro polliceamini, nihil captandi causa,vt ad vos diuertant, non mentiri didicistis. At in abeuntes tanta rapiendi auiditate grassamini, vt ab singulis plus sæpe exigatis,quam quãtum ipsi sumptus in vniuersos,quamuis bene multi sint,fecistis. Cùm tamen non lectis eos, sed grabatis, non cubiculis sed antris,non mensis sed præsepibus acceperitis. Atque hæc ipsa sordibus lurida, situ, ac nidore fæda, visu quoque horrida, incultaque sint. Quin datis operam, vt cum ipsæ ędes quoad fieri potest nitidæ, albentesque,tum cœtera item omnia munda, excussa, deuersa, extersaque sint? cibos frugaliter quidem,sed non adeo parcè suppeditetis, vt eximere hospites famem & fessum de via corpus satis reficere nequeant;& item non marcentes, non adulteratos, sed probos recentesque apponatis, At verò contra ganeas, lustraque, & plena intemperantiæ, luxuriæque conuiuia celebrari apud vos, ab rei patrimonijque sui helluonibus facile finitis, atque adeo his excogitata gulæ atque insatiabilis abdominis irritamenta omnia ad helluendum absumendumque obijcitis. Præsto sunt, nequid turpitudini, atque impuritati vestræ, illorumque desit, æquè perditæ, æquè auidæ, atque impudicæ mulieres, quas ipsi aut domi alitis, aut nefarij quæstus societate conducitis. Hæc ab domibus, diuersorijsque vestris eijcienda, exterminandaque sunt. Quæ non tam, vt remini,lucro vos locupletant, cuius rei studio prouecti nihil turpe, nihil inhonestum, nihil iniquum ducitis, quam vobis domuique vestræ, veluti vltricem pestem afferunt. Vnde enim fieri existimatis, vt vestrum pars maxima quò magis fraudibus, dolis, dãnis fallere,decipere,spoliare,furari gaudetis,eo fere egẽtiores sitis, semperq; cũ ipsa videamini paupertate, miseriaque luctari. Peccati id vitio fit, iustoque Dei iudicio, tam iniquos quæstus vobis in inopiam, mendicitatemque vertẽtis. Purgate his, alijsque flagitijs domum,& vobis non rapinis, atque iniurijs latrocinationem, sed hospitalitatem iusta mercede exerceri putate. Ne patiamini, quod sæpe fit, violari apud vos blasphemia Dei nomen. Extrudite hospitio aleam, aleatoresque,scorta,lenonesque,flagitiosum genus aditu quoque arcete; turpes & venalem formam habentes mulieres, ne peregrinas quidem, atque iter habentes diutius apud uos diuersari sinite. Ciborum, dierumque, quem Ecclesia statuit, delectum habete. Ieiunia, ieiuniorumque tempora violari apud vos ne permittite. si quis forte uiator domi uestræ in morbum inciderit, non medicum citius, quàm Parochum accersitum mittite; ut non minus diligenter animæ, quàm corpori necessaria remedia adhibeantur. si Ecclesiastici homines ad uos diuerterint, eos quam honestissimè accipite. Non porticus, non uestibula, non cubicula domus carere aliqua sacra imagine sinite. Parietibus obsceni quicquam pingi, lineari, inscribi ne permittite; inscripta, pictaque delete. Cauponæ ministrorum omnium, & maximè stabulariorum deprauatos ferè, atque improbos mores, aliqua disciplina continete. Omnes ut ex Christianis institutis uiuant, Ecclesiæque præceptis pareant, curam gerite. Nulla denique apud uos, aut benignitatis, & humanitatis

manitatis iura, aut christianæ pietatis officia desiderari patiamini. Vt qui ad vos peregrini exterique diuertunt, veri hospitij imaginem cernant, verique hospitis domum subijsse, non furis immanis limen intrasse se credant.

*Ad Meretrices.* *Cap.* 1119.

AT vos quarum tanta turpitudo est, vt ne nominari quidem honestè possitis, in quibus alloquendis, honor præfandus est nobis, quibus tandem verbis appellemus? Quid vos moneamus, quas ipsi mores vestri, ipsa obscœnitas non monet? Ecquid infelicissimæ animæ sentitis, quo infamię luto, quo flagitiorũ cęno volutemini? qua vitiorũ probrorumq; sentina demersę, quibus peccatorũ, quibus Diaboli laqueis implicitæ, inuolutæq; sitis? An intelligitis, quę dedecorũ, quæ ignominiæ notæ vobis, & maculosæ vitæ vestrę cotidie inurũtur? Vos, vestramq; fęditatem amictu distingui, vt ab alijs dignoscamini, vos domicilijs separari, vos in abiectas vrbis partes remoueri, detrudiq; vos congressu, vos affatu abstinere probarum, ne aspectus eis vester, ne vmbra noceat, iubemini. Vos domibus earum, vos cætibus arcemini. Vos, quod caput est, ipsis salutis nostræ subsidijs, Ecclesiæ sacramentis prohibemini, cœlestisque muneris expertes, in exitium ruitis sempiternum. Quin respicitis aliquando vos miserrimæ mortalium? Quin istam vestri corporis, ac formæ nundinationem desinere tandem anteuertitis, priusquam anteuertamini? Deflorescet enim breui fucatus iste oris decor, & aut vsu ipso nefario deteretur, aut morbis deformabitur, aut paucis certè annis extinguetur. Nolite committere, vt ante vos peccandi materia deserat, quàm ipsę peccandi habitũ deseratis. Ad illius peccatricis exemplũ, opemque confugite, quæ præteritorum dolore, ac pęnitentia tantam a Domino gratiam iniuit, vt ex profligata, & perdita spe, ad ęam sanctitatis dignitatem peruenerit, vt terreno adhuc corporis onere induta, e terra sublimis efferri, & cum cœlestibus spiritibus, angelisque versari mereretur. Hæc deprecatrix vobis apud Deum erit, si vos aditũ veniæ in animis vestris, paribus lachrimis feceritis, si pretioso vnguento caput Domini vnxeritis, si retro secus pedes eius stantes, lachrimis eos rigabitis, si capillis tergetis, si tandem optimam, quod illa fecit partem, elegeritis.

*Ad Populum vniuersum.* *Cap.* 1120.

AD vos nunc vniuersos filij in Christo nobis carissimi nostra se vertit oratio, cui quidem eã inesse vim vellemus, vt de quibus monere vos decreuimus, ea vobis penitus persuaderemus, & cohortationem nostram ea morum, ac uitæ

uestrę mutatio, emendatioq; sequeretur, quæ nobis spem haud dubiam faceret, fore, ut & uos benignitate, & munere Dei iter ad cœlum aliquando dirigeretis; & ad nos inde summum gaudium, lętitiaq; rediret, qui pro uestra salute etiam sanguinē ipsum profundere parati sumus. Hortamur igitur uos filij, atq; in Domino uehementer obsecramus, ut pauca hęc, quę ad uestram institutionē, & christianè pieq; viuendi rationem collegimus, ac vobis proponenda nō concionantis in morem, sed simpliciter, ac præcise monētis, duximus, amplectamini, ad animū transmittatis, memoriæq; ita mandetis, vt re etiā exequamini. Atq; illud scilicet primū & maximū sit, quo veluti fundamento reliqua nituntur, vt diuinā vobis gratiam concilietis, Deumq; propitiū habeatis, sine cuius ope teneri christiana viuendi disciplina nō potest. Ad id quidē proderit ipsum sanctè vereri, metuereq;, siquidem sapientiæ nostræ initiū est timor Domini, & cauere ne quid a vobis committatur, quo diuinum eius numen violetur. Nolite verò filij ritu brutorū, oculis in terram defixis tantum pręsentia intueri. Erigite vos, cęlū spectate, & futura meditamini, & cū propinquā instare dissolutionē, mortemq; vobis intelligetis, neq; enim vnquā longè abest, quæ secutura mortem sint, vobiscū animo voluite; & q̄ iustū, q̄ seuerū, hominibus, angelisq; inspectantibus, iudiciū aliqn̄ subituri sitis, vobis ante oculos proponite; item quæ præmia bonos ex eo iudicio, quæ supplicia damnatos sequantur, & vtraq; quā diu duratura; nempe æterna fore; hinc quæ vis æternitatis sit mente agitate. Credibile profectò est neminem ita hærere humanis rebus, ita captū, irretitumq; vitæ huius illecebris esse, quin ab ijs diuellatur, ac vitæ rationem mutet; si hanc futuri cogitationem sępe susceperit, & hominum conditionem, & seipsum penitùs introspexerit. Nam has diuitias, filij quas tanti facitis, hæc prædia, hæc hortorū spatia, hæc ædificia, hos domesticæ vestis, instrumentiq; apparatus, has pecunias, quas tàm auidè cogitis, quibus tàm sollicite incubatis, hoc gloriæ, atq; nominis propagandi studium, hos deniq; liberos vestros, quos tanta caritate amplexos tenetis, tantaq; cura alitis, & educatis, atq; adeo ipsam posteritatem, cui propagandæ perinde intenditis, ac si vnus is humanæ vitæ finis esset, suus breui interitus manet. Non solū enim perpetua hęc non sunt, sed ne diuturna quidē; aut certè interitu ipso nostro eorū sensus omnis amittitur, animamq; corporis vinculis elapsam, nulla iam amplius terrenarum rerum cura tenet, quæ in ipso Deo, si id merita pietate fuerit, bonis fruitur sempiternis. Proinde filij nolite pluris hæc, quā quanti sunt estimare. Iam nunc spem ad cęlestia adijcite, vosq; eo creatos esse existimate, vt in cœlum vnde origo vestra est, redeatis. Ita viuite, vt quicquid agitis, quicquid loquimini, quicquid cogitatis, eius vobis testem adesse Deum reputetis. Diuinarum rerum eo studio feramini, vt nō ipsi solū eas colatis, sed ab alijs quoq; coli lætemini, negligiq;, & contemni ægrè, molesteque patiamini. Catholicam Ecclesiam, Ecclesiæque auctoritatem reueremini, præceptis eius obtemperate, ecclesiasticis, & rebus, & hominibus magnum semper honorem tribuite. Pastorem vestrum vt parentem diligite, obseruate, colite; magnum argumentum est animi in Deum ipsum piè affecti, reuerentia, quæ ministris eius tribuitur. Nolite aut diuitiarum prouentu, aut fami-

ceret non vitam solum ei, sed etiam coniugij sui conditionem pollicetur: nam visæ statim amore ita exarserat, non forma solum, quæ eximia erat, sed ipso quoque pudore, modestiaque, ac sanctis puellæ moribus faces cupidini eius subiicientibus, vt ad spem illius potiundæ animum protinus adijceret. At virgo, vtriusque rei mentionem auersata, neque alium se Deum scire, quam cœli mundique conditorem, & humani generis liberatorem, redemptoremque respondit, & ei se æterno, incorruptæ, atq; inuiolatæ virginitatis fœdere, desponsam esse. Neq; vero ingenuam honestamq; decere obstrictam semel sponso fidem fallere. Olympiades suum sperni coniugium ratus, ecquis, inquit, ille est sponsus, quem tu mihi anteferendum putes? Is, inquit, virgo, qui non terrenis opibus præstat, sed cuncta cœlesti imperio moderatur, & continet. Huic ego seruio, hunc colo, ab eo nō solum me mors non dirimet, sed illi in sempiternum adiunget. Exigentiq; inde Olympiadi, vt quis nam ille esset tandem promeret, Puella Iesum Christum Dei filium haud dubitanter respondit: deq; illius maiestate, deque christianorum sanctis institutis, multa pie, ac sapienter disseruit. Olympiades cum hæc dicta, aut paruipenderet, aut non satis perciperet, & comitate, atque officio facile pellecturū se virginem speraret, eo sermone omisso, benigne ad epulas inuitat. Quod cum illa renuisset, negans sibi per religionem cum alienis, & a christiana disciplina abhorrentibus, capere cibum licere, ei permisit Olympiades vt seorsum epularetur, & laute, ac splendide conuiuium apponi iussit. Sed illa omnes aspernata gulæ illecebras, & inedia, atque ieiunio gaudens, non corpus escis, sed animum contemplatione diuinarum rerum, & pijs, quas positis genibus, ad Deum magna mentis contentione fundebat, precibus pauit. At Olympiades cum amoris tandem mensis è conuiuio surrexisset, & ante amore saucius, & tum etiam vino cui large indulserat, calens, ingressus cubiculum vbi Firmina diuinis precibus operata erat, manus inijcere virgini, atque in eius inuadere amplexum est conatus: sed conantem ita vlcus est Deus, vt subita vi manus illi exarefactæ sint, ipseque magnis correptus doloribus, inclamare, atque opem poscere cæperit. Firmina haud ignara id Iesu Christi nutu fieri, eiusq; se tutela, atq; numine defendi, nec tñ tam iniuria sua offensa, quam illius miseratione commota, à quo sibi iniuria afferebatur, Deum suppliciter obsecrare institit, vt miseri illius mentem cæcam, prauisq; erroribus inuolutam cœlesti fidei dono, & gratiæ suæ lumine illustraret, & cum sanitate membrorum, animæ quoq; salutem ei largiretur. Et ille quidem doloris magnitudine victus, Firminam iam etiam dominā appellans, vt sibi subueniret, manusq; restitueret, summis humilibusq; precibus obtestabatur. Cui illa, quin tu inquit Iesum Christum Deū confiteris, & baptismo procurari in animū inducis, qua destinatione, & acerbitatem istam, qua cruciaris, depelles, & manuum vsum haud dubie recipies? Cum ille facturum se, quæ imperasset omnia, dū se ijs cruciatibus leuaret, & sibi amissam sanitatem restitueret, prolixe polliceretur, Sancta Virgo magna spe salutē eius animæ afferēdi, Christianum Sacerdotem nomine Felicem propere accersitum misit. Qui auctoritate permotus Firminæ, cum subito accurrisset, intrante eo cubiculum tanta repente lux effulsit, vt locum omnē

ne admirabili splendore perfuderit; diuino id præmonstrante numine, vt qui aderant, baptizandique mox erant, corporis quoque oculis imaginem aliquam aspicerent eius luminis quod illorum animis baptismi gratia allatura erat. Eo miraculo Olympiades attonitus, nec iã dubitans vera esse, quæ de Christo Deo Firminam prædicantem audierat, in eius nomine sacris se aquis expiari, baptizarique magna voluntate exposcit. Et sacerdos pia, aptaque oratione confirmatum, & vt diuino auxilio fideret, intimoque animo Christum adoraret, hortatus, cupidum assentientemque eius dictis, & inde salutem sibi certo pollicentem, ac fidem, ipso Sacerdote præeunte verba, ritè profitentem baptismo affecit. Qua re patratã exclamat Olympiades, sanum iam esse se se, pristinumque manuum vsum redditum sibi, & omnem depulsum doloris sensum. Ac simul admiratione tam stupendæ rei, simul tanto Dei munere lætus, Deo ipsi salutis datori gratias agebat. At familiares quoque eius, aliosque qui aderant omnes tanta ex tam claro miraculo religio incessit, vt protinus iisdem ablui, ac baptizari aquis expetierint, & baptizati ex omni ætate, sexuque octo & nonaginta eadem in domo sint; omnesque Firminæ maximè sermonibus, & exẽplo sanctitatis ad amplectenda christianæ pietatis studia animati, atque incitati sunt. Omnes non multo post rem diuinam faciente Felice, de illius manu diuinam Hostiam magna religione perceperunt, aliquotque vnà dies fraterna beneuolentia, atque coniunctione in sanctis Christianorum institutorum exercitationibus fuerunt, mutua cohortatione se se ad omnia subeunda perferendaque potius quam susceptam fidem desererent, excitantes. Tam clari viri aduersus Principis edictum decretumque tam insigne facinus, latere scilicet diu non potuit, resque ad Diocletianum atrociter delata, vehementer illius iram commouit. Qui enim in eo totus erat, vt Christianam disciplinam, ingentibus iam incrementis late diffusam, & latius in dies manantem penitus opprimeret, & radicitus, si posset, ex hominum animis extirparet, eiusque rei causa, nulli generi, nulli sexui, nulli ætati, nulli multitudini immanis illius crudelitas parceret, foueri eam propagarique ab iis, quos consilij sui vindices constituerat, ingenti dolore accepit. Itaque e consularium numero virum acrem nomine Megetium extemplo Ameriam misit, eique mandauit, vt non solum succederet Olympiadi, sed eum iniectis catenis, aut redire ad cultum Deorum cogeret, aut publicatis bonis, atque omnibus cruciatibus tortum necaret. Et haud minori studio alios quoque, & ante alios Firminam, cuius blandimentis, præstigiisque delinitum, inductumque Olympiadem opinabatur, comprehendi, ac pari supplicio affici, nisi se à Christianis sacris auocari pateretur, iubet. Megetius cum Ameriam venisset, Imperatoris iussa impigre exequitur. Capto Olympiade, quo latiùs terrorem diffunderet, iudiciumque eius loco etiam, atque conuentu hominum nobilitaret, erigi foro in medio tribunal, aduocatisq; Vrbis magistratibus, vinctum Olympiadem adduci iubet. Ac primo quidem reprehendit, quod vir ea dignitate, iis honoribus functus, mulierculæ dolis, delinimen-

Olympiadi accidisse intelligeret, vitam in supplitijs, & cruciatibus, per summum dedecus, relinquere vellet. At Firmina inscitiæ illum, atq; imprudentiæ arguebat, qui Olympiadi mortem pro fide, pro religione, pro Dei gloria oppetitam pro probro, atque infortunio verteret. Tum Megetius ira incensus detrahi velamenta, vestesque, quibus amicta erat, & nudari in omnium conspectu corpus, ac virgis cædi Virginem imperat. Quod cùm fieret, & Tortor, quò vulnera grauius infligeret, dextram altè sustulisset, ictum diuina vi interceptū adigere nequiuit, vtque erat extento brachio immotus restitit, & sæuissimè torqueri se, atque distrahi, auellique vi summa sibi ab humero lacertum, insana vociferatione exclamauit; Firminamque per Deum, quem coleret, obtestabatur, vt vim remitti, & relaxari sibi, ac liberari brachium iuberet. Et pia virgo hominis non tam sua sponte, quam alieno iussu peccantis miserta, tollens in cœlum oculos non veniam solum illi, sed multo magis vt errorum tenebris animo excussis, veritatis, ac fidei lucem aspiceret, Christum Iesum precata est. Et vtrunque impetrauit. Tantam se verè, atque sanctè colentium precibus vim inesse diuina bonitas vult. Ergo recepta salute Vrsicinus (id enim Tortori nomen fuisse ferunt) clamores iterum tollens, vnum esse Deum quem Firmina coleret, confitebatur, & haud dubiam ab se viri speciem, candida veste, atque auro nitentis visam, à quo exsoluta sibi brachij vincula essent, affirmabat eaque constantia fidem est amplexus, vt nō multo post ex carnifice Christianorum Christianus martyr effectus sit. At Megetius eo magis exarsit, quod se magicarum artium portentis visisque illudi, ac ludibrio haberi imperium suum arbitrabatur. Itaque iusso vinciri, atque in carcerem condi Vrsicino, veneficarum, ac sagarum superstitiones, carminaque Firminæ obiectans, monet vt vanas, & nihil profuturas artes aliquando abiiciat, ac debitam Dijs venerationem tribuat, nec sibi vltra iam patientia sua abutendum esse existimet. Nam nisi maleficas, & virgine eo loco nata indignas fraudes omitteret, & exemplo cœlestibus numinibus sacrificaret, se verò à verbis ad res venturum, & lege in eam agi iussurum. Ad hæc virgo, næ tu inquit Megeti, quamquam tibi prudens, & callidus videaris, homo insipiens, ac ridiculus es, qui mihi auctor sis Deum conditorem mundi, hominumque redemptorem, ac liberatorem deserendi, & ære, aut lapide effictis Dijs diuinos honores tribuendi, quorum simulachra argentum, & aurum, opera manuum hominum, os habent, & non loquuntur, oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, neque enim est spiritus in ore ipsorum, similes illis fiunt, qui faciunt ea, & oēs qui confidunt in eis simul Iesu Christo, cuius instinctu hæc respuisset inaniū numinū figmenta, cuius misericordia patefactū sibi ad cęlū iter esset, laudes gratesq; agebat. Megetius non constantia solum, sed libertate quoq; eius grauiter iam offensus, talia dicentis os, primò pugnis appeti contundique, deinde afflictam solo sæuis concidi plagis verberibusque præcepit. Cùm ne sic quidem vinci puellam, & ab sancto proposito abduci videret, admiratione tam firmi, ac tam præsentis aduersus omnes cruciatus, atque adeo ipsam iam mor-

 tem,

tem, animi commotus, ne quid prætermisisse videri posset, quo sanari mens eius,
& ab illa prauitate (sic enim impius Christianæ fidei sanctitatem appellabat) re-
uocari posse crederetur, sublatam inde ante Iouis simulacrum constitui; si fortè
ipso Dei aspectu absterreretur, imperauit; Actum demum Deum Deorumque
parentem venerari, & precibus propitiare hortatur. Ipsa verò aspernantis ac de-
spicientis vultu in simulachrum versa, nihil aliud quam halitum in illud efflauit,
confestimque comminutum, & in putre ac fœdum cœnum resolutum est; Tum
agite vero inquit Megetius, hanc excetram ad necem vsque cędite, & quando ne-
que homines, neque Deos veretur, experimini an sua eam incantamenta, vene-
ficiaque meritis supplicijs eximant. Cùm totum iam suffusum sanguine flueret
corpus, & Virgo Iesu Christi nomen subinde inuocans, sæuientium rabiē haud
dubie patientia vincere videretur, Megetius abripi eam, & crinibus sublimem
suspendi, atque inde admotis vtrinque ardentibus facibus exuri, ac torreri iubet.
In his cruciatibus sanctissima Virgo tandem inuictum spiritum edidit, atque in
cœlum duplicem Virginitatis, & martyrij palmam ferens euolauit. Adeo non
fractè tam sæuam corporis sui lacerationem perpessa, vt in tanta tormentorum
acerbitate, non eo doloris sensu affici se quem vellet; & quem sua peccata mere-
rentur, quereretur. Tantus in puella integritatis, atque innocentiæ amor fuit,
vt cum vitam sanctissime, atque religiosissime egisset, expiari tamen peccata sua,
quę nulla erant, acrioribus corporis supplicijs præoptaret. Corpus Tyrannus
vnco trahi, iactarique per Erubrum Vicum ad Christianorum contumeliam ter
roremque iussit. Sed ab Honorio quodam homine christiano, clam ablatum;
& cum Olympiade apud Agolianum sepulturæ mandatum est. Quo in loco
Martyris vtriusque Reliquiæ, cum quingentos fermè annos ignoratæ iacuis-
sent, tandem diuino admonitu inuentæ, & Ameriam deportatæ sunt, atque in
collis huius vertice, loco diuinitus commostrato, reconditæ. Vbi pio Ciuium
studio hæc Ecclesia ædificata, & Sanctæ Firminæ nomine nuncupata est, Cathe-
drali etiam sede, quó maior sanctis Martyribus honor haberetur, in eam transla-
ta. Atque hic sacrata corpora in hodiernum diem asseruantur, & magna popu-
li religione coluntur. Qui sanctos Martyres, & custodes sibi patronosque apud
Deum adoptauit, & sæpe manifestam eorum opem tutelamque grauissimis Ci-
uitatis temporibus sensit.

## AD S. FIRMINAM VIRGINEM, ET MARTIREM HYMN.

Pro Matu.

CHORI sacrati cęlitum,
Cœlo receptæ Virginis,
Audentibus præconia,
Nouos hymnos subijcite.
Namque humana fatiscit,
Vox impar tantis laudibus

Diuina

Diuina virgo, quæ tibi
Tuo debentur merito,
Tu sæui iussa Principis,
Tortorum tu sæuas manus
Temnis; subiectas tu faces
Casta torrentes marmora
Vincis: vicisse iam foret
Virtuti né parum tuę,
Ipsos quin eadem doces
Exactores supplicia
Suppliciorum perpeti
Altrici Christi pro fide,
Et clades illatas tibi
Rependis bona præmio.
Hanc Vrbem, hunc deditum tibi
Virgo suscipe populum,
Nos tu tuere, tu tege
Pia obsecramus te prece.
Siquidem à te depositum
Mortale pondus colimus
Hoc nos templo; tuq; hinc poli
Alta migrasti ad sidera.
Tibi Christe sit gloria,
Pura genite virgine
Virgines tuo qui beas,
Et ipse Virgo, numine: Amen.

Profudit quæ pro nomine
Christi beata sanguinem,
Virgo nobilis atauis,
Alma at nobilior fide,
Lucida petis qua duce
Astra, astri instar vbi nites.
Si faues tu propitium
(Magna quæ gratia est tua)
Nobis immeritis licet,
Fore confidimus Deum.
Custode te, te præside
Metus expers Ameria
Tot contra resistit dolos
Hostis quos stygius struit.
Insidiosi tu improbas
Hostis frange artes, & bona
Bonas ingenera tuis
Mentes, queis ille refugit.
Inuocata adest, pandite
Ciues corda, num cernitis
Animis vt illabitur,
Bona vt nos sospitet ope.
Pleni ergo Deo pectora
Deum feramus laudibus,
Sic ipsa ciens animos
Præsens en Virgo præcipit.
Sit Patri Deo maxima,
Maxima & filio Deo,
Deo quoque spiritui
Trinoque, vnique gloria: Amen.

Pro Laud. & Vesp.

Firminæ sumus in fide,
Ciues Firminam canimus

## DE S. OLYMPIADE MARTYRE.

OLYMPIADES, quamquam (quod gestus in vrbe Roma consulatus declarat) nobili credatur genere natus, tamen plus nominis ei gloriæque constans in Christiana religione fides peperit, quam aut honorum, aut familiæ dignitas afferre potuerunt. Is, vt mos fuit Romanis consulares, exacto tempore magistratus, ad regendos socios dimittendi, cum Ameriæ circumiectisq; populis præpositus à Dioclitiano Imperatore esset, eius iussu Christianã nationem, latè iam per Italiam diffusam, acriter insectabatur, & atrocitate suppliciorum,

aut

aut susceptum institutum, fidemque sacrorum deserere, & ad Romanorum Deorum cultum redire cogebat, aut omnibus torros cruciatibus morte afficiebat. Nam Dioclitianus incredibile dictu est, quanto in Christianos odio ferretur, quanta hauriendi Christiani sanguinis sitis immitem, & crudelem animum eius teneret. Vt Romanorum Principum nemo maiorem per omnes prouincias innoxiorum, ac piorum hominum stragem ediderit; Nemo Christianam fidem pluribus, & clarioribus inuictæ, & constantis pietatis exemplis illustrauerit. In nullius denique imperio frequentiora, euidentioraque diuinæ potentiæ miracula conspecta sint. Quorum haud scio an illud, vel maximum videri possit, quod tanta sæuitia, ac tam immani bonorum carnificina non solum, quod spectauit, sperauitque Dioclitianus, assecutus non est, vt Iesu Christi nomen disciplinamque omnem opprimeret penitus, atque extingueret, sed inde vel maxima incrementa cœpisse Christianam Religionem, indeque vel latissime propagatam esse satis constat. Adeo humana consilia aduersus diuinam voluntatem nulla sunt. Olympiades igitur in perquirendis puniendisq; Christianis impiæ Imperatoris sui voluntatis satellitem haud segnem agebat, ignarus prorsus quid de se diuina prouidentia statuisset, quæ non facere tantum martyres eum, sed etiam esse volebat, & ipsum mox supplicia, atque mortem pro ea fide subire ac perpeti, à qua tum alios suppliciis ac morte deterrebat. Is a beata Firmina, quam metu legum primo, deinde coniugij sui conditione a Christianis institutis auertere conatus fuerat, Christianus factus, & infusu sacratæ aquæ rite expiatus, partim perspicuis, quæ in ipsius quoque corpore Deus edidit miraculis, partim sanctæ virginis oratione adeo firmè Christianæ religionis fidem est amplexus, vt humanas res omnes præ Iesu Christi amore, atque fide despiceret, ac totum se diuinarum rerum studijs dederet; nec ignarus versuram mox in se omnem Dioclitiani iram, ita se comparauit, vt nullum subire cruciatum, nullum perpeti supplicium pro fide, atque cultu veri Dei recusaret, ac mortem non iam in damno, sed in maximo lucro poneret, nec eripi sibi martyrio vitam, sed aditum ad veram sempiternamque vitam aperiri existimaret. Quamobrem non contempsit solum denunciatas à Dioclitiano sæuas minas, aut earum metu fugam latebrasque tentauit, sed vltro se quæstioni, atque iudicio obtulit. Nam Dioclitianus re audita, proditum se querens ab Olympiade, qui damnatæ disciplinæ vltor constitutus, sectatorē, fautoremque eius se præbuisset, miserat extemplo Ameriam è consularium numero Megetium, qui atroces ab illo pœnas reposceret, nisi susceptam temere rationem deseruisset, pristinumque Romanorum Deorum cultum repetiuisset. Captus igitur Ameriæ à Megetio, & catenis oneratus ad tribunal, quod rei nobilitandæ causa in medio foro erectum erat, sistitur. In quo iudex Megetius astantibus Decurionibus magistratibusque Amerinæ vrbis, cum consedisset, primò quidem amicè corripuit Olympiadem, quod vir spectatæ ad id tempus prudentiæ habitus, ac tantis honoribus functus, tam temerè se a muliercula induci in fraudem esset passus, & vindex custosq; legum, sacrorumque, leges, sacraque pol

luere,

luere,& fidem Principi suo debitam, turpiter deserere sustinuisset. Monuitque eum vt quod muliebri fraude deceptus inconsulte admiserat,id matura, ac salubri consilij, ac voluntatis mutatione corrigeret, eiurataque anili Christianorũ superstitione, animum ad patrios Deos patrio more colendos, reciperet. Atque id si faceret,& fortunas suas, bonaque, quæ fisco iam quæsita erant, & honores, quibus merito suo deciderat, saluos ei fore ostendit. At si insanire porro pergeret,vitam sibi in cruciatibus relinquendam esse statueret. Olympiades nihil eo sermone motus,& certus caducæ huius,atque breuis vitæ abijciendæ, & in ipsam immortalitatem tota iam cogitatione, atque mente defixus, non solum ab cognito semel vero discessurum scaperte negat, atque in eo perstat,sed stultitiã, & vanitatem colentium fictos, & commentitios Deos vltro increpat. Nos ergo stulti miserique inquit, Megetius ridens,qui vita,opibus,honoribus,gratia Principis fruimur, tu felix, & sapiens, qui istis omnibus infatuatus vnius maleficæ puellæ præstigiis, spoliari te finis; simul afferri equuleum, quando verba contemneret, tortoresque acciri iubet; illum tamen hortari non destitit, vt dum integra omnia illi essent, pertinacia absisteret, & debitum patrijs dijs honorem tribueret, nec discindendum se, dilacerandumque tam leui de causa præberet. At sanctus martyr, cui humanæ iam res omnes sordebant, ab earumque sensu animum penitus iam abalienauerat, ne responso quidem Megetij dicta insaniæ, atque impietatis plena, dignabatur. Equuleo igitur suspensus, cùm hinc tormenti vi luxata membra diuellerentur,hinc flammatis facibus, quas Megetius admoueri corpori iusserat, crudelissime comburerentur, suppliciorum acerbitatem futuræ beatitudinis spe facile vincens,mentem orationemque omnem ad Deum verterat. Et nunc suam indignitatem,sua flagitia, & grauia,quæ in eius sanctissimum numen admiserat facinora accusans, eorum veniam implorabat, nunc grates Iesu Christo agebat, quod se dignum duxisset, aut adeo effecisset, qui mortem pro eius nomine oppeteret,& qui martyres paulo ante insectaretur, martyrij gloria,coronaq; decoraret. Atq; in hac oratione Calendis Decembris animã egit. Corpus eius abiectum Megetij iussu,beatæ Firminæ cura clam sublatum,ac in ipsius prædio apud Agolianum sepulturæ traditum est, vnde in hanc ipsam translatum Ecclesiam, cum ipsius sanctæ Virginis reliquiis ad hanc vsque diem sub Altare maximo conditum religiose asseruatur. Ecclesiaque ipsa,& Ciuitas in vtriusque martyris fide,atque patrocinio conquiescit.

## DE INVENTIONE, ET TRANSLATIONE CORPORVM SS. Martyrum Firminæ, & Olympiadis.

FIERI persæpe videmus, vt ad quod quisque studium Christianæ pietatis animum vehementius incitarit, ex eo fructum ad communem vtilitatem, remunerante religiosum eius laborem Deo, percipiat. Quod Paschali Amerino Episcopo homini probo,& antiqui moris, vsu venisse accepimus. Is enim cum

lectione rerum a sanctis, & Deo dilectis viris, gestarum impense teneretur, præter cæteros Martyres, quorum atrocia supplicia, pro fide, ac pro Christiani nominis gloria constanter tolerata, lectitare erat solitus, in Firmina Romana Virgine præcipuo quodam sensu afficiebatur. Seu quia illatum à Diocletiano Cæsare martyrium, admirabili virtute sustinuerat, seu quia mortis exactorem Amerinæ Vrbis præsidem habuerat, Amerinaque in Diœcesi occisam eam monumenta litteratum, quæ ipse assidue in manibus habebat, tradebant. Verum quo in loco illius sacræ reliquiæ iacerent cum ignoraretur, sanctus Episcopus ingenti desiderio ardebat eas inueniendi, partim ne tam insignis Virginis ossa indigne laterent, partim vt ipse qua religione beatam illam animam colebat, eam ipsius quoque corpori tribuere posset. Et quæ Amerini præsidis impio ministerio, iudicioque damnata, & crudelissime necata fuerat, ei Amerini Episcopi studio, in Amerina potissimum Vrbe debitus sanctitati, atque nomini eius cultus, honorque reponeretur. Tanta vero huius rei cupiditate Paschalis afferebatur, vt cum diu peruestigando, inquirendoque frustra laborasset, perpetuis, & flagrantissimis precibus a Deo contenderet, vt sanctæ Virginis sepulturam sibi indicaret, eiusque rei causa sæpe diuinum sacrificium faceret, sæpe corpus suum vigiliis, sæpe ieiunijs maceraret. Tandem tam pium, tam immotum religiosi hominis studium, diuina quoque bonitas approbauit. Dei igitur instinctu visa in somnis Episcopo astare Firminæ humana maior imago, atque eum his verbis cōpellare; Bono esto animo Paschalis, nam optati tui compotem faciet te Deus. Ad ea Paschalis magno perculsus metu, Quis tu, inquit, quæso es, q mihi diuinę voluntatis interpres ades? cui sancta imago, Firmina sum inquit, illa ipsa, cuius tu reliquias tam crebro, tam ardenter commostrari tibi exposcis. Episcopus cęlestem veneratus vmbram, cupide sciscitatur vbi locorum relictum ab se mortale corpus asseruaretur. Et Virgo Agolianum, inquit, haud procul Vrbe tua, oppidum pete, ibi e medio loci, qua orientem Solem aspicit, quaternos e coniectis lapidibus tumulos cernes, crucis in modum extantes, illhic terram fode, nec te labor ab incæpto deterreat, nam duplici tandem gaudio potieris; atq; his dictis a conspectu euanuit. Excusso Episcopus somno, nec dubius de cęlesti monitu, pergit in templum, & facta re diuina, Deoque, ac beatæ martyri gratiis, quantas capere animo poterat, actis, Clerum, populumque, quæ sibi proxima nocte visio, quæ species oblata esset, docet. Iubet omnes Deum precibus propitiare, & debitum diuinæ Virgini cultum tribuere, omnibusque tridui ieiunia indicit. Exacto triduo Clerum linteis in vestibus, & cum Clero populum sequi se iubet, & protinus Agolianum petere contendit. Clerus Episcopi imperata facit, & populus quoque frequens sequitur: omnes parendi, ac rei exitum videndi studio magis, quam quod Episcopi dictis fidem haberent; cum alij varias somniantium imagines afferrent, alij Episcopo in vna cogitatione defixo, non mirū dicerent, si dormienti videre visum esset, quod vigilans animo assidue volutaret. Multis quoque spectata viri religio magnam spem, atque expectationem fecerat.

Cum

Cum veniſſet Agolianum, qui locus millia paſſuum octo ab Ameria diſtabat, & quæ diua virgo præceperat, ſedulo omnia exequeretur, monſtratos lapidum aceruos conſpexit, atque ea re incredibiliter lætatus, omnes iubet ſummiſſis genibus Deum adorare, atque ipſe cum idem feciſſet, magna contentione mentis precabatur, vt ſibi quo potiſſimum in loco fodiendi initium faceret, commonſtraretur. Ne has quidem preces aſpernata diuina bonitas eſt, & terra ipſa, qua ſacratum corpus obruebatur, in crucis modum viſa micare eſt. Quo oſtento exultans Epiſcopus, arrepto ligone ſcindere terram, egerere humũ, & magno conatu aperire locum cœpit. Lata profundaque foſſa effecta, cùm nullum rei veſtigium extaret, & labore iam, & laſſitudine fatiſcerent Epiſcopi vires, non tamen ille de ſtudio operis perficiendi quicquam remiſit, ipſa diuini promiſſi fide vires eius ſuſtentante. Verum incumbentibus pari ſtudio in rem clero populoque, & altius effoſſa humo, repente è ſepulchro erumpens odor magna ſuauitate omnium nares perfudit. Et Epiſcopus redintegratis, ex certa iam ſpe, viribus, ita inſtitit operi, vt demum nõ Firminæ ſolum, ſed Olympiadis quoque corpus, qui eodem tempore, ab eodem Diocliciano affectus martyrio fuerat, patuerit. Tum gemino gaudio læti omnes, concinere hymnos, pſalmoſque, & diuinas celebrare laudes cœpere: & Epiſcopus honoris ſui inſignibus ſumptis, purgato apte loco, vtrũque corpus adiuuantibus ſacerdotibus, in apertum extulit, & curru quàm pulcherrime ſtrato impoſuit. Hunc inde currum, ipſe per vices cum aliis ſubire, ac trahere cum vellet, ſæpe conatu repetito, mouere tamen loco vehiculum nequiuit. Adhibito iuuenum robore primum, deinde adiunctis pluribus ſimul Boũ iugis, nulla tamen ope, nulla vi, currus impelli potuit. Ea re territis omnibus, & aduerſari eorum ſtudio Deum iam credentibus, Epiſcopus vim lachrymarum profundens, ipſos deprecabatur Martyres, ne votum ſuum fruſtrarentur, nec ſe ex tanta, ac tam certa ſpe deijcerent, neu cuius Ciuitatis Præſes patratæ olim eorũ cædis piaculum ſuſtineret, in ea potiſſimum coli ſe, debitámq; eorum ſacratis oſſibus venerationem tribui, & nefarij hominis immane crimen, pio populi eius ſtudio, ac religione lui, rependique ſibi dedignarentur. His fuſis precibus, repente veluti diuino inſtinctus conſilio, magna voce geminas adduci iuuencas, nullũ ante iugum paſſas, iubet; adductaſque iungi currui, & arbitrium ijs quò vellent eundi, agente, aut ducente nemine, permitti. Boues cùm iugum nihil detrectaſſent, impauidæ, ac nulla inquietatione viam lento gradu inceſſere, & ſequente cum Clero, ac Populo Epiſcopo, ac procul curru abſiſtere omnes iubente, Ameriam qua maximè rectum iter erat, contenderunt, Portamque occurrente cum liberis, & coniugibus vniuerſa Ciuitate, & rem fauſtis, ac lætis clamoribus celebrante, intrarunt. Cùm porro per cliuum pergerent; deducere eas de via ad Cathedralem Eccleſiam Sancti Laurentij, vt ibi potiſſimum ſacratæ Reliquiæ conderentur, conati ſunt; ſed detrectantes vaccæ abnuenteſque nulla vi, nulla arte eo adigi, aut omnino ab inſtituto itinere auerti potuerunt. Demum Epiſcopi iuſſu dimiſſæ, in ſummum collis cacumen, quem vrbs ædificijs circumplectitur, euaſere.

euasere. Ibi cum constitissent, atque eo loci non ædis vlla, non sacellum, non tectum, quo reciperentur esset, nec inde vt abducerent currum, cogi vllis stimulis, Bestiæ possent, Episcopus Dei voluntate perspecta, depositas Martyrum reliquias certis loculis excepit, conclusitque, ac statim miraculorum multitudine, ac varietate, quæ a sacratis illis ossibus edebantur, ingentes vicinorum populorũ concursus fieri, atque hoc ipsum cæptum ædificari templum est. In quo condita corpora in hanc vsq; diem sancte asseruantur. Acta autem hæc sunt circa annum octingentesimum septuagesimum, Adriano Secundo Pontifice Maximo, quingentis amplius annis postquam sancti Martyres victoriæ palma insignes recepti in cęlum sunt.

## DE S. SECVNDO MARTYRE.

IN illa Christianorum ac piorum hominum strage, quam Dioclitianus Imperator execrabili percitus errore, & crudeli, atque impio animo edidit, inter multos, qui vt tam atrocis temporis, ac veluti pestiferi turbinis vim declinarent, secesserant e medio, ac se latebris abdiderant, vir claritudine quidem stirpis longe nobilissimus, quippe ortus imperatoria domo, ac genus ab Aureliano Pincipe ducere ferebatur, sed sanctitate, & Christianæ religionis laude multo nobilior, cui nomen Secundo fuit, apud Spoletum in Eudoxiæ piæ Matronæ domo, prębitis ab illa clam vitæ alimentis, occultabatur. Dionisius quidam ea tempestate proconsulari iure Spoletum administrabat, qui Dioclitiani furori, atque immanitati, pari & ipse sæuitia subseruiens, in Christianos magna cura conquisitos, &, vndique ex occultis, atque abditis locis protractos, supplicijs grassabatur. Ex quo tantus omnium animos incesserat terror, vt hiscere in ea vrbe iam nemo, nemo palá ferre Christi nomen auderet: oẽs mortis, atque adeo acerbissimorum cruciatuum metu, quibus, quicunque christianæ pietatis argueretur, nulla veniæ spe miserabiliter necabatur, mentis suæ sensus dissimularent: & quidam etiam, (quod vnum deprehensis mortis effugium erat) deserta fide ad impium cultum Deorum reuoluerentur: aut quos, ne tantum in se admitterent nefas, religio insidens animis prohiberet, hi in abditas solitudines, ac in deuios elapsi saltus, in speluncis, ac in ferarum lustris delitescerent, ferarumq; ritu vitam sustentarent. Hæc cum Secundus ab Eudoxia cognouisset, ingenti dolore, ac religione incensus, seipsum, ac suam infirmitatem vehementer incusauit, qui vecordi metu muliebriter perterritus, Euangelij ipsius oblitus videretur, non qui corpus, sed qui animam occidere possunt hostes esse metuendos, monentis, & eos qui verè christianos animos induissent, his verbis alloquentis, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Igitur cœlestis pietatis studio elatus, protinus è latebra erumpit, & iam nõ tam mortem timens, quam vitam pro gloria Christi profundere cupiens, primum quidem pecunias, bona, resq; suas omnes, ne ijs Tyrannus potiretur egentibus largitur, deinde non oc-

culte,

culte, sed propalàm Christianum se ferens, Christianæ pietatis instituta, non commento hominum, sed diuina voce sancita, prædicabat: Deorumq; stultæ antiquitatis mendacio confictorum cultum, vt profanum, atque impium damnabat, execrabaturque. Atque hæc apud Populum concionis in modum circumfusum edisserentem, Dionisij satellites comprehendunt, protinusque ad eum adducunt, & compertum ab se in manifesto scelere, seditiosos, scilicet cœtus habentem, contumeliasque in Deos iacientem, & Christianæ disciplinæ instituta tradentem, aiunt. Dionisius speciem habitumque viri haudquaquam contemnendi cõtemplatus, quærit ab eo quis, & vnde sit. Cum vtrumque accepisset, benignè monuit, nè patriæ, generisque sui dignitatem seruilibus, atque abiectis Christianorum moribus dehonestaret: sed qui originem suam ad Cæsarum sanguinem referret, Cæsaris quoq; gratiam inire studeret, & patrios Deos venerari, atque ijs patrio ritu sacrificare in animum induceret. At ego, respondit Beatus Secundus, me ipsum iam animo, ac destinatione vero Deo sacrificaui. Nam quos tu Deos esse dicis, quæso te quid diuini habent? Quæ verò tanta amentia mentes vestras occupauit, vt simulachris hominum manu fabricatis, exculptisque diuinitatem tribuatis, Deum cœli, ac mundi conditorem cõtemnatis? Audebis ne inquit Dionisius Herculem, cui ab Cæsaribus nostris præcipuus honor tribuitur, Deum esse negare, aut debitum illi cultum tribuere recusabis? Atqui Hercules iste, inquit Secundus, non homo solum mortalis, sed etiam flagitiosus, & facinorosus fuit, tantum abest vt haberi Deus possit, nisi forte à vobis, qui in summis ignorantiæ tenebris versantes, aspicere hanc veritatis lucem, quam Iesus Christus prætulit hominibus, nequitis. Tum verò Dionisius tam licenter maledicentem Dijs, suspendi protinus in equuleo præcipit, eique aut per summos cruciatus moriendum, aut sacrificandum Herculi esse denunciat. Sed cum lætum subire, ac pati tormenta cerneret, abduci inde in Herculis fanum, & ad simulachrum Dei venerandũ adigi vi iubet. Cum in conspectu haberet templum, videntibus, qui eum ducebant, beatus martyr sublatis in cœlum oculis, Christe, inquit, tibi iustum à nobis cultum, tibi diuinos honores, tibi aras deberi, tuum esse numen verendum, te precor, vt prophani huius templi ruina testatum facias. Vix dum loqui desierat sanctus vir, cum repentino terræmotu quassatis conuulsisq; fundamentis moles illa templi horribili fragore, ac strage cum ipso Herculis signo corruit. Quo casu magna omnium mentes admiratio, magnus Dei, quem Christiani colebant metus, incessit. Dionisius ea re magnopere commotus, nec diuina vi, sed magicarum artium carminibus id patrasse Secundum existimans, morti eum damnauit: & quo terrorem supplicij eius in plures diffunderet, circunduci illum, reuinctis post tergum manibus, per vicina loca, ac posttremo

Ameriæ oſtentatum in proximo Tyberis flumine obrui, ſaxo, quem ægre multi ſimul homines mouere poſſent, collo eius alligato, nè emergere vnquam poſſet, iuſſit. Cum demum ab impij iudicij miniſtris in profluentis ripa ſtatutus fuiſſet, ſanctus Martyr datis ad terram genibus grates Deo egit, & implorata erratorum ſuorum venia, pia precatione animam ſuam diuinæ benignitati commendauit, ac ſtatim arcte conſtrictus, ac molari lapidi reuinctus, præceps in flumen eſt deiectus Calendis Iunij, qui dies hodie quoque feſtus Ameriæ agitur. At facinus tam indignum iniquæ cædis miniſtris impune non fuit, nam Spoletum redeuntes, duobus ferociſſimis Vrſis cum occurriſſent, ab ijs necati, ac dilaniati omnes fermè ſunt. Pauci qui fuga euaſerunt, partim cogitatione periculi cui obiecti fuerant, partim miraculi religione commoti, cum ea fieri ſine diuina vi non poſſe intelligerent, Sacerdotem haud longe ab eo loco latitantem adiere, & ab eo in Chriſtiana fide inſtitui, & ſacra perfundi aqua petierunt, vitamq; inde in Chriſtiana religione ſancte traduxerunt. Neque hi ſolum, ſed alij præterea multi miraculorum, & martyrij huius fama adducti, Ieſu Chriſti doctrinam fidemque amplexi, baptiſmo procurati ſunt. At Eudoxia apud quã Spoleti delituiſſe aliquando Secundum diximus, nece eius accepta, pro ſua religione, & in ſanctum virũ pietate, profecta domo, ad locum vnde proiectum in flumen beatum Martyrem audierat, aliquot pijs hominibus comitata venit, corpuſq; eius iacens in ipſo ripæ margine nullo ſuppliciorum veſtigio, nulla limoſi gurgitis, quo plures per dies obrutus fuerat illuuie deformatum reperit. Quod cum diuinitus factum nõ dubitaret, læta Ieſu Chriſti tam manifeſta in cultores ſuos benignitate, ſublatum inde in prædio, quod Amerino in agro habebat quã officioſiſſime potuit ſepeliuit. Quo ex loco tranſlatum poſtea Ameriam creditur, vbi ad Romanam Portam paulum extra mænia, vetuſta in æde, quæ Sancti Secundi nomine nuncupatur, repertus marmoreus lapis eſt, ita inſcriptus. Hic iacet corpus Sancti Secundi Martyris. Corporis tamen ipſius nullæ reliquiæ, nullum aliud veſtigium extat. Et Amerinus populus martyrem ipſum inter Sanctos Vrbis patronos adoptatum, religioſe colit.

## DE SANCTO HYMERIO EPISCOPO, ET CONFESSORE.

HYMERIVS natione Brutius, cum adoleſcentiam ſummo pudore, caſtiſſimiſque moribus tranſegiſſet, atque ijs litterarum diſciplinis, quas capere illa ætas poteſt, imbuiſſet, & in eo cum ipſa ætate ſtudia quoque pietatis, ac cœleſtium rerum coaluiſſent; nè, quod fieri intelligebat, ab earũ fructu, ac meditatione humanis curis, atque hominum conſuetudine, diſtraheretur,

heretur, patria, parentibusque relictis, abditam, ac desertam in Insulam secessit. Vbi Anachoritarum instituto diuinis laudibus, precibusque intento, & ieiunijs, atque abstinentiæ magnopere dedito, diu cibum agrestia poma, & quas terra sponte sua fundit, herbæ radicesque præbuerunt, sitim fontanæ aquæ extinxere tectum siluestres arbores, stratum ipsa humus fuere; donec prodente eum ipsa sanctitatis admiratione, recipere se coactus est in Monachorum cænobia: inter quos adeo omnibus religionis laudibus excelluit, vt nemo continentia cum illo, nemo precandi assiduitate, nemo contemptu sui, nemo alijs Christianis virtutibus conferretur; quibus cum diuinarum quoque litterarum doctrinam haud mediocrem adiunxisset, earumque studio, quicquid sacris precandi, & psallendi officijs supererat temporis, impenderet, sibi inter homines cœlestem quandam vitæ rationem instituisse videbatur: sed tantam hominis virtutem, tam insignia sapientiæ, religionis, sanctitatis ornamenta in solitudidine, atque intra cœnobiorum septa delitescere, & vni penè sibi fructui esse, non siuit diuina prouidentia: eaque ipsa ornamenta prodire in apertum, & quam plurimis vsu, atque exemplo prodesse, tum voluit, cum ille maximè in solitariæ vitæ rationem intensus, nihil tale poterat cogitare. Nam cum forte Amerina Ecclesia, Episcopi sui morte, viduata pastore esset, & felicibus illis exurgentis, atque efflorescentis Ecclesiæ seculis, Episcopi non tam hominum studijs, suffragiisque crearentur, quam pijs Cleri populique precibus a Deo exposcerentur, ijque demum acciperentur, quos vi sua cœleste monstrasset numen, & Amerini de nouo Episcopo deligendo cum suo Clero consultarent, crebrisque supplicationibus, ac sacrificijs insistentes, Deum orarent, vt sibi Rectorem, moderatoremque sacrorum, & animarum custodem, daret, repente diuinitus indicatum, omnes magno consensu Hymerium longe inde absentem, nec vlli visum, aut aliter quam fama sanctitatis cognitum, Episcopum conclamarunt. Quæ res miraculo inde ipsis, qui patrarant, fuit; reputantibus ignoti hominis nomen tanta omnium voluntate, atque approbatione acceptum fuisse. Delato igitur ad eum Episcopatu, legatos Romam mittunt, qui rem ad Pontificem Maximum referant; ex cuius auctoritate profecti inde, in Insulam vbi vir sanctus agebat, traiecere, eique e cænobij latebris educto, quid venissent exposuere. Qui vt erat vir grauis, & prudens re mature perpensa, demum nec diuinæ voluntati obsistere, nec Pontificis Maximi iussa detrectare est ausus: ac ne Amerini quidem Cleri, populique flagrantissimas preces, ac tanta in se studia deserere sustinuit. Itaque cum Pastoralis officij onus, vt a Deo ipso impositum sibi, demisse, atque obedienter subiisset, Ameriam venit, exceptusque est tanta omnium lętitia, quanto nuper consensu expetitus, delectusque Episcopus fuerat. Hic

sancti viri eximia virtus, eo magis explenduit statim, quo illustriori, ac celsiori iam e loco conspiciebatur. Non enim solum vitæ innocentiam eandem præstitit, qua in solitudine, atque inter cœnobitas suos nituerat, sed ita omnia Pastoralis officij munera impleuit, vt non minorem prudentiæ, diligentiæ, assiduitatis, quam religionis, & sanctimoniæ gloriam promeruerit. Disciplinam sacrorum, totamque diuinorum officiorum rationem ita rexit, vt nihil sua Ecclesia esset ornatius, nihil cultius, nihil descriptius. In moderandis autem moribus, illud in primis tenuit, vt nihil præciperet alijs, quod ante non imperasset sibi, nihil in aliorum exigeret vita, quod non eluceret in sua. At populum frequentibus statim concionibus aggressus, non quidem facultate, atque arte dicendi (quamquam ne hoc quidem illi defuit ingenij decus) sed simplicitate, & commoditate orationis, & rerum ac sententiarum grauitate, & in quo sita omnis persuadendi vis est, innocentiæ, atque sanctitatis opinione, breui omnium animos ita deuinxit sibi, vt quo vellet facile impelleret; sæpe de æternis supplicijs, quæ sontes, damnatosque apud inferos manent disserens, ingenti terrore audientium pectora cõcutiebat: sæpe ad cœlestium illorum bonorum spem, quæ humana despicientibus, & piè, castè, iustè, & ex Iesu Christi disciplina viuentibus parata sunt, erigens animos, mirum dictu est, quantos pietatis, & religionis amores excitaret. At officia charitatis non facile discerneres mansuetudine, an largitate maiori susciperet. Egentibus omnibus certum in eo subsidium, afflictis solatium erat. Et quos re nequisset, opera, aut consilio iuuabat. Ægros cum viseret, subueniendo, consolando, monendo, non vt ab eorum corporibus morbi depellerentur, quam vt in animis lues peccatorum sanaretur, studiosius curabat. Domus eius hospitibus, & maximè religionis causa peregrinantibus semper patuit. Ipse ieiunij, atque abstinentiæ obseruantissimus semper fuit, vt pane, & aqua, & cum lautius exciperet se se, ficubus, aut vuis, pomisue, corpus sustentaret, magis quam aleret. Tam insignes virtutes, tantam viri sanctitatem Deo longe acceptissimam esse, admiranda prodigia, miraculaque, quæ identidem edidit, testata sunt. Nam sæpe loca, sæpe humana corpora aduersis spiritibus infessa infestataque, fusis ad Deum precibus, liberauit: sæpe ægros, sæpe varie membris captos in summa valetudinis desperatione, ijsdem precibus, saluti restituit. Postremo cum valens atque integer diem, quo mortem obiturus ipse erat, diuino instinctu prædixisset, qua pietate vitam egerat, eadem vltimum quoque spiritum edidit. Nec inde e corpore eius asseruatisque per multa secula, & magna Amerinorum circuniectorumque populorum religione cultis reliquijs minora, aut minus crebra miracula prodierunt: vt quam Ecclesiam præsens maximarum virtutum gloria exemplisque illustrauerat, eam e cęlo quoque nouis subinde beneficijs ornaret, celebrioremque

redderet. Donec magna Vrbis huius infelicitate circa annũ DCCCCLX. V Sanctæ Reliquiæ Cremonam ablatæ sunt a Loyza Cremonensium Episcopo, cui quod apud Othonem primum Imperatorem facile principem gratiæ, atq; auctoritatis locum obtineret, Amerinus Episcopus aduersari ausus non est, eo quidem minus quod per Loyzam ipsum irati infensique sibi Imperatoris animum recuperare, ac placare cupiebat: Cremonęque vsque ad hanc diem Hymerij reliquiæ in Cathedrali Ecclesia custodiuntur, pieque coluntur. Corpus quidem marmorea in arca clausum habetur, in quam a Siuardo Episcopo conditum fuisse Arcæ ipsius inscriptio docet. Caput integrum in pellucido vitreo Vase, laternæ forma asseruatur. Et Cremonensis Ecclesia sanctum ipsam patronum sibi adoptatum in magno honore, ac veneratione habet.

# FINIS.

## Registrum.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu a b.



Errata Lector, quæ aduerti, nec emendari potuerunt hac passim linea notata reperies: Ea tu te sic corrigito.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Iussu | cap. | 2 | missu |
| Aut sciens | cap. | 5 | ac sciens |
| Atqui | cap. | 6 | atque |
| illius | cap. | 10 | huius |
| ancellarum | cap. | 12 | ancillarum |
| & | cap. | 19 | etiam |
| quemquam | cap. | 38 | quemque |
| initrantur | cap. | 43 | initiantur |
| priusquam | cap. | 48 | prius quam |
| in sequenti | cap. | 48 | insequenti |
| renoneantur | cap. | 49 | renouetur |
| conantur | cap. | 132 | conentur |
| instorum | cap. | 156 | istorum |
| sue | cap. | 157 | lue |
| submitimus | cap. | 159 | summittimus |
| spem ponimus | cap. | 159 | spē ponimus cōtēdet |
| contendet | cap. | 160 | pugnabit |
| quæruntur | cap. | 162 | queruntur |
| morerentur | cap. | 162 | morerentur |
| correcte | cap. | 172 | cor recte |
| eiusui | cap. | 183 | eius vi |
| proximum | cap. | 191 | proximus |
| lucenti | cap. | 193 | lucente |
| accipimus | cap. | 314 | accepimus |
| dimittantur | cap. | 326 | demittantur |
| superiaceit | cap. | 332 | superiaciet |
| excremeati | cap. | 326 | excrementi |
| Institnit | cap. | 337 | instituit |
| religio se | cap. | 341 | religiose |
| lineo | cap. | 366 | laneo |
| elaborationesq; | cap. | 367 | elaboratioresq; |
| fabrefacto | cap. | 370 | fabre facto |
| iniungitur | cap. | 403 | iniungetur |
| reuocandus | cap. | 405 | reuocandas |
| subijcentur | cap. | 412 | subijcientur |
| sesquis cubitum | cap. | 414 | sesquicubitum |
| stragula | cap. | 433 | stragula |
| Episcopalis Ecclesia. | c. | 436 | Episcopalem sedem |
| Sacculane | cap. | 454 | sacculosve |
| Sacristia | cap. | 508 | Sacrista |
| anmum | cap. | 508 | animum |
| periende | cap. | 513 | perinde |
| resiscatur | cap. | 560 | rescisceatur |
| Parochali | cap. | 569 | Parochiali |
| percipiret | cap. | 570 | perciperet |
| se | cap. | 573 | sex |
| studij | cap. | 578 | studijs |
| hancab esse | cap. | 593 | hanc abesse |
| detrectant | cap. | 623 | adeo detrectant |
| offerentur | cap. | 626 | offerantur |
| ante erunt | cap. | 632 | ante eunt |
| minime | cap. | 631 | & minime |
| Pilecum | cap. | 653 | pileum |
| turpidisque | cap. | 653 | turgidisque |
| irrisos | cap. | 656 | irritor |
| vtrique | cap. | 659 | vtique |

| | | | |
|---|---|---|---|
| propinquorum | cap. | 662 | propinquarum |
| ipsos | cap. | 667 | ipsi |
| latrocinij | cap. | 666 | latrocinijs |
| pecipuo | cap. | 692 | præcipuo |
| Sacrurū cerimonia | c. | 684 | sacrarū cerimoniarū |
| agento | cap. | 711 | argento |
| simulachri | cap. | 727 | simulachris |
| ijsque | cap. | 727 | quæ ijs |
| effingimus | cap. | 731 | affingimus |
| pro fluunt | cap. | 748 | profluunt |
| illecebre | cap. | 748 | illecebræ |
| cuique | cap. | 750 | cuiquam |
| populus & | cap. | 759 | & populus |
| extraordinari æx | cap. | 762 | extraordinariæ ex |
| tradita | cap. | 786 | traditæ |
| tum | cap. | 786 | tam |
| debeat | cap. | 794 | debent |
| pariu parti | cap. | 806 | parti parui |
| auferant | cap. | 823 | auferunt |
| infingantur | cap. | 828 | infinguntur |
| proprius | cap. | 832 | propius |
| afficiatur | cap. | 751 | afficietur |
| De Ecclesiarum | cap. | 899 | Ecclesiarum |
| fieri volumus | cap. | 927 | fieri |
| Clandetur | cap. | 971 | claudatur |
| tollerare | cap. | 985 | tolerare |
| auden taut | cap. | 986 | audeat aut |
| cuique | cap. | 1003 | cuiquam |
| ære | cap. | 1006 | æreæ |
| diligete | cap. | 1032 | deligere |
| sustendandæ | cap. | 1033 | sustentandæ |
| l'innere | cap. | 1035 | l'intiera |
| cauenda | cap. | 1056 | curanda |
| De parentienis nonum parentium | cap. | 1064 | De pœnis non parentium his decretis |
| compilleque | cap. | 1064 | compellique |
| eare | cap. | 1085 | |
| ministerij | cap. | 1105 | mysterij |
| vestium | cap. | 1105 | vestrum |
| honor | cap. | 1109 | honore |
| lassiuiam | cap. | 1110 | lasciuiam |
| aspergant | cap. | 1110 | aspergat |
| pertineat | cap. | 1117 | pertinent |
| propria | cap. | 1117 | proprie |
| sint | cap. | 1118 | sunt |
| porcius | cap. | 1118 | porticus |
| deferetur | cap. | 1119 | defertur |
| De | cap. | 1178 | Del |
| Lemosina | cap. | 1164 | Eleemosina |
| Croce, Pettorale | Cap. | Prob. | Croce pettorale |
| l'aspergera | Profess. | | gl'aspergera |
| Dilettationi | Profess. | | delettationi |
| i consignera | Abbad. | | le consegnerà |
| raudera | Sanct. | | frandera |
| afferebatur | Sanct. | | efferebatur |
| intensus | Sanct. | | intentus |

Reuisto per il Reuerendo Padre Inquisitor, & D. Fabio Paulini Lettor Publico, & per il Circonspetto Secretario del Senato Lorenzo Massa.